Print

1885

1885
XXVI-C

1.276

✠

CURSUS
THEOLOGIÆ SCHOLASTICÆ

IN VIA VENERAB. P. SUBT. Q[illegible] DOCT.

JOANNIS DUNSIJ SCOTI.

DECURSUS

PER QUATUOR EJUSDEM SENTENTIARUM LIBROS.

De la libreria de S.n Buenaventura

EDITUS

AB OBSERVANTI EX ORDINE MINORUM S. P. N. Franciſci Provincia, titulo Immaculatæ Conceptionis Deiparæ decorata, in Veteri Caſtella.

de Palencia

TOMUS SEXTUS.

OPUS POSTHUMUM P. FR. ANTONIJ RUERK HIBERNI, ejuſdem Provinciæ Filij, & Lectoris Sacræ Theologiæ.

DICATUS

año de 1785

DIV. JOANNI A CAPISTRANO,

ET S. JACOBO A MARCHIA.

Vallis-Oleti apud D. ANTONIUM A FIGUEROA, Typographum Regię Chancellariæ, ann. 1764.

GLORIOSISSIMIS MOECENATIBUS,

ET VERBI DIVINI PRÆCONIBUS,

S.TO IOANNI A CAPISTRANO, ET DIVO JACOBO DE LA MARCHIA.

MUNDANIS præſidijs relictis ad Cœleſte aſpirarunt patrocinium mei in Officio, & munere prædeceſſores, quando noſtræ Provinciæ nomine typiis dari inceptum Theologicum curriculum, iam diù interruptum, & nunc temporis, ut multorum votis fiat ſatis, continuatú, ita diſtribuerunt, ut eius tomus primus Virgini Deiparæ ſine originalis culpæ labe conceptæ; Doct. S. & Mariano, tomus ſecundus; Doctori Seraphico, tomus tertius; Paduano Antonio, tomus quartus; ac Senenſi Bernardino, tomus quintus dicati fuere ab illis, ubi requiem in-

inveniant ſecuriorem, eo ipſo quod procul á mundo ſepoſiti, potiuntur vera, & immarceſsibili pace. Egregius ille litterarum, & litteratorum Patronus Mœcenas bene audit apud Poetam ex illis dotibus, quas quiſque ſatagit invenire in illis, ad quorum anhelat patrocinium: quæ ornamenta ſunt ſanguinis puritas, potentia, & beneficentia munifica, dicente Vate:

Mœcenas Atavis edite Regibus,
O & preſidium, & dulce decus meum.

Ubi maior potuit inveniri nobilitatis honor, quam in Deipara Concepta in gratia originali? Ubi adeſſe potuit fortior virtus, quam in Joanne Scoto, qui Joannis Evangeliſtæ factus imitator, ſicut iſte calamo puram depinxit Deigenitricem ſub involucro, ita, & ille non ſub tegumento, & obſcurè, ſed perſpicuè, ac claré fecit, ut in Chriſti Eccleſia, quem modò habet certitudinis gradum, obtineret illa, quæ olim per deſpectum dicebatur opinio Minoritarum? Benignitatis dotem quis poterit Bonaventuræ, Antonio, Bernardino denegare? Rationis expers ſit neceſſe, qui in tantum prolabatur malum. Hinc factum eſt, Vatis cumulatiſsime adimpletum eſſe propoſitum, dum memoratis Cœlitibus conſecrata fuit iam olim edita Theologia. A tan Religioſo conſilio recedere non eſt fas. Immò eſſet nefas, ſi quod bene eſt inceptum, non

ope-

opere compleatur. Et ecce non unus, & ſimplex, ſed geminus Cœleſtis Patronus adeſt nunc, priorem occupans locum Joannes à Capiſtrano, qui per mirabilem veniendi modum ad ſodalitium Nudipedum id eſt aſſequutus, ut præſenti Materiæ congruat aptiſsimè. Cur ita? Pandam libentér. Joannes noſter nobili natus utroque parente, inſtructus cum eſſet humanioribus litteris, ad adiſcendum utrumque jus operam navavit, & tot profectus fecit ſupra coætaneos, ut laurea Doctoratus redimitus, & Cathedram adeptus ſummo omnium plauſu Leges, ac Decreta eſt interpretatus. In doctione non ſiſtit, & qui in Gymnaſijs multorum informaverat mentes pro callendijs penetralibus, & arcanijs utriuſque Aſtreæ Sacræ, & profanæ, Deo ducente ad Forum tranſit, ubi Cauſidici munus, & perſonam agit. Illius ſummæ peritiæ fama, eique adjunctus virtutum omnium chriſtianorum cumulus, integra in negotijs expediendis prudentia, & parilis diligentia, incredibile dictu eſt, quot in ſuum Muſæum clientes adduxerint. Putares, eum eſſe, vel Orpheum ſuo cantu lapides in unum congregantem locum, aut Herculem, qui ex labijs pendente catena in altum ſublatos homines ſurſum ferret, aut centimanum; vel triformem Gerionem, vel melius Paulum alterum omnibus omnia factum propter charita-

tis

tis ſtudium verſus omnes impenſum. Quando tot etiam Potentum, & magnatum turbæ Capiſtranum circunſtant, non exiſtimetur dives niſi ſola largitate, qua diſtribuebatur Egenijs, quod ſibi detrahebat parciſsimus. Erat cives optimus, Patriæ alter Pater, ignorantium lux, triſtium conſolator, omnibus bené viſus: & abſdubio in ejus pectore ardebat amor, & timor illius noſtri divini advocati, quem teſte Joanne Apoſtolo habemus apud Patrem, ut interpellet pro nobis: unde ortum ducebat, quod Dei amator, ſui contemptor, & proximorum omnium extimator, & beneficus exiſteret. Veritate comperta tot in Capiſtrano repertarum dotum à Ladislao Rege, & Monarcha Neapolitani Regni adſcitur ad ſui Supremi Conſilij, & Senatus Gubernium Joannes noſter: & ab iſta Suprema Præfectura tranſitus fit ad Religionem Seraphicam, ubi manet egenus, qui erat dives, qui reliquis dabat jura, ſui juris non eſt, & ſui contemptor redditur qui à Regibus, Principibus, & Magnatibus in ſummo habebatur pretio. Iſta mira vocatio, & tam mirabilis, ac ſtupenda mutatio ſane oſtendit efficacem gratiam, qua fuit facta, non fuiſſe per ſolius voluntatis ipſius determinationē, nec per ſolius voluntatis divinæ, ſed per ambarum voluntatum ſimul determinationem extitiſſe: unde primæ partis hujus ſcripti materia aptiſ-

ſi-

sime congruit Divo Capistrano. Est & alter Patronus S. Jacobus Marchitanus. Eius ingentia merita uno comprehenduntur verbulo: dignus fuit Socius, Successor, & per omnia imitator Joannis Capistranensis. In altera hujus scripti parte tractatur de Necessitate gratiæ medicinalis, seu quæ datur in hoc statu naturæ corruptæ. Eam haberi ut fructum salutiferæ Crucis, in qua pependit, & fixus est mediator Dei, & hominum Christus Jesus, fatetur nostra Fides, & inter suæ credulitatis mysteria reponit non infimo loco. Vix exueras infantiam, Jacobe Sanctissime, quando à puerilibus abstinens, & Dei amore sancto inflammatus, & absortus solitaria quærebas loca, & non ex alio fine, nisi ut ibi asperam vitam ageres per mortificationis exercitia, suavissimam autem, & dulcissimam per meditatos Christi Domini Cruciatus. Cum scires solitudinem esse aptissimam ad talitèr instituendam vitam, grandior factus, cogitasti de amplectenda Carthusiana Religione, ut pote quæ Heremi incola congrua tibi videbatur meditationis, & contemplationis exercitijs. Alitèr disponit Supremum Numen te trahens ad esse Divi Franciſci alumnum, in cujus Familiam cooptatus non tibi soli vives, sed & alijs proficeres per Apostolicę Prædicationis ministerium, & tamen non amitteres quam desiderabas contemplationis exercitationem. In hoc virtutis stadio

po-

poſitus emines contra hæreticam pravitatem Generaliſsimi Inquiſitoris munere: Cruciatæ Sanctæ Commiſſarij ampliſsimi, & diligentiſsimi: in Concilio Florentino ades Theologus; Sacri Belli Chriſtianorum Principum contra Turcas, es Conſiliarius; multorum Summorum Pontificum ſuſtinuiſti Legationes; & per totam Eccleſiam celebre volat tuum nomen ex ingentibus tuis geſtis, & ex miraculis innumeris tua virtute patratis. Ergo jure meritó, & Tibi Jacobe Marchitane, & tuo nomini Ioannes à Capiſtrano offertur hoc munuſculum, in quo relicta vilitate naturæ, & omni mundiali gloria, in pretio habetur gratia divina, cuius Author Deus optimus maximus tot ipſius pignoribus voluit vos decorare, locupletatas reddens veſtras animas meritis Juſtorum, ubi finem habet iſte tomus ſextus.

Pro univerſa hac Provincia Immaculatæ Conceptionis Deiparæ D. O. C. Q.

Fr. Joſeph de Paredes,
Miniſter Provincialis.

CENSURA, ET APPROBATIO RR. PP.

Fr. Emmanuelis de la Vega, Lectoris Iubilati, Provinciæ Aragoniæ Patris, in hoc Alma Immaculatæ Conceptionis Provincia Ex-Diffinitoris, & poſt Prefecturas Conventuum Arevalenſis, & Palentini, in hoc Regio Valliſ-Oetano Cœnobio nunc Guardiani: Et Fr. Ioannis Nieto, olim in Maiori SS. Apoſt. Petri & Pauli Complutenſi Muſæo Alumni, in Regia, & Pontificia Univerſitate Pintiana Doctoris Laurea inſigniti, Cathedræ Doct. Subt. Primariæ Moderatoris, & in memorato Conventu Lectoris Sacræ Theologiæ Primarij.

§§§ Ibentiſsimè obtemperantes Rmo. & Excell. P. N. Fr. Petro Ioannetio de Molina, Sacræ Theologiæ Lectori antiquo, Regiæ Maieſtatis Catholicæ in Congreſſu pro Immaculata Conceptione Theologo, digniſsimoque totius Ordinis S. P. N. Franciſci ſemel, & iterum Generali Miniſtro, perlegimus maiori, qua potuimus, cura tomum ſextum Sacræ Theologiæ Scoti, quem Alma Immaculatæ Conceptionis Provincia Regularis Obſervantiæ in Caſtella Veteri typis mandare deſiderat, cuius titulis: *Opus poſthumum R. P. Fr. Antonij Ruer K, in eadem Provincia olim Sacræ Theologiæ Lectoris, continens Tractatus de Gratia actuali, ſeu de Auxilijs ſupernaturalibus gratiæ: de Gratia habituali; de Iuſtificatione, & Merito.*

Statimque nobis obiecta fuere Decreta SS.

Pontificum Pauli V., & Urbani VIII., ſtrictè prohibentia, tractare, & diſputare maxime de prima Auxiliorum materia ob graviſsima ſcandala, & contentiones temerarias, & irreligioſas, quæ nunc temporis graſſavere; ob cenſuras quibus hinc inde mutuo ſeſe dilacerabant viri alioquin valde docti, & religioſi maximo cum detrimento charitatis fraternæ, & populi chriſtiani ſcandalo: nihilominus tamen quia graviſsimi Theologi, ut benè notat Auctor, ſentiunt, hoc poſſe fieri, ſervatis ſervandis, procedendo ſcilicèt cum debito moderamine, & abſtinendo omninò ab omni improperio, & cenſura opinionis contrariæ, ut ſæpè cautum eſt per Sanctam Apoſtolicam Sedem, cujus ſolius, hoc declarare, eſt; ideo viſum eſt, poſſe religiosè, & utilitèr tales materias in lucem prodere; in eis namque, ut ex ipſis patet, procedit Auctor fundamentalitèr, acutè, & religiosè, ita ut ei poſsit applicari, quod alias dixere de Galeno Cynus, & Praxitellus: *perlegimus præclariſsimum opus, & quos Cenſores quærebat Auctor* (ut piè credimus) *Æncomiantes æquum eſt invenire.*

Neque hoc judicium ſuſpicati poteſt procedere ex eo, quod aiebat Symachus Lib. 1. Epiſt. 78.: *ſit enim ſæpè, ut judicij ſeveritatem frangat affectio; & amicorum facta, dictaque ea indulgentia cenſeamus, qua plerumque ſinguli etiam vitia noſtra diligimus*: non, inquam, ex hoc procedit erga religioſiſsimum Auctorem, quem intimè, & familiaritèr novimus, utique præditum humilitate profunda, affabilitate, & modeſtia maxima, ſapientia, & doctrina plenum. Sed quid dicemus cum cæperit ædificare, & non potuerit conſumare? Dignum erit fortè inſultatione parabolæ Chriſti Domini apud D. Luc. cap. 14.; ita ut illudentes dicamus: *hic homo cæpit ædificare, & non potuit conſummare*? Abſit.

Symach.

Luc. 14.

Fundamentum namque poſuit Curſui Theologico juxta V. Marianique Doct. illibatam doctri-

nam,

nam, non temere, & inconſultò, non ex vana præſumptione ſumptuum talentorum, qui non eſſent in illo ſed ex obedientia, cui non latebat abundantia ſumptuum virtutis, & doctrinæ, qua polebat, nec dum ad ponendum fundamentum, ſed etiam ad perficiendum totum opus, quod uti ex ipſo, & per ipſum, niſi juſto Dei judicio morte præventus fuiſſet, omnibus modis abſolutum, & conſumatum evaſiſſet. Huius ergo opus poſthomum eſt præſens, de quo illud Mantuani juri pronuntiamus: *legimus tanta animi voluptate, quanta luculentia explendet; ſed cum legendo, dum cupimus ſedare ſtatim, ſitis altera accreſcit; deſiderium ſcilicèt videndi reliquum.* Utinam quam citius! Ut publicæ utilitati, & deſiderio fiat ſatis, ſicut per hoc aliquomodo fieri judicamus; cum nihil contineat contra fidem, bonos mores, aut Regias, & Catholicas Sanctiones. Sic cenſemus (ſalvo &c.) & ſubſcribimus in hoc Regali Conventu S. P. N. Franciſci Valiſ-Oleti die prima Novembris anni Domini 1763.

Mant. ad Mirandul.

Fr. Emmanuel à Vega. *Fr. Ioannes Nieto.*

LICENT. ORDINIS.

FR. PETRUS JOANNETIUS DE MOLINA, SACRÆ Theologiæ Catholicæ Maieſtatis in Regali Congreſſu pro Immaculata Virg. Conceptione Theologus, iteràto Miniſter Generalis totius Ordinis fratrum Minorum S. P. N. Franciſci, & in Domino Servus.

PRæſentium vigore, quantum noſtra intereſt, cum merito ſalutaris obedientię, & noſtra benedictione, facultatem concedimus R. P. Miniſtro Provinciali noſtræ Provinciæ Conceptionis Regularis Obſervantiæ, ut typis evulgare poſsit tom. ſextum Curſus Theologici à prædicta noſtra Provincia compoſitum; eo quod de commiſsione noſtra à Theologis noſtri Ordinis recognitum, & aprobatum fuerit; nobiſque per ipſorum atteſtationem conſtet, nihil continere contra Fidem Catholicam, & bonos mores, & publicæ utilitati profuturum: ſervatis in reliquo cœteris de jure ſervandis. Dat. in hoc noſtro Conventu S. P. N. Franciſci Matriti die 15. Novembris ann. 1763.

Fr. Petrus Ioannetius de Molina.
Miniſter Generalis.

D.M.Rmi. in Chriſto P.
Fr. Joſeph Marin,
Sec. Gen. Ordinis.

CEN-

CENSURA, ET APPROBATIO DOMINI LIC. D. Petri à Tapia, olim in Maiori Ovetenſi Salmantinæ Univerſitatis Collegio Trabea inſigniti, & nunc Almæ Cathedralis Eccleſiæ Valliſ-Oletanæ Canonici Sacræ Theologiæ Lectoris.

EX commiſsione Illm. ac Rmi. D. D. Iſidori de Cosio Buſtamante, Epiſcopi Valliſ-Oletani, Regi noſtro Catholico à Conſilijs, Almæ Pontificiæ ac Regiæ Univerſitatis eiuſdem Urbis præclariſsimi Chancellarij, ſextum hunc tomum Theologicum juxta mentem Doct. Subt. Scoti, ſcriptum ac elaboratum à R.P.Fr. Antonio RuerK, Sacræ Theologiæ Lectore Ordinis Seraphici Franciſci, perlegi: in quo nihil inveni, quodcum catholica fide noſtra vel aliqua ex parte pugnet, multa tamen quæ laudarem; chriſtianam verè modeſtiam impertractandis quæſtionibus Scholaſticis redolet, ac nimis religioſum animum Auctoris ingenioſiſſimi, & apud ſuos fratres benemeriti ſatis oſtendit. Prodeat igitur in lucem tanti viri volumen iſtud, ex quo non minus uberes fructus, quàm ex cæteris, quæ cum tanta omnium admiratione, communi plauſu ab eodem Auctore iam diu litteris ſunt, & poſteritate traditæ, emanaturos eſſe bene ac feliciter ſperamus. Valliſ-Oleti die 22. Novembris anno 1763.

Lic. Petrus de Tapia.

NOS DON ISIDRO DE COSIO BUSTAMANTE, por la gracia de Dios, y de la Santa Sede Apoſtolica, Obiſpo de Valladolid, Prior, y Señor de Junquera de Ambia, del Conſejo de S.M., &c.

POR la preſente dàmos licencia para que ſe imprima, y dé à la eſtampa el ſexto tomo Theologico, ſu Autor el R. P. Fr. Antonio RuerK, Lector de Theologia del Orden Seraphico de N. P. S. Franciſco, mediante, que por la cenſura del Lic. Don Pedro de Tapia, Canonigo Lectoral de eſta nueſtra Santa Igleſia Cathedral, à quien de nueſtro orden, para ſu viſta, y reconocimiento, fue remitido, conſta no contiene coſa opueſta à nueſtra Santa Fé, y buenas coſtumbres. Valladolid, y Noviembre 24. de 1763.

Iſidro, Obiſpo de Valladolid.

Por mand. de S.I. el Obiſpo mi Señor.
Luis Garcia de Villalpando.
Vice-Secretario.

ERRA-

ERRATA SIC CORRIGE.

Littera P. notat Paginam. c. columnam. l. lineam.

PAgina 2. c. 2. l. 28. leg. *Creatori.* P. 51. c. 1. l. 17. leg. *quo.* & l. 22. leg. *conceſſa.* & l. 34. leg. *pœnitere.* P. 52. c. 2. l. 34. leg. *quod.* P. 58. c. 1. l. 32 leg. *omnis* P. 60. c. 1. l. 24. leg. *objectionum.* P. 57. c. 1. l. 3. leg. *dictum.* P. 74. c. 1. l. 22. leg. *poteſtis.* P. 109. c. 2. l. 14. leg. *pondere.* P. 112. c. 1. l. ult. leg. *præmovet.* Et c. 2. l. 28. leg. *proveniens.* P. 122. c. 2. l. 12. leg. *ad quem.* P. 124. c. 2. l. 5. leg. *ſed.* P. 115. c. 1. l. 8. leg. *auxilio.* P. 126. c. 1. l. 19. leg. *unus.* P. 128. c. 1. l. ult. leg. *non eſt certa.* P. 141. c. 2. l. 18. leg. *utramque.* P. 145. c. 1. l. 22. leg. *prædeſtinat.* P. 151. c. 1. l. 19. leg. *miror.* P. 152. c. 2. l. 24. leg. *ait.* P. 186. c. 1. l. ult. leg. *alioqui.* P. 192. c. 2. l. 31. leg. *gratiæ.* P. 210. c. 2. l. 30. leg. *Angeli.* P. 230. c. 1. l. 6. leg. *ſe.* P. 254. c. 2. l. 9. leg. *eundum.* P. 256. c. 1. l. 12. leg. *veritatum.* P. 257. c. 1. l. 9. leg. *vincant.* Et c. 2. l. 24. leg. *modus.* P. 266. c. 2. l. 3. leg. *augmentum.* P. 268. c. 1. l. penult. leg. *infundatur.* P. 270. c. 2. l. 18. leg. *Doctoris.* P. 271. c. 1. l. 3. leg. *ad hos.* & c. 2. l. 17. leg. *incurſi.* P. 274. c. 2. l. 37. leg. *peccator.* P. 275. c. 2. l. 34. & leg. *eſt.* P. 290. c. 2. l. 13. leg. *aliquem.* P. 293. c. 2. l. 24. leg. *perficitur.* & l. 36. leg. *durities.* P. 294. c. 1. l. 6. leg. *fuerit.* P. 197. c. 2. l. 7. leg. *gratiæ.* & l. 33. leg. *creſcat.* P. 299. c. 1. l. 17. leg. *attendamus.* & l. 36. leg. *aliquem.* P. 300. c. 1. l. 24. leg. *conducentibus.* P. 301. c. 2. l. 7. *è.* leg. *&.* P. 307. c. 1. l. 7. leg. *nullis.* P. 312. c. 2. l. 3. leg. *coincidit.* & l. 13. leg. *fundante.* P. 317. c. 2. l. 37. leg. *catholicum.* P. 321. c. 2. l. 26. leg. *omnes.* P. 325. c. 1. l. 27. leg. *malum.* & c. 2. l. penult. leg. *ſed quia vtile.* P. 328. c. 2. l. 35. leg. *Pontificum.* P. 340. c. 2. l. 20. &, leg. *eſt.* P. 348 c. 2. l. ult. leg. *omnibus.* P. 352. c. 1. l. penult. leg. *affectum.* P. 356. c. 2. l. 13. leg. *ad.* P. 360. c. 1. l. 32. leg. *auxilij.* P. 383. c. 2. l. 25. leg. *habituum.* & l. 26. leg. *actuum ſeu effectuum.* & l. 32. leg. *diſtinctius.* Pag. 384. c. 1. l. 16. leg. *efficit.* P. 388. c. 2. l. 20. leg. *diſtinctionem.* P. 395. c. 1. l. 35. leg. *ſubſtantia.* P. 400. c. 2. l. 32. leg. *fructus.* P. 402. c. 2. l. penul. leg. *diſtingui.* P. 403. c. 2. l. ult. leg. *ſtam.* P. 406. c. 2. l. 29. leg. *meritorum.* Pag. 410. c. 2. l. 6. & leg. *eſt.* P. 430. c. 1. l. 4. leg. *habetur.* & l. 9. leg. *formalis.* & c. 2. l. 31. leg. *ſpiritum.* P. 435. c. 2. l. 14. leg. *ex eo ſuadetur.* P. 436. c. 2. l. 11. leg. *nos.* P. 442. c. 2. l. 15. leg. *gratiæ.* P. 443. c. 2. leg. *condonare.* P. 444. c. 1. l. 34. leg. *conſideratę.* P. 464. c. 2. l. 11. leg. *ceſſet.* Pag. 467. c. 2. l. 34. leg.

in-

*inclinatum.P.*470.c.1.l.1.leg.*efficax.*& l.6.leg.*formali.P.*477.c.1.l.15. leg.*desineret.P.*480. c.2.l.5.leg.*condonatione.P.*491.c.2.l.3.leg.*aliquid. P.*510.c.2.l.20.leg.*supernaturalitatem.P.*512.c.1.l.7.*infinitum extensivè.*leg.*infinitum præmium.P.*521.c.2.l.21.leg.*retributione. P.*528. c.1. l.14.leg *decedentibus.P.*531.c.1.l.33.leg.*Dei.P.*533.c.2.l.2. leg. *hanc. P.*535.c.2.l.24.leg.*fidelitatis. P.*538.c.2.l.ult.leg.*quia.P.*551.c.2.l.29. leg *entitas.*& l.35 leg.*meritorum.P.*552.c.1.l.33.leg *quantam.P.* 553. c.1.l.13.leg.*posset.P.*554.c.1.l.12.leg. *dum non habet causam.*

Impresso con todas las licencias necessarias.

TRACTATUS XV.

DE AUXILIJS DIVINÆ GRATIÆ, SEU DE GRATIA ACTUALI.

PROOEMIUM.

QUamvis Summi Pontifices Paulus V. & Urbanus VIII. ſub graviſsimis pœnis omnibus, & ſingulis cujuſcumque Ordinis, Religionis, & dignitatis ſtrictiſsimè præcipiant, ne in poſterum de Auxilijs divinæ gratiæ, ſivè exprofeſsò, ſivè incidenter agant, tamen ſi hoc fiat modeſtia, qua par eſt, nullam inurendo cenſuram opinionibus Doctorum Catholicorum circa concordiam libertatis creatæ cum efficatia divinæ gratiæ, tunc, non ſolum eſt licitum, ſed neceſſarium de hac controverſia diſ-

putare, quatenus plura scitu digna, & directè spectantia ad prædestinationem, & voluntatem Dei, nequeunt penetrari absque notitia divinorum auxiliorum. Sit ergo

DISPUT. I.

DE NATURA GRATIÆ, ejusque divisionibus in communi.

QUÆST. UNICA.

An quid, & quotuplex sit gratia?

1 PRo intelligentia dicendorum notandum est, nomen *gratia* varias habere significationes: primo namque significat quandam formositatem corporis, juxta illud Prover. ultimo: *fallax gratia, & vana est pulchritudo*: secundo elegantiam in dicendo, juxta illud Psalm. 44.: *diffusa est gratia in labijs tuis*: tertio amorem, gratis impensum, juxta illud Genes. 6. *Noe invenit gratiam apud Deum*: quarto gratiarum actionem, juxta illud Dav. 2. Reg. cap. 2.: *ego reddam gratiam*. In nullo horum sensu procedit dubium. Quinto tandem sumitur gratia magis propriè, prout significat omne donum gratuitum, ex liberalitate Dei profectum, quo sensu benè percipitur, quomodo gratia non detur propter merita, sed omninò gratis, quare gratia nominatur. Nomen *gratia* non deribatur ex eo, quod gratum faciat subjectum, sed ex eo, quod gratis datur; si enim gratia, jam non ex operibus.

2 Ex quo infertur, quod ut gratia dicatur propriè gratia, necessarium est, quod à subjecto excludat duo debita, unum physicum, & alterum morale. Debitum morale se tenens ex parte meriti, refertur ad personam, cujus est exercere opera meritoria, juxta illud Pauli ad Rom. 4.: *ei, qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum meritum*. Debitum physicum se tenet ex parte conditionis naturæ, homini enim debetur, quod habeat rationem, libertatem, & reliqua, ad complementum naturæ humanæ pertinentia. Utrumque hoc debitum excludit gratia, strictè accepta; & si, ut inquit Augustin. Epist. 95. ad Innocentium: *quadam non improbanda ratione dicatur gratia Dei, qua creati sumus, ut essemus homines, & non nihil, aut cadaver, aut arbor, aut pecus, pro qua merito Creatori nostro gratias agere debemus, vix*

ta-

tamen in ullis, ſivè profeticis, ſivè apoſtolicis libris, ſic appellatam legimus. Quo præmiſſo.

3 Dico 1.: *gratia ſupernaturalis, de qua hîc, in tota ſua latitudine ſumpta, eſt donum ſupernaturale, gratuitum, excedens omne debitum, tam phyſicum, quam morale naturæ humanæ, ipſamque elevans, ut benè, & ſalutariter operetur, in ordine ad conſecutionem vitæ æternæ, & collatum ex meritis Chriſti.* Hæc deſcriptio coincidit cum illa, quam tradit Doct. in 3. Reportat. diſt. 2. quæſt. 1.: *gratia propriè dicitur gratuita voluntas Dei ſecundùm quod eſt ex mera liberalitate, ut diſtinguitur contra operationes communes, & ut datur abſque diſpoſitione acquiſita recipientis.*

4 Declaratur bonitas prædictæ deſcriptionis: dicitur *donum*, per quod, tanquam per genus convenit gratia cum omnibus alijs donis, etiam naturalibus, quæ divinus amor erga nos diffundit, apperit namque manum ſuam, & implet omne animal benedictione. Reliquæ particulæ ponuntur loco differentiæ; nam dicitur *ſupernaturale*, (ſive ſit tale quoad ſubſtantiam, ſivè quoad modum); quia dona, ſeu beneficia, quæ connaturalitèr ſequuntur creationem, non pertinent ad gratiam Chriſti de qua hic. Dicitur: *excedens omne debitum*; quia ſi gratia ullo modo debitum ſupponeret, jam non eſſet propriè gratia. Dicitur: *elevans naturam, ut ſalutaritèr operetur, &c.*; quia in hunc finem tendunt merita Chriſti profuſſuſque Dei amor erga creaturas rationales, in prima ſui creatione ordinatas ad finem ſupernaturalem. Dicitur tandem: *collatum ex meritis Chriſti*; quia merita Chriſti ſunt, quorum intuitu Deus benedixit nos omni benedictione ſpirituali in cœleſtibus, ut ait Apoſt. ad Epheſ. 1.

5 Ubi advertendum eſt, prædictam definitionem, non ſolum ſub ſe comprehendere omnes gratias ſupernaturales internas, animæ inhærentes, quales ſunt, tam habitus ſupernaturales fidei, ſpei, & charitatis, quam illuſtrationes, & cogitationes ſanctas intellectus, piaſque motiones, & affectiones voluntatis ſed etiam comprehendit ſub ſe gratias externas, ſeu dona ſupernaturalia, non inhærentia, ut ſunt divina lex, doctrina Evangelica, Chriſti miracula, inſtitutio Sacramentorum, ocaſiones bene operandi, á Deo ſpecialitèr propoſitæ, remotiones ocaſionum peccandi aliquo tempore factæ, & alia ſimilia, quæ præciſè ex parte

conditionis, ſeu creationis naturæ rationalis ſunt ipſi beneficia indebita.

6 Arguit. 1.: plura dona purè naturalia ſunt gratiæ per Chriſtum: ergo non eſt de ratione gratię, quod ſit donum ſupernaturale. Prob. antec.: gratia per Chriſtum eſt nobis neceſſaria ad implenda opera legis naturalis; ſed ad adimpletionem hujuſmodi operum non requiritur gratia ordinis ſupernaturalis: ergo, &c. Prob. min.: finis, & media, conducentia ad talem finem, debent proportionari, ſeu eſſe ejuſdem ordinis; ſed gratia ſupernaturalis, & impletio operum legis naturę non ſunt ejuſdem ordinis, cum unum ſit naturale, & alterum ſupernaturale: ergo, &c. Reſp. negando antec. Ad prob. diſting. min.: ad impletionem hujuſmodi operum, prout ſunt ordinata ad ſalutem, non requiritur gratia ordinis ſupernaturalis, nego min.: prout ſunt opera purè naturalia, & nullatenùs ordinata ad finem ſupernaturalem, conc. min. Omnis gratia procedens ex meritis Chriſti, ordinatur ad finem ſupernaturalem, propterèaque eſt ſupra omne debitum naturæ, conſideratę in ſe, & preciſivè ab elevatione ad finem ſupernaturalem in prima ſui creatione. Unde, ſivè loquamur de natura in ſtatu innocentię, ſivè loquamur de ipſa ſuppoſita ejus infirmitate, contracta per peccatum Adami, ſemper eſt neceſſaria gratia ordinis ſupernaturalis ad implenda prędepta legis naturę, prout oportet ad ſalutem. Si autem homo eſſet conditus in ſtatu purę naturę, hoc eſt, abſque peccato, & gratia ulla ſupernaturali, ut potuit, tunc ad implenda opera legis naturę non indigeret gratia ordinis ſupernaturalis, data per Chriſtum; benè verò gratia aliqua actuali illius ordinis, in quo conditus fuiſſet.

7 Arguit. 2.: quod datur ex meritis, non datur gratis; ſed homo per bona opera meretur gratiam ſanctificantem, vel augmentum ejus, quod dicitur gratia ſecunda, & prętera meretur per talia opera ulteriores gratias actuales: ergo non benè ponitur in definitione gratię, quod ſit donum gratuitum. Reſp. diſtinguendo min.: ſed homo per bona opera meretur gratiam ſanctificantem, dependentèr à prima gratia actuali, purè gratis data, conc. min.: independentèr à tali gratia actuali, neg. min. Eiſdem terminis diſtinguatur probatio imbibita. Itaque, licet per bona opera mereamur gratiam ſanctificantem, & aliquando alias ulteriores gratias actuales, tamen quia ſemper pri-

prima gratia actualis, quę est principium illius meriti, non cadit sub merito, ideo omnia, quę procedunt ab ipsa, retinere debent nomen gratię.

8 Arguit. 3.: gratia collata Angelis, & Adamo in statu innocentię, licet fuerit ordinis supernaturalis, non fuit ex meritis Christi: ergo malè apponitur in discreptione gratiæ prędicta particula. Resp. negando antec.; quia omnino gratia, data sive Angelis, sive Adamo pro statu innocentię fuit propter Incarnationem Verbi Divini pręvisam, etiam si Adamus non peccasset. Unde, cum Christus fuerit caput hominum, & Angelorum, hinc est, quod gratia Christi dicenda est gratia capitis, altera verò gratia sivè eadem aliter circunstantionata, quę confertur hominibus post absolutam pręvisionem lapsus Adami est gratia Christi, ut Redemptoris, quæ dicitur medicinalis, sicut & gratia capitis dicitur gratia sanitatis. De utraque ista gratia infra erit loquendum.

9 Dico 2.: *datur gratia supernaturalis interna, super addita naturæ humanę, ipsam corroborans in ordine ad vitam æternam consequendam.* Est de fide ex pluribus Script. locis, & Conciliorum definitionibus. Eam docet Scotus in 2. dist. 28. quæst. unica, ubi inquirens: utrum liberum arbitrium sine gratia possit cavere peccatum mortale, & adductis tribus propositionibus August. pro affirmativa, ait: *contra, in hoc videtur esse hæresis Pelagiana, quod liberum arbitrium sufficiat sine gratia.* Idem docet ibidem §. *ad quæstionem potest dici*: ergo, juxta Doct. Subt. datur gratia, &c. Probationes ex Script., Concilijs, & PP. in re ita ovia adducere, nimis molestum esset. Sufficiat pro omnibus illud Pauli 1. ad Corinth. 15.: *abundantius illis omnibus laboravi, non ego autem, solus, sed gratia Dei mecum.* Ex quibus patet, dari gratiam Dei, & quod ista, & liberum arbitrium ambo in recto laborant in ordine supernaturali. Prob. ratione: necessarium fuit, ut nostra natura, vulnerata per peccatum, sanaretur, & in potentijs internis animę roboraretur; sed hoc nequit fieri de facto nisi per gratiam supernaturalem internam, nostrę naturę superadditam, ipsamque corroborantem in ordine ad vitam æternam consequendam: ergo, &c.

10 Objicitur 1.: Apost. ad Rom. 2. increpat Iudeos in hoc, quod gentes sine lege data, servabant legem suis bonis operibus, ubi tamen Iudei legem sibi datam, non obser-

va-

vabant ; ſed gentes non habuerunt gratiam ad ſervandam legem, ipſis non datam: ergo ad bona opera facienda non eſt neceſſaria nova gratia; & conſequenter gratia, ſupra definita, & interna non datur. Reſp. negando mai. cum Doct. in 2. diſt. 28. q. unica, §. *ad argumenta*, cujus ratio ibi eſt hęc : *ſi ſolum filij Iſrael erant obligati ad ſervandam legem Moyſes, tunc gentiles potuerunt juſtè vivere ſervando legem naturæ, uti fecit Iob, qui non fuit Iudeus, & ſervavit tamen totam legem naturæ, in quo caſu gentiles ſibi ipſis facti ſunt lex per legem naturę, cordibus eorum ſcriptam, qua interius direxerunt ſe rectè vivendo, ſicut Iudei per legem externis characteribus ſcriptam; attamen, nec hi, nec illi juſtè vixerunt in ordine ad ſalutem acquirendam ſine omni gratia interna, nam potuit gratia ſanctificans eſſe in gentilibus ex ſuppoſitione, quod non tenebantur ad obſervantiam legis Moſaycæ. Si verò tenebantur gentiles ad legem Moſaycam ſervandam, & ſcienter non obſervabant, tunc fuerunt in peccato, & ſic omninò ſine gratia ſanctificante, licèt ipſis non deſuit gratia actualis excitans, & movens ad converſionem.*

11 Objicies 2. : huiuſmodi gratia interna, quę dicitur neceſſaria ad benè operandum, vel habet infallibiliter effectum bonum, vel non? Quodcumque dicatur eſt inconveniens : ergo talis gratia non eſt admittenda. Prob.min.: ſi infallibiliter habet effectum, neceſsitat noſtrum liberum arbitrium ; aliunde, ſi non habet infallibiliter effectum, non eſt neceſſaria ad talem effectum conſequendum, quorum quodlibet eſt inconveniens : ergo, &c. Maior conſtat, quia quotieſcumque aliquod antecedens, quod eſt neceſſarium ad aliquem effectum, eſt in ſolius Dei poteſtates, ſi ponitur, neceſsitat voluntatem. Minor etiam patet ; nam eo ipſo, quod talis gratia non habet infallibiliter effectum, jam ut effectus ſit, non gratia, ſed potius liberum arbitrium videtur requiri.

12 Reſp. huiuſmodi gratiam internam aliquando infallibiliter habere effectum bonum, & aliquando non, & quando habet infallibiliter effectum, hujuſmodi infallibilitas non eſt antecedens quia ſic neceſsitaret voluntatem, ſed eſt purè conſequens, & in ſenſu compoſito actionis, ad quam liberum arbitrium ſe ſolo non ſufficiebat. Unde penès liberum arbitrium eſt, quod talis gratia habeat, vel non habeat infallibiliter effectum,

tum, cum hoc ſolo diſcrimine, quod quando non habetur effectus bonus, præſuppoſita gratia interna movente, tunc liberum arbitrium ſe ſolo, & ratione dominij, quod habet ſupra ſuos actus, eſt ſufficiens ad reſiſtendum gratiæ; quandò verò habetur infallibiliter effectus, infallibilitate jam explicata, tunc gratia eſt ſimpliciter neceſſaria concurrente libero arbitrio tanquam cauſa partiali, ſe ipſum activè determinante. Nec obſtat, quod entitas gratiæ non ſit in poteſtate voluntatis ſed ſolius Dei; quia eadem entitas gratiæ quoad uſum, vel non uſum eius, eſt in manu noſtra.

13 Objicitur 3.: quod convenit alicui ab intrinſeco ipſi convenit independenter à quocumque ſuperaddito; ſed poſſe non peccare convenit ab intrinſeco naturæ eſſentialiter liberæ, qualis eſt noſtra voluntas: ergo ſine gratia habet natura libera ab intrinſeco poſſe non peccare, & conſequenter, &c. Diſtinguo minorem: ſed poſſe remotè non peccare ab intrinſeco convenit naturæ liberæ, conc. min.: poſſe proximè, ſubdiſting.: ſuppoſito adjutorio gratiæ, dantis talem proximam potentiam, conc.: iſto adjutorio non ſuppoſito, neg. min. Itaque, licet natura libera ſit de ſe vertibilis ad utrumlibet, tamen, ut ſe vertat ad objectum, excedens ſuas proprias vires, quale eſt, poſſe proxime non peccare, maximè, ſi urget tentatio, indiget aliquo ſuperaddito, ſcilicet, ſupernaturali auxilio. Declaratur: homini ſano convenit, & quidem de neceſſitate, poſſe ambulare; eidem verò, jam pedibus fracto, non convenit tale poſſe ſine ſuſtentaculo. Sic in præſenti, naturæ liberæ, jam fractæ, & lapſæ non amplius ineſt, poſſe proximè non peccare ſine ſuſtentaculo gratiæ, ſibi adjuncto: immo natura ſana, & integra in ſtatu innocentiæ, licèt facilius, quam nunc poſſet non peccare, & operare bonum, tamen ad benè operandum indigebat gratia habituali, aliiſque donis ſupernaturalibus, juſtitiæ originali anexis.

14 Dico 3.: *gratia ſupernaturalis ut ſic dividitur primo in gratiam gratis datam, & in gratiam, gratum facientem.* Gratia gratis data eſt ſupernaturale donum, homini collatum, conducens primariò, & per ſe ad ſalutem alterius, non autem per ſe ad ſalutem illius, in quo eſt. Quare, licèt omnis gratia ſupernaturalis ſit gratis data, tamen gratis data, anthonomaſticè loquendo, vocatur illa, quæ confertur ad ſa-

ſalutem aliorum qua de cauſa Chriſtus ſimiles gratias dans Apoſtolis, dixit, eas gratis eſſe datas, nam quando dixit: *infirmos curate, mortuos ſuſcitate, &c.*, ſubjungit: *gratis accepiſtis, gratis date.* Hujus gratiæ gratis datæ novem ſunt ſpecies, juxta Paul. 1. ad Corint. 12., ſcilicet: *ſermo ſapientiæ, ſermo ſcientiæ, fides, gratia ſanitatum, operatio virtutum, prophecia, diſcretio ſpirituum, gratia linguarum, interpretatio ſermonum.*

15 Explicantur brevitèr: *ſermo ſapientiæ* ſumitur pro dono loquendi, inferendo concluſiones circa myſteria, & prædicata divina. *Sermo ſcientiæ* ſumitur etiam pro dono loquendi, inferendo ex principijs fidei concluſiones circa objecta creata. *Fides*, non ſumitur pro habitu infuſo, & virtute Theologica, ſed pro fiducia ad patranda miracula, vel pro dono ita clare proponendi myſteria fidei, ut etiam à rudibus intelligantur. *Gratia ſanitatum* eſt donum ſanandi ſubitó morbos. *Operatio virtutum* ſumitur pro dono patrandi celeberrima miracula ad potentiam Dei clarius manifeſtandam, ut fecerunt Moyſes, Chriſtus, & Apoſtoli. *Prophecia* eſt donum prædicendi futura, & manifeſtandi ſecreta cordium. *Diſcretio ſpirituum* ſumitur pro dono diſcernendi affectus cordis, utrum ſint à natura, an à Spiritu divino, an à Dœmone, transformato in Angelum lucis. *Gratia linguarum* ſumitur pro dono loquendi varijs linguis, nullo adhibito ſtudio. *Interpretatio ſermonum*, eſt donum apperiendi ſenſus, latentes in Scriptura.

16 Gratia gratum faciens dividitur in actualem, & habitualem, & habitualis, de qua in præſenti non agitur, eſt habitus intrinſicè permanentèr inhærens animæ, ipſam formalitèr ſanctificans, & cum ea concurrens ad actus meritorios vitæ æternæ eliciendos. Gratia actualis eſt quoddam ſupernaturale auxilium datum creaturæ rationali, ad ſalutaritèr operandum, & cum ipſa operatione ſalutari tranſiens. Ad hujuſmodi auxilium pertinent bonæ cogitationes in intellectu, piæ, & ſuaves motiones in voluntate, necnon timores, terrores, & alia hujuſmodi cœlitus emiſſa, per quæ excitamur, à malo deterremur, & ad bonum incitamur. De gratia ſic ſumpta ſermo erit in toto iſto Tractatu.

17 Actualis gratia dividitur in *operantem*, & *cooperantem*. Gratia operans eſt donum ſupernaturale per quod Deus

Deus operatur in nobis ſine nobis incipientibus. Hęc gratia etiam dicitur *præveniens, excitans, & vocans.* Dicitur *præveniens*, quia antevertit uſum liberi arbitrij ad conſenſum ſalutarem, ad quem movet voluntatem. Dicitur *excitans*, quia fungitur officio alicujus excitantis. Et dicitur *vocans*, quia hominem à peccato vocat, ut ad Deum reddeat, & ſe convertat. Circa definitionem gratię operantis advertite, quod, licèt dicatur *donum ſupernaturale per quod Deus operatur in nobis ſine nobis*, hoc non eſt ita intelligendum, quod nos ad talem gratiam nullatenùs activè phyſicè concurramus, cum illa bona in intellectu cogitatio, & pia in voluntate affectio, licèt ſubitanea utraque, ſemper ſit actus vitalis, proindeque neceſſariò ſit dependens juxta præſentem providentiam à potentia vitali. Dicitur ergo *in nobis ſine nobis*, quia ad gratiam operantem non concurrimus liberè libertate contingentię, ſed ad ſummum liberè libertate eſſentiali.

18 Gratia cooperans, quæ etiam dicitur adjuvans, comitans, ſubſequens, & conſequens, eſt illa, per quam Deus nobiſcum operatur ipſam volitionem ſalutarem, qua volumus bonum, ad quod nos excitat, & prævenit. Apellatur *ſubſequens*, quia Deus per ipſam nos confirmat in bono velle, ſeu propoſito, & in opere, quod nobiſcum operatur, ne defficiamus, ſed ut proficiamus, & perſeveremus, ut docet Auguſt. de *natura, & gratia*, cap. 32. dicens: prævenit, *ut ſanemur, ſubſequitur, ut ſanati vegetemur; prævenit, ut vocemur, ſubſequitur, ut glorificemur; prævenit, ut velimus, ſubſequitur, ut tum illo ſemper vivamus.* Ubi advertite, quod eadem realitèr entitas gratiæ poteſt exercere hęc tria munera, ſcilicet, prævenire, vocare, excitare, ſeu operari; comitari, adjuvare, cooperari, & ſubſequi, ſeu perficere; ſemper enim eſt eadem miſericordia, inquit Auguſt. in Enquiridionis cap. 22. *quæ prævenit nolentem, ut velit; ſubſequitur volentem, ne fruſtra velit.*

19 Gratia prævenies, ſeu excitans dividitur ulterius in *ſufficientem, & efficacem.* Sufficiens dicitur illa, qua poſſumus cooperari, de facto tamen non cooperamur, quia nolumus. Efficax eſt, cui de facto conſentimus, & qua cooperamur, & effectus, qui per illam intenditur, habetur. Gratia ſufficiens alia dicitur pro-

ximè ſufficiens, & alia dicitur, non proximè, ſed remotè ſuficiens. Prima eſt, cui nihil deeſt ex parte gratiæ, ut conſenſum obtineat. Secunda eſt, qua poſita, adhuc Deus habet expectare ex parte noſtra aliquam conditionem, ſivè conatum, ut augeat vocationem, & ut fortius operetur, ac moveat.

20 Ubi diligentèr notandum eſt, quod hæc gratia remotè ſufficiens, ſi comparetur ad initium bonæ operationis, eſt per ſe immediatè ſufficiens ad connatum, ſi velimus, non tamen ad plenum conſenſum, & opus ſalutare perfectum, niſi ei addantur à Deo ulteriores vires, quæ nunquam deerunt, ſi primis illis motibus debilibus cooperamur. Explicatur: quando Deus excitat peccatorum ad pœnitentiam, hoc non ſemper facit per gratiam, ita fortem, ut primo impetu valeat deteſtari peccatum, ſed aliquando paulatim movet, ut peccatum ei diſplicere incipiat, & ſic paulatim ſe pręparando per cooperationem primæ vocationi, Deus dabit ulteriores vires, ad opus completum pœnitentiæ; ſi verò reijcit peccator priores motus, Deus juſtè retrahet ſuas gratias, ipſumque deſeret, eſto neminem deſerat, niſi prius deſeratur. Sunt, & aliæ gratię diviſiones, ex quibus eſt una in gratiam *ſanitatis, & medicinę*, de qua erit agendum infrà. Eſt & alia apud ſectatores Scientiæ mediæ in gratiam *congruam*, & *incongruam*, & iſta poſterior diviſio à nobis rejicitur eodem jure quo Scientia media.

21 Nec dicant Contrarij, hujuſmodi diviſionem gratię in *congruam*, & *incongruam* clariſsimè fundari in Auguſtino: ergo debet admitti talis diviſio. Prob. antec.: Auguſt. enim libro ad Simplicianum quęſt. 2. de gratia congrua ſic loquitur: *an fortè illi, qui hoc modo vocati ſunt, & non conſentiunt, poſſent alio modo vocati acomodare voluntatem fidei? Ut & illud verum ſit: multi vocati, pauci electi, ut quamvis multi uno modo vocati ſint, tamen, quia non omnes uno modo affecti ſunt, illi ſoli vocationem ſequuntur qui ei capiendæ reperiuntur idonei. Verum eſt ergo multi vocati pauci electi. Illi enim electi qui congruentèr vocati; illi autem qui non congruebant, neque contemperabantur vocationi, non electi, quia non ſequuti, quamvis vocati.* Et paulo poſt loquens de gratia incongrua ait: *Quia ſi vellet etiam ipſorum miſe-*

ſereri, poſſet ita vocare, quomodo illis aptum eſſet, ut & moverentur, & intelligerent, & ſequerentur.

22 Et multò poſt ait: *Hic dicet aliquis: cur ergo Eſau non ſic eſt vocatus, ut vellet obedire?* Et magis infra ait: *Quis audeat dicere, defuiſſe Deo modum vocandi, quo etiam Eſau ad eam fidem mentem applicaret, voluntatemque coniungeret, in qua Jacob iuſtificatus eſt?* Et concludit: *non defuiſſe Deo modum, attamen ipſum modum denegaſſe Eſau, quia cui vult miſeretur, & quem vult indurat. Neque propterea apud Deum eſſe iniquitatem, quia in uno exigit, quod ſibi debetur, & in altero quod ſibi debetur, donare voluit.* Quibus verbis docet Auguſt., inquit Vazquez 1. 2ę. diſp. 185., Deum iuſtè denegare aliquibus gratiam congruam eo quod omnes ratione peccati originalis ſimus indigni talis gratiæ.

23 Reſp. Auguſt. neque ibi neque alibi refudiſſe incongruitatem gratię in aliud principium, quam in obſtinationem mentis, & deffectum voluntatis; loco enim citat. ait: *Multi vocati, pauci electi. Utique ij, qui vocantem non contempſerunt, ſed credendo ſequuti ſunt*: ergo ideo aliqui non ſunt electi, quia quando vocati, non ſunt ſequuti. Et paulo poſt: *Noluit ergo Eſau, & non cucurrit, ſed etſi voluiſſet, & cucurriſſet, Dei adiutorio perveniſſet, qui ei etiam velle, & currere vocando præſtaret, niſi vocatione contempta, reprobus fieret*: ergo Auguſtinus non in Deum, neque in eius gratiam refundit, quod Eſau non cucurriſſet, ſicut eius frater Jacob, ſed in deffectum ſuæ voluntatis contemnentis vocationem Dei. Unde loca Auguſt. adducta pro nobis debent interpretari, ut fuſius videbimus tractando alios Auguſtini textus, ubi exprofeſſo diſcutit hanc difficultatem. Tandem dicere quod Deus iuſte denegat gratiam congruam, quia eius facti ſumus indigni per peccatum originale, non bene cohæret cum illo Ezech. 33.: *Vivo ego, dicit Dominus Deus. Nolo mortem impij, ſed ut convertatur impius à via ſua & vivat. Convertimini à vijs veſtris peſſimis.*

***

DIS-

DISPUT. II.

DE GRATIA ACTUALI OPERante, & cooperante.

QUÆST. PRIMA.

In quo conſiſtat Gratia actualis, tam operans, quàm cooperans?

1 NOtate 1.: quod nomine gratiæ actualis poteſt intelligi quæcumque motio à Deo ſupernaturaliter indita, quæ ad æternam ſalutem conducat, ſive talis motio ſit interna, ſive ſit externa ut lex divina, prædicatio Evangelij, exempla Sanctorum, tribulationes temporum, flagella Dei, Peſtis, fames, bellum, & alia hujuſmodi, quibus Deus ſolet homines retrahere à malo; nam experientia nos docet, quod mala multoties conducunt magis ad aliquorum converſionem, quam bona. In præſenti non eſt ſermo de iſta gratia externa nobis externe applicata, ſed ſolum de gratia illa interna, quę per modum auxilij tranſeuntis ad intra comunicatur, interiuſque movet potentias ad bene operandum in ordine ad ſalutem æternam.

2 Notate 2.: quod hæc gratia actualis interna eſt duplex: una eſt, quæ operatur in nobis ſine nobis; ab aliquo enim extranco nobis infunditur, & inſpiratur, ut voluntatem noſtram vocet, præveniat, & excitet; propterea que *excitans, vocans, operans ſeu prævenians* appellatur. Altera eſt, quæ nobiſcum operatur, ſeu quam Deus nobiſcum deliberate agentibus operatur; & eſt ſpeciale auxilium, quo Deus cum noſtra voluntate concurrit ad liberum conſenſum, ac etiam cum intellectu ad aſſenſum myſteriorum fidei eliciendum; ideoque *cooperans, adjuvans, ſeu concomitans* appellatur; tum quia illa nobiſcum dicitur operari; tum quia, & nos nuncupamur cooperatores cum tali gratia.

3 Notate 3.: quod iſta gratia actualis operans adæquate ſumpta non conſiſtit in ſola illuminatione ſeu cognitione nova, à Deo infuſa intellectui, nec in ſola pia motione, & affectione voluntatis. Ratio eſt, quia gratia operans actui meritorio proportionata duplicem includit actum, quorum unus aperit quod latebat, & alter ſuave facit, quod non delectabat, ut loquitur Auguſt. lib. 2. de pec-

peccatorum meritis, & remissione cap. 1. & 19. imo talis gratia debet involvere quosdam speciales motus infusos phantasiæ, & appetitus: ergo gratia operans adæquate sumpta non consistit in sola illuminatione, &c.

4 Probat. antec.: posita tantum in intellectu cognitione boni, non potest voluntas illud amare libere supernaturaliter, nisi supernaturaliter in eo sibi complaceat; nec potest voluntas sibi supernaturaliter complacere, nisi de tali bono supernaturaliter illustretur intellectus; sed tam illustratio supernaturalis, quam supernaturalis complacentia immediate debet esse à Deo: ergo ut actus procedens à gratia operante evadat meritorius debet includere illustrationem supernaturalem ex parte intellectus, & supernaturalem motionem ex parte voluntatis. Confirm. ex Augustino lib. 1. de Gratia Christi cap. 12. dicente: *Qua gratia agitur, non solum ut facienda noverimus, verum etiam ut cognita faciamus, nec solum ut diligenda credamus, verum ut credita diligamus.* Et cap. 13. *Sic enim docet Deus, eos qui secundum propositum vocati sunt, simul donans.* (supple gratia operante) *& quid agant scire, & quod sciunt agere.* Ergo iuxta Augustinum gratia operans necessario requirit prædictum duplicem actum.

5 Et si dicas: posito lumine supernaturali in intellectu, connaturaliter sequitur affectus in voluntate: ergo ad rationem gratiæ operantis sufficit illustratio supernaturalis in intellectu, quamvis nullus affectus specialis infundatur voluntati. Prob. antec.: August. lib. de Spir. & litt. cap. 34. explicat gratiam operantem per solam illuminationem intellectus, nulla facta mentione actus voluntatis; ibi enim ait: *visorum suasionibus, agit Deus ut velimus & ut credamus*, ubi per ly *visorum suasionibus* solum intelligitur illuminatio intellectus: ergo posito lumine, &c.

6 Resp. neg. antec.: quia stantibus quibuscumque illuminationibus supernaturalibus ex parte intellectus de rebus obscuris, & impervijs, adhuc stat magna difficultas ex parte voluntatis ad imperandum assensum, maxime cum in contrarium stent principia naturalia opposita, quibus potius quam illis supernaturalibus, voluntas, naturaliter loquendo, imperaret, se se esse conformandam: unde ut se conformet illuminationibus su-

per-

pernaturalibus, aliquidumque ſalutarem imperet, indiget pia motione ipſam interius roborante. Neque obſtat contra hoc quædam doctrina Scoti in 3. diſt. 25. q. 2. laterali, quam alibi commodius explicabimus. Ad probat. ant. ex Auguſtino diſt. antec.: explicat gratiam operantem inadæquate ſumptam per ſolam illuminationem intellectus conc. antec.: gratiam operantem adæquate ſumptam neg. ant. Auguſtinus ergo ibi ſolum loquitur de gratia operante inadæquate ſumpta, prout ſe tenet ex parte intellectus, quæque proprie dicitur incipere negotium ſalutis; nam dum loquitur de gratia adæquate ſumpta, expreſſe requirit duplicem illam gratiam ſupra numeratam num. 3. immo diſputans contra Pelagium principaliter ſtatuit gratiam operantem pro voluntate, quia non erat adeo certum, an Pelagius gratiam illuminationis intellectus negaret. Quibus ſuppoſitis ſit.

CONCLUSIO.

7 Gratia actualis operans, ſive excitans, conſiſtit in actibus vitalibus Sanctarum illuſtrationum, piarumque affectionum, quas Deus produceit in nobis, ſine nobis libere, aut moraliter concurrentibus. Idem dico de gratia cooperante, modo inferius explicando. Eſt communis Scotiſtarum (excepto Felice) & Jeſuitarum cum Suarez lib. 3. de Auxilijs contra Thomiſtas, qui dicunt, gratiam operantem non ſolum conſiſtere in actibus indeliberatis vitalibus intellectus, & voluntatis, ſed etiam in qualitate quadam mortua ſupernaturali, eſſentialiter fluida, ſeu tranſeunte cum actibus, ad quos prævie movet per modum impulſus phyſici active concurrentis ad actus indeliberatos intellectus, & voluntatis. Thomiſtæ ergo ſummarie dicunt, quod Deus nobis infundit iſtam qualitatem mortuam ſupernaturalem, eſſentialiterque fluidam ad hoc, ut ſimul cum intellectu, & voluntate producamus illos actus vitales, & indeliberatos Sanctarum illuſtrationum, piarumque motionum in ordine ad ſalutariter operandum.

8 Prob. 1. Concluſ.: in eo tantum conſiſtit gratia actualis, quod in Conciliis, & Patribus reperitur expreſſum, vel fundatum; ſed in Concilijs, & PP. dum loquuntur de gratia actuali, ſolum reperiuntur pię illuſtrationes intellectus, motuſque ſubitanei voluntatis ita ut nulla unquam fiat mentio

tio alicujus qualitatis non vitalis antecedentis illuſtrationes ſupernaturales intellectus, pioſque motus voluntatis: ergo gratia actualis conſiſtit in actibus vitalibus, &c. Maior conſtat, quia omnis doctrina de gratia, ut in plurimum; ex ſolius Dei revelatione deſcendit, quæ nobis iuxta legitimum ſenſum Scripturę per Concilia, & Patres innoteſcit. Min. vero probat. quia Concilia, & PP. gratiam operantem ſemper appellant vocationem, illuſtrationem, inſpirationem, ſuavem motionem, aut quid ſimile: ergo in Concilijs, & Patribus, dum loquuntur de gratia operante, &c.

9 Probat. antec. 1. ex Trident. ſeſſ. 6. cap. 5. ubi ait: *Declarat præterea Sancta Synodus ipſius iuſtificationis exordium in adultis à Dei per Chriſtum Ieſum præveniente gratia ſumendum eſſe, hoc eſt, ab eius vocatione, qua, nullis eorum exiſtentibus meritis, vocantur... ita ut tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem, &c.*; ſed hæc *vocatio*, de qua Concilium non eſt qualitas mortua, ſed actus vitalis quo cognoſcimus voluntatem Dei, & interne illuminamur, & *illuminatio* qua Deus tangit cor hominis, nihil aliud eſt quam cognitio in intellectu producta, qua ſupernaturaliter cognoſcimus quid ſit bonum & honeſtum: ergo, &c. Idem docet Senonenſe decreto 16. de libero arbitrio, his verbis: *iuxta Sacram Scripturam, eo extendimus, ut voluntas humana Miſericordiæ prævenientis auxilio ſuffulta, & interiori quodam, & occulto ſecretioris inſpirationis afflatu contactum ſe ſe convertat in Deum.*

10 Probat. 2. ex Aug. citat. num. 4. dicente: *viſorum ſuaſionibus agit Deus ut velimus, & credamus.* Et lib. 2. de Peccatorum meritis, & remiſ. cap. 17. ut autem innoteſcat: *quod latebat, & ſuave fiat, quod non delectabat, gratiæ Dei eſt, quæ hominum adiuvat voluntates.* Idem docet cap. 19.: ſed *ſuadere, innoteſcere*, & ſimilia ſunt actus vitalis: ergo, &c. Idem docet D. Proſper. lib. 2. de Vocatione Gentium cap. 26., & D. Bernardus de Gratia, & libero arbitrio, dicens: *conatus noſtri, & caſſi ſunt, ſi non adiuventur, & nulli, ſi non excitentur*; ſed adiuvare, & excitare ſunt actus vitales: ergo, &c.

11 Probat. 3.: gratia operans, ſeu excitans eſt qua Deus hominem velut dormien-

tem

tem à ſomno excitat, ut evigilet; ſed talis excitatio non ſit per habitum intrinſecè, & permanenter inhærentem, nec per qualitatem ullam antecedentem actus intellectus, & voluntatis: ergo talis excitatio præciſſe fit per actus ſanctæ cogitationis in intellectu, piæque motionis in voluntate. Probat. min.: dum anima, aut aliqua eius potentia eſt ſolum cum habitu, aut cum aliquo prævio ad ſuum actum, ſe habet, ut dormiens, uſque dum actu ſuo attendat, & advertat: ergo prædicta excitatio, &c. Confirm. à pari: pravi motus indeliberati ex parte voluntatis communiter ſequuntur pravas cogitationes præcedentes ex parte intellectus: ergo etiam motus ſubitanei, & affectus ſupernaturales ex parte voluntatis in bonum communiter ſequuntur ſanctas cogitationes, & illuſtrationes ex parte intellectus. Nunc ſic; ſed eo ipſo quod huiuſmodi actus indeliberati conducant ad ſalutem, ſintque cauſa, vel concauſa aliorum actuum ſupernaturalium, ut ſunt conſenſus ſalutares, proprie, & rigoroſe dicuntur gratia operans: ergo, &c.

12 Probatur denique Concluſio ratione negativa: nulla neceſſitas alicuius qualitatis non vitalis, & eſſentialiter fluidę, in qua conſiſtat gratia operans, poteſt unquam ſufficienter oſtendi: ergo in tali qualitate nullo modo conſiſtit gratia operans. Iiſdem rationibus probatur, gratiam cooperantem conſiſtere in actibus vitalibus, ſuppoſito quod entitative non diſtinguatur à gratia operante. Quod ſuppoſitum quæſtione ſequenti probabimus. Quomodo autem tales actus vitales indeliberati fiant in nobis ſine nobis libere concurrentibus, patebit ex ſolutione argumentorum.

13 Arguit. 1.: gratia operans eſt illa, quam Deus facit in nobis ſine nobis: ergo talis gratia non conſiſtit adæquatè eſſentialiter in actibus vitalibus. Conſequentia patet; quia actus vitales, cum ſint immanentes, & à vivente producantur, ideo illuſtrationes, & pię affectiones habent produci à nobis. Antec. probatur ex illo Pſal. 120.: *auxilium meum à Domino, qui fecit Cœlum, & terram*; ſed Cœlum, & terra à ſolo Deo ſunt producta abſque alterius influxu: ergo, &c. Confirm. ex Arauſicano ſecundo cap. 20. dicente: *multa in homine bona fiunt, quæ non facit ipſe homo*; ſed hic loquitur Conc. de gratia prævenient: ergo, &c.

Reſp.

14 Reſp. diſtinguendo antec. gratia præveniens, eſt, quam Deus producit in nobis ſine nobis moralitèr, aut meritoriè concurrentibus, conc. antec.: ſine nobis, phyſicè, & vitalitèr concurrentibus, nego antec.: & ad probat. concedo præmiſſas, & nego conſeq., quæ non infertur; non enim dicit Pſalmiſta, quod gratia eodem modo producitur à Deo, ac producuntur Cœlum, & terra, ſed tantum, quod producuntur ab eodem Deo Cœlum, & terra, à quo producitur gratia, licèt diverſo modo. Ad confirm. ex Arauſicano explico mai.: multa in homine bona fiunt, quæ non facit moralitèr, & meritoriè ipſe homo conc.; quæ non facit phyſicè, nego mai., & conceſſa min., neg. conſeq. Concilium ergo non excludit niſi influxum moralem, & meritorium, reſpectu gratiæ prævenientis, nec plus ad ejus requirebatur intentum, quia ibi contra Semipelagianos definit, quod natura, niſi gratia Dei præventa, non poteſt elicere actum ſalutarem.

15 Ad clariorem hujus rei intelligentiam advertere oportet, quod hæc particula *ſine nobis* poteſt excludere triplicem cooperationem, phyſicam ſcilicèt, liberam, & meritoriam, quam verò excludat, non aliunde eſt colligendum, niſi ex circunſtantijs, & ex ſubjecta materia. Unde, in hac materia de gratia præveniente eſt fide certum, quod ly *ſine nobis* ſemper excludit cooperationem liberam, & meritoriam. Ratio; quia ſi homo in primam gratiam libere influeret, ipſamque mereretur, jam gratia non eſſet gratia, nec ea, quę ipſam conſequuntur, poſſent dici gratia. Quæ tamen ideo gratia dicuntur, quia in prima gratia, tanquam in radice, gratis omninò dantur. Non tamen excludunt Concilia, aut PP. per ly *ſine nobis* influxum purè phyſicum, indeliberatum, & neceſſarium, cum hujuſmodi influxus, eo quod nec liber, nec moralis, nec meritorius eſt, nullatenùs præjudicet intentioni Conciliorum, & PP., quorum ſcopus unicè fuit ſtabilire contra Pelagianos, & Semipelagianos, gratiam præcedere omne meritum noſtrum, omninoque gratis dari, etiam ad initium fidei: immo influxus phyſicus in gratiam prævenientem eſt de mente Conciliorum, & PP. ut conſtat ex noſtris probationibus.

16 Præterea Concilia, & PP. ſæpè ajunt, Deum ſine nobis facere illud, in quod

tamen nos phyſicè influimus, ut patet primo ex Auguſt. Epiſt. 105. poſt medium, dicente : *quod enim promittit Deus, non facit, niſi ſolus Deus*; ubi ly *niſi*, quod ſignificat ſolum Deum, non excludit noſtram cooperationem phyſicam, cum Deus nobis promittat viſionem beatam, quæ in omnium ſententia, eſt actus vitalis, quem anima beata phyſicè producit. Secundo patet ex illo Ezceq. 11., ubi Deus promittit, ſe ablaturum cor lapideum, & daturum cor carneum, id eſt, molliorem affectum erga bonum; in quem tamen affectum, ut pote actum vitalem, phyſicè influimus. Patet 3. ex Trid. citato, ubi ait, Deum tangere cor hominis per illuminationem; & licèt ſolus Deus tangat cor, & non ipſe homo, tamen homo ad prædictam illuminationem cooperatur phyſicè.

17 Tandem juxta modum loquendi Script., non cenſemur facere ea, quæ non facimus moralitèr, & modo humano; ſic Apoſt. ad Rom. 7. de motibus concupiſcentiæ inordinatis, & involuntarijs ait: *non enim, quod volo bonum, hoc facio; ſed quod nolo malum, hoc ago*; in quos motus inordinatos phyſicè influebat Paulus, non tamèn liberè, moralitèr, aut modo humano. Sic etiam Chriſtus Math. 11. Apoſtolis dixit: *non enim vos eſtis, qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis*: hæc locutio, ſaltem phyſicè, erat ab Apoſtolis, & eorum eſſe negatur, quia à Deo inſpirata. Alia plura, quæ brevitatis cauſa omittuntur, videri poſſunt in Authoribus.

18 Arguit. 2.: filij Dei aguntur gratia Dei, ſecundum illud Pauli ad Rom. 8.: *quicumque enim Spiritu Dei aguntur, hi ſunt filij Dei*; ſed agi, non eſt agere, aut phyſicè concurrere: ergo homines non concurrunt, adhuc phyſicè, ad gratiam Dei excitantem. Prob. minor ex D. Auguſt. lib. 2. de Geſtis Pelagij ajente: *qui regitur, aliquid agit, & à Deo regitur, ut rectè agat; qui autem agitur, agere aliquid ipſe, vix intelligitur*: ergo, &c. Reſpondeo negando min. Ad probat. ex Auguſt. dico, quod licèt liber citatus foret ipſius, non enim habetur inter ejus opera, nihil contra noſtram concluſionem concluderetur. Ratio; quia ibi non ait Sanctus Doct.: *nihil agere intelligitur*, ſed: *vix aliquid*, hoc eſt, quaſi nihil, qualis eſt iſte influxus phyſicus, qui in genere moris nihil reputatur. Immo ipſe Auguſt. de Correc-

rectione, & gratia cap. 20. ait: *aguntur enim, ut agant.* Agi ergo divinum, & regi divinum omninò idem ſunt, licèt agi divinum, & regi Pelagianum diſtent toto Cœlo.

19 Arguit. 3.: ſi gratia prima, à qua negotium ſalutis incipit, produceretur, adhuc phyſicè, ab intellectu, & voluntate, tunc initium noſtræ ſalutis non eſſet à ſolo Deo, ſed etiam à natura; ſed hoc eſt contra Concilia, & PP.: ergo, &c. Confirm.: eo ipſo, quod gratia excitans adæquatè eſſentialiter conſiſtat in actibus vitalibus, excitantibus ad ſalutem, negari non poteſt, hominem poſſe ſe ipſum excitare; ſed hoc eſt contra fidem: ergo, &c. Reſp. negando mai.; etenim initium noſtræ ſalutis unicè poteſt refundi in illum, qui liberè, advertenter, & ex intentione illud incipit, & hic eſt ſolus Deus, qui liberè, ex intentione illos pios motus in potentijs ſine earum advertentia, & deliberatione excitat, licèt aliundè concurrant phyſicè noſtræ potentiæ ad tales motus producendos. Solus ergo Deus manet principium, & cauſa noſtræ ſalutis, cum homini nihil tribui debeat, quod humano modo non operetur. Ipſi Adverſarij præmuntur iſto argumento: ipſi enim ajunt, quod illa ſua qualitas mortua, phyſicè prędeterminans potentias, ad eliciendos illos actus vitales indeliberatos, non fit ſine concurſu, ſuſtentativo naturę, ut aliqui dicunt; vel, ut alij volunt, ſine concurſu animæ, tanquam ſubjecti materialis ex quo; & tamen non propterèa dicunt, initium ſalutis eſſe ullo modo ex nobis.

20 Ad confirm. diſtinguo mai.: eo ipſo, &c., non poteſt negari, hominem poſſe ſe ipſum excitare, quantum ad vitalitatem, & eſſe phyſicum, conc. mai.: quantum ad ſupernaturalitatem, & eſſe morale talis excitationis, nego mai. Prędicta excitatio, licet quoad vitalitatem, & eſſe phyſicum ſit ab intellectu, & voluntate, tamen, quoad ſupernaturalitatem, & eſſe morale, eſt à ſolo Deo; cum in hac conſideratione ſit motus ſupernaturalitèr infuſſus, & quoad objectum, & quoad ſpeciem piam, & ſanctam, eius repręſentativam, cum qua poſtea intellectus indeliberatè conficit piam cogitationem, & voluntas affectionem, tali ſanctę cogitationi conformem, quo ipſum liberum arbitrium prępparatur, & ſit potens ad eliciendum conſenſum ſalutarem. Vocare, aut excitare ad ſalutem, non eſt quo-

mo-

modocumque producere actum excitantem, ſed ipſum elicere ex intentione, ut vocatus conſentiat. Quod quidem ſpectat tantummodo ad Deum vocantem, non verò ad hominem, qui in his motibus non agit libere; ut patet per oppoſitum in Deo, phyſice concurrente ad cogitationem malam, & motum pravum indeliberatum, quibus homo excitatur ad peccatum; quia tamen non concurrit Deus ex intentione, ut homo cadat, ſed ut conſervet liberum arbitrium, & ut muneri gubernatoris univerſalis, & cauſæ primę ſatisfaciat, ideo dicitur liberè, ſeu ex intentione operari, alioquin diceretur, ipſum velle peccatum, quod docet Calbinus.

21 Arguit. 4.: gratia excitans eſt pulſatio januæ cordis, juxta illud Apocal. 3.: *ſto ad oſtium, & pulſo*; ſed pulſatio eſt à ſolo pulſante, minimè verò à recipiente pulſationem: ergo gratia excitans, ſeu operans eſt à ſolo Deo, & non latenus à nobis. Diſting. mai.: gratia excitans eſt pulſatio ſpiritualis, & myſtica, conc. mai.: pulſatio tantum materialis, & externa, nego mai. Et diſting. min.: ſed pulſatio materialis, & externa eſt à ſolo pulſante, omitto min.; quia videtur evidens etiam januam ipſam pulſatam phyſicè concurrere ad ſonum, cauſatum ex pulſatione: pulſatio ſpiritualis, & interna eſt phyſicè à ſolo pulſante, nego min. Itaque PP. & Concilia dicunt, Deum tangere, ſeu pulſare cor hominis per illuminationem, & affectionem, quæ, cum ſint actus vitales, ſine phyſico concurſu noſtro non poſſunt dari defacto. Dico *defacto*, quia ex dictis in Tract. de Anima, Deus de potentia abſoluta poteſt ſe ſolo producere actus vitales, ipſoſque infundere homini, ita ut per ipſos vivat homo in actu ſecundo, licet non vita phyſica, vita tamen intentionali.

QUÆST. SECUNDA.

An gratia actualis operans, & cooperans entitativè diſtinguantur?

22 EX quęſtione antec. nondum ſatis clarè conſtare potuit, in quo formaliter conſiſtat gratia cooperans, cum hoc plenariè declarari nequeat, quin prius conſtet: quomodo gratia cooperans, ab operante diſtinguatur. Eſt inter Scotiſtas, Jeſuitaſque ſatis communis ſententia, quod illa gratia operans concurrit phyſicè nobiſcum ad actus delibe-

ra-

ratos ordinis ſupernaturalis eliciendos. Unde ſequitur, utramque gratiam, operantem ſcilicet, & cooperantem eſſe realitèr entitativè eandem gratiam. Thomiſtę ſentiunt per oppoſitam, cum per gratiam cooperantem, ſeu adjuvantem intelligant phyſicam prædeterminationem, datam ad actus deliberatos, ſicut per gratiam operantem ab eiſdem intelligitur qualitas non vitalis, data à Deo, ut noſtræ potentię eleventur ad producendos actus indeliberatos. Contra hanc ſecundam ſententiam, & conformitèr ad primam ſit.

CONCLUSIO.

23 *Gratia actualis cooperans, ſeu adjuvans ſtrictè ſumpta ſecundum ſuam entitatem abſolutam, eſt realitèr, & formalitèr ipſa gratia operans, à qua ſolum connotative ſeu penes diverſa munera diſtinguitur.* Prob. 1. ex Tridentino ſeſ. 6. can. 3., ubi eidem gratiæ in ſingulari tribuit hæc diverſa munera: *ſi quis dixerit*, ait Concilium, *ſine præveniente Spiritus Sancti inſpiratione, atque ejus adjutorio, &c.*; ſed hic loquitur de pręveniente inſpiratione, hoc eſt, de gratia excitante, ac de adjutorio, hoc eſt, de gratia cooperante, tamquam de una, & eadem gratia: ergo ſunt entitativè eadem gratia. Confirm. ex eadem Trid. ſeſ. 6. cap. 1. dicente: *declarat præterea :: ut, qui per peccata à Deo averſi erant, per ejus excitantem atque adjuvantem gratiam ad convertendum ſe ad ſuam ipſorum juſtificationem, eidem gratię liberè aſſentiendo, & cooperando, diſponantur*; ſed in his verbis expreſsè docet Concilium, gratiam excitantem, & adjuvantem eſſe eandem omnino gratiam, ut patet in illis verbis: *eidem gratiæ liberè aſſentiendo*: ergo ex mente Concilij ſunt eadem entitativè gratia.

24 Ad hanc rationem, deſumptam ex authoritate Concilij variè reſpondent Contrarij; & primò Zumel ſic: mirabilis profectò objectio! Quam ego nunquam objectionem eſſe dicam, ſed profectò mirabilior eſt reſponſio. Lorca ait: hoc argumentum eſſe fribolum; quia enim gratia excitans, & adjuvans conveniunt in una ratione generica gratię, dictum eſt; *eiaem gratię*. Hac, inquit, phraſi dicitur: color albus, & niger eſt objectum viſus, & tamen non ſunt idem realitèr ſpecificè objectum. Quam reſponſionem Lorcæ roborat Aliaga, ſic dicens: reſpondeo adhuc ſervato rigo-

re

re grammaticali, tale argumentum esse prorsus inefficax, ut videre est in hac propositione: per colorem album, & nigrum immutatur visus, & per eundem movetur, tanquam per causam formalem objectivam.

25 Sed, ut verum fatear, hujusmodi responsiones potiùs locum parant ad illudendas definitiones Conciliares contra hæreticos, quam ad ipsas tuendas. Ratio est; quia dum in aliqua definitione Ecclesiæ, vel Concilij non cohærent verba antecedentia consequentibus, nec in sensu grammaticali, nec logicali, neque philosophico, hæreticis præstantur arma, quibus se defendant à fulgure anathematis, dicendo, tales definitiones eos non comprehendere, quatenus impropriè loquuntur gramaticè, logicè, vèl philosophicè, stante autem responsione Adversariorum, locutio Concilij non esset secundùm rigorem grammaticalem, quia si esset, postquam Concil. locutum fuit de gratia excitante, & adjuvante, si istę essent realitèr distinctæ, ut volunt Thomistæ, debebat Concilium in consequentibus dicere, non *eidem gratię*, ut dixit, sed *eisdem gratijs*, quod non dixit, nec ibi, nec alibi. Hæc sunt ovia cuicumque grammatico.

26 Respondet Aliaga, quod Concilium per ly *eidem gratiæ* significat illam gratiam, de qua in antecedenti locutum fuit, non verò alteram gratiam, de qua ob unitatem numericam loquitur in numero singulari. Sed quis non videt, per hujusmodi responsionem Concilium deliquisse in logica, mutando numerum pluralem in singulari, quod dialectici non admittunt, quia, inquiunt, mutatur suppositio. Tandem juxta responsionem ad argumentum, non satis philosophicè loquuti fuissent PP., quod patet in exemplo, quod ibi apponitur, nam, si dicatur cum Lorca, color albus, & niger, est objectum visus; sivè cum Aliaga, per colorem album, & nigrum immutatur visus, & per eundem movetur, utraque propositio est philosophicè falsa. Est falsa prima propositio, quia ex dictis in animastica, coloratum lucidum, ut sic, est objectum visus, & sanè multa sunt colorata, quæ, nec alba sunt, nec nigra. Secunda propositio est etiam falsa, quia licèt visus immutetur, & moveatur à quocumque colore in particulari, non tamen immutatur, nec movetur precisè per colorem album, & nigrum;

grum; alioquin alia colorata ipſum non mutarent, nec moverent. Secundò, quia hæc dictio copulativa per colorem album, & nigrum immutatur viſus quomodocumque prolata eſt falſa. Primo; quia uterque color ſpecie differt, & ſic ambo ſimul nequeunt mutare viſum per eandem ſpeciem. Secundo, quia uterque color ſimul, ſaltem in ſummo, niſi ad ſummum de poſsibili, nequeunt ſimul ineſſe eidem ſubjecto: ſunt ergo hujuſmodi locutiones impropriè, & nihil conducentes ad intentum Concilij.

27 Prob. 2. ex PP., & primo ex Auguſt. Epiſtola 105. ubi non aliam admittit diſtinctionem inter gratiam excitantem, & adjuvantem, niſi illam, quæ provenit ex differentia modi agendi ejuſdem formæ. En ejus verba: *ſpiritus alitèr adjuvat, nondum inhabitans; alitèr inhabitans, nondum inhabitans adjuvat, ut ſint fideles; inhabitans adjuvat, ut jam fideles, &c.*: in quibus clarè habetur, quod idem ſpiritus, ſeu gratia nondum inhabitans, id eſt, ut excitans, adjuvat; & ut inhabitans, id eſt, ut jam interius recepta ab excitato, etiam adjuvat: ergo juxta Auguſt. ſunt eadem gratia. Idem docet D. Fulgentius lib. 1. ad Monimum dicens: *ipſa gratia præveniendo miſericorditèr incepit, ipſa ſubſequendo, cuſtodit :: hoc igitur iſta miſericordia Dei in homine ſubſecuta, quod præveniens, ipſa largitur.* Et ibidem: *prævenit eliſum, ut ſurgat; ſubſequitur elevatum, ne cadat*: ergo cum locutiones horum Patrum nequeant intelligi de gratia genericè ſumpta, debent intelligi de aliqua gratia ſpeciatim, & in particulari. Nunc ſic: ſed gratia, de qua in ſingulari loquuntur, modo eſt prævenians, ſeu excitans, & modo adjuvans, & ſubſequens: ergo ſunt eadem entitativè gratia cum ſolis diverſis reſpectibus.

28 Prob. 3. ratione: non ſunt multiplicanda entia ſine neceſsitate; ſed eadem intranſitivè entitas gratiæ ſufficit ad excitandum liberum arbitrium, & ſimul ad ipſum adjuvandum: ergo gratia excitans eſt intranſitivè adjuvans. Prob. min.: poſita gratia excitante in intellectu, & voluntate, conſtituitur potentia in ordine ſupernaturali, proximè, & immediatè potens, ad eliciendum opus ſupernaturale. Minor etiam conſtat; quia ſuppoſita potentia ſic expedita, & ſuppoſito paràto concurſu ſupernaturali proportionato, nihil

hil aliud deſideratur ad actum ſupernaturalem, præter cooperationem potentiæ. Niſi dicamus, requiri qualitatem phyſicè prædeterminantem, quod quidem, extra Thomiſt. Scholam, locum non habet.

29 Prob. denique: gratia cooperans, ſeu adjuvans ſtrictè accepta, eſt illa, cui cooperamur; ſed tantum cooperamur gratiæ excitanti, ſeu operanti: ergo gratia adjuvans, ſtrictè accepta, entitativè non differt ab excitante. Prob. min.: liberum arbitrium ſolum cooperatur proprie illi gratiæ, quæ ipſi tribuit ſufficientiam, & vires, ut eliciat conſenſum ſalutarem; ſed ſolum gratia excitans eſt hujuſmodi: ergo ſolum cooperamur gratiæ excitanti. Probat. mai.: liberum arbitrium ſolum cooperatur proprie illi gratiæ, quæ ſimul cum ipſo operatur conſenſum ſalutarem, cum cooperari ex vi vocis ſit unum cum alio operari; ſed tantum gratia, tribuens voluntati ſufficientiam, & vires ad conſenſum, eſt gratia, quæ propriè cum voluntate operatur talem conſenſum: ergo liberum arbitrium ſolum cooperatur, &c.

30 Confirm.: gratia adjuvans, ſi ponatur realitèr diſtincta ab excitante, ſeu ſufficienti, non eſt propriè gratia cooperans cum libero arbitrio, quod eſt contra Concil. cit.: ergo gratia cooperans non diſtinguitur realitèr ab excitante: ergo nec gratia adjuvans, cum iſta, juxta omnes, ſit intranſitivè cooperans. Prob. antec.: id, quod non eſt cauſa, nec principium influens in operationem alterius cauſæ, non poteſt dici cum altera concauſa operari; ſed gratia adjuvans, quæ à Thomiſtis ponitur realitèr diſtincta à gratia excitante, non eſt cauſa, nec principium influens in actus ſupernaturales delibetatos, ſed tantum determinatio, & applicatio voluntatis ad illorum productionem: ergo, &c. Maior patet in applicatione ignis ad paſſum, quæ licèt ſe teneat ex parte actus primi, non dicitur proprie cooperari cum igne ad combuſtionem. Urgetur ex illo Sapientiæ 9.: *da mihi Domine ſedium tuarum aſſiſtricem ſapientiam, ut mecum ſit, & mecum laboret*; ſed aſſiſtrix ſapientia, de qua hic, eſt motio Spiritus Sancti, pertinens ad gratiam excitantem: ergo talis motio, ſeu gratia excitans eſt verè adjuvans, ſeu cooperans cum libero arbitrio; alioquin impropriè dixiſſet Sapiens: *ut mecum laboret.*

31 Arguitur 1. ex D. Auguſt. lib. 2. de Peccatorum meritis cap. 18. dicente, quod

ad Deum nos convertimus, *niſi ipſo excitante, atque adjuvante non poſſumus* : ergo ne repetitio ſit inutilis, fatendum eſt de mente Auguſt., gratiam excitantem diſtingui realiter ab adjuvante. Idem docet Serm. 17. de verbis Apoſtoli dicens : *Spiritus Dei agentibus adjutor eſt : ipſum nomen adjutorij præſcrivit tibi, quod tu ipſe aliquid agis ; nemo enim adjuvatur, ſi ab illo nihil agatur.* Reſp. conc. antec., negando conſeq. ; quia Auguſt. loquitur de eadem entitativè gratia, quæ habet ex ſua natura, & hominem excitare ad conſenſum ſalutarem, & ſimul ipſum in actu ſecundo adjuvare, dummodo gratię non reſiſtat ; quod ſi gratię excitanti reſiſtatur, proindeque conſenſus ſalutaris non ponatur, non ſtat defectus ex parte virtutis in gratia excitante, ad conſenſum ſalutarem eliciendum, ſed unicè ex parte voluntatis, nolentis ei cooperari. Unde non inutilitèr repetit Auguſt. ly *excitante, atque adjuvante*, cum eadem entitas habeat utrumque effectum, ſcilicet, excitare, & adjuvare. Primum habet neceſſariò, & inevitabiliter ; & ſecundum vitabilitèr, & contingentèr. Alter locus Auguſt. eſt expreſſus pro nobis, nam Spiritus Dei qui nos agit, eſt gratia excitans, ut nemo ignorat ; & tamen, juxta Auguſt. in litt., talis Spiritus, ſeu gratia excitans omnibus agentibus ſalutaritèr eſt adjutrix : ergo, juxta Auguſt. hic, nulla eſt diſtinctio inter utramque gratiam.

32 Arguit. 2. : gratia adjuvans elevat potentiam rationalem, ipſamque phyſicè quoadjuvat ad actum ſupernaturalem eliciendum ; ſed gratia excitans non poteſt phyſicè quoadjuvare potentiam ad actum ſupernaturalem eliciendum ; ergo gratia iſta diſtinguitur entitativè ab illa. Conſequentia patet ; quia quando aliquid habet virtutem ad phyſicè cooperandum, ſeu adjuvandum, quam virtutem non habet alterum, ſignum eſt, utrumque diſtingui realiter. Probat. min. : gratia excitans ſolum habet moraliter movere, & alicere potentiam ad conſenſum : ergo non poteſt phyſicè quoadjuvare. Prob. antec. : gratia excitans eſt actus vitalis ; ſed unus actus vitalis non producit phyſicè alium actum vitalem, cujuſmodi eſt conſenſus ſalutaris : ergo, &c. Reſpondeo negando min., & ad probat. nego antec., & diſtinguo min. probationis : unus actus vitalis non producit phyſicè, ut cau-

ſa totalis, alium actum vitalem, conc. min.: ut cauſa partialis, nego minorem. Gratia excitans, quamvis moraliter inuat in conſenſum ſalutarem, moraliter aliciendo potentiam, ut omnes fatentur, tamen, ut adjuvans, & cooperans etiam efficienter phyſicè ad inſtar cuiuſdam ſpiritualis impulſus, citò tranſeuntis, nobiſcum concurrit ad conſenſum ſalutarem producendum, tanquam partialis cauſa.

33 Replicabis: ſed gratia excitans in ratione actus vitalis, adhúc in genere cauſę partialis, non producit phyſicè alium actum vitalem: ergo ruit ſolutio. Prob. min.: ſi aliquem ſic produceret, maximè illum, qui dicitur conſenſus ſalutaris; ſed hunc non producit phyſicè partialiter: ergo, &c. Prob. min.: gratia excitans in ratione actus vitalis, nihil aliud eſt, quam illuſtratio intellectus; ſed illuſtratio, ſeu actus intellectus non influit efficienter phyſicè in actum voluntatis: ergo nec in conſenſum ſalutarem. Prob. min.: illorum actuum, qui ſunt ordinis, omninò diverſi, neuter habet influere phyſicè in alium; ſed actus intellectus, & voluntatis ſunt talis diverſi ordinis, cum unus ſit ordinis intellectiui, & naturalis, & alter ordinis liberi: ergo, &c. Iam in Tract. de Actibus humanis notatum remanet, qualiter Scotiſtę ſunt inter ſe diviſi circa modum, quo concurrit cognitio ad actum voluntatis. Multi tenent, cognitionem objecti nullatenús effectivè concurrere ad actum voluntatis. Oppoſitum docent alij quod & nos cum Maſtrio docuimus problematicè ubi ſupra. Hoc notato.

34 Reſpondeo primo, juxtà primam opinionem, conc. ſubſumptam cum minore probationis, ad cuius probat. diſtinguo mai.: gratia excitans in ratione actus vitalis nihil aliud eſt, quam illuſtratio intellectus tantum, nego mai.: eſt illuſtratio intellectus, & ſimul pia affectio voluntatis, conc. mai., & minorem cum ſua probatione. Itaque in ſententia illorum, qui dicunt, cognitionem objecti, ſeu quod idem eſt, ipſum objectum cognitum, non concurrere in genere cauſę efficientis, ſed ſolum in genere cauſę formalis extrinſecæ ad actum voluntatis, conceditur totum intentum replicæ, prætèr illam propoſitionem, in qua dicitur, gratia operans in ratione actus vitalis aliud non eſt, quam illuſtratio intellectus; talis enim propoſitio falſa eſt, quia gra-

tia

tia operans, ſeu excitans, adæquate ſumpta, ultra illuſtrationem intellectus, includit etiam affectionem voluntatis; proindeque, licèt ut cognitio ſupernaturalis eſt, non influat phyſicè in conſenſum, tamen prout eſt affectio ſupernaturalis, poteſt eſſe cauſa partialis phyſica conſenſus ſalutaris; cum ambo actus ſint ejuſdem ordinis, ſeque teneant ex parte voluntatis. Ex quo patet, gratiam operantem, ſaltem quoad conceptum affectionis voluntatis, phyſicè partialitèr influere in conſenſum ſalutarem.

35 Reſp. 2. juxta ſententiam, tribuentem objecto cognito concurſum effectivum partialem in actum voluntatis, negando ſubſumptam. Ad probationem, nego min.; & ad iſtius probationem diſtinguo mai., ut ſupra: gratia operans, inadæquatè ſumpta, nihil aliud eſt, &c. conc. mai.: adæquatè capta, nego mai.; quia, ſic ſumpta, includit, tam cognitionem, quam affectionem. Et diſt. min. juxta hanc ſententiam illuſtratio ſupernaturalis in influit in conſenſum voluntatis quoad libertatem, conc.: quoad ſupernaturalitatem, nego min. Ad probat. diſting. min.: illorum actuum, qui ſunt ordinis omninò diverſi, & inter ſe non ſubordinati, neuter influit phyſicè in alium, conc.: ſi tales actus ſunt inter ſe eſſentialitèr ſubordinati, negatur mai.; & cum actus intellectus, & voluntatis ſic eſſentialitèr ſubordinati ſint, poteſt unus influere in alium, ſcilicet, cognitio in conſenſum.

36 Arguit. 3.: nihil imperfectius poteſt phyſicè influere in effectum ſe ipſo perfectiorem; nam cauſa, ſi eſt æquivoca eſt nobilior ſuo effectu, & ſi eſt univoca eſt æqualis perfectionis cum effectu, ut patet ex 2. Phyſicorum; ſed actus ſupernaturales deliberati, ſivè intellectus, ſivè voluntatis, ſunt perfectiores quacumque excitatione indeliberata: ergo, &c. Diſtinguo mai.: nihil imperfectius poteſt phyſicè influere, ut cauſa totalis, conc. mai.: ut cauſa partialis, nego mai.: & conceſſa min., negatur conſequentia. Actus ergo qui à voluntate eliciuntur, vel imperantur per adjutorium, & influxum gratiæ excitantis, pendent à tali gratia partialitèr, eſto minus principalitèr, & à voluntate partialitèr, ſed magis principalitèr; voluntas enim eſt, quę utitur gratia, & non gratia voluntate. Eſt ergo gratia, ut lux, quę non ſolum

removet tenebras, ſed etiam ſpatium illuminat, & ſimul adjuvat potentiam viſivam ad productionem viſionis.

37 Arguit. 4.: quæ ſunt ſeparabilia diſtinguntur realiter; ſed gratia excitans eſt ſeparabilis ab adjuvante, ergo, &c. Prob. minor: quoties voluntas non conſentit, non datur gratia adjuvans; ſed poteſt voluntas, quoties voluerit, non conſentire gratię excitanti: ergo, &c. Diſting. prim. min.: gratia excitans eſt ſeparabilis, quoad effectum, ab adjuvante, conc.: eſt ſeparabilis quoad entitatem, & virtutem, nego min.; ad cuius probationem diſtinguo mai.: quoties voluntas non conſentit, non datur gratia adjuvans quoad effectum, conc.: non datur quoad entitatem, & virtutem, nego maiorem. Gratia excitans poteſt cauſare unum effectum ſine alio, hoc eſt, poteſt excitare, & defacto *excitat* intellectum, & pie movet voluntatem, quin iſta conſentiat; & tunc non adjuvat de facto ad conſenſum, non ex deffectu virtutis in gratia excitante ad utrumque præſtandum, ſed ex deffectu voluntatis, ipſi nolentis cooperari.

38 Replicabis ex Aliaga, & eſt ejus præcipuum fundamentum; ſi gratia ſtrictè adjuvans non diſtingueretur realiter ab excitante, quoties homo excitaretur à Deo ad conſenſum ſalutarem, haberet gratiam, ſtrictè adjuvantem, ad poſitionem talis conſenſus; ſed hoc eſt contra Auguſt.: ergo, &c. Prob. min.: juxta Auguſt., dum homo adjuvatur à Deo, ponit liberum conſenſum; *nemo enim adjuvatur; ſi ab illo nihil agatur*; ſed non quoties homo excitatur à Deo ad liberum conſenſum, elicit conſenſum, ut patet: ergo, &c. Confirmatur: Si gratia excitans non diſtingueretur realiter ab adjuvante, quoties homo in actu 2. excitaretur ad liberum conſenſum, etiam in actu ſecundo adjuvaretur per gratiam Dei ad talem conſenſum; ſed hoc eſt falſum: ergo, &c. Prob. minor: quoties homo actu reſiſtit divinæ inſpirationi, pięque affectioni de illo eſt verum, excitari à Deo in actu ſecundo ad liberè conſentiendum, nam excitatio provenit à gratia Dei in genere cauſæ formalis per ſui unionem cum potentia; ſed de hoc reſiſtente divinæ inſpirationi, non verificatur, illum in actu ſecundo ſtrictè adjuvari ad conſentiendum: ergo, &c.

39 Reſp. diſtinguendo primam mai.: ſi gratia adjuvans

vans non distingueretur realiter ab excitante quoties homo excitaretur à Deo ad consensum salutarem haberet gratiam adjuvantem quoad omnem sui entitatem physicam, & absolutam concedo maiorem; quoad omnem sui connotatum, seu respectivum nego mai., & min. in sensu distinctionis. Ad probat. ex Augustino, conc. mai.; (nam hominem à Deo adjuvari involvit Deum, & hominem simul, & in actu secundo producere liberum consensum); & disting. min.: sed non quoties homo excitatur à Deo ad liberè consentiendum, ponit consensum liberum ex defectu voluntatis nolentis consentire, conc. min.: ex defectu gratiæ adjuvantis quoad ullam sui entitatem absolutam, nego min. Itaque, quod homo, à Deo excitatus, ad liberè consentiendum, non consentiat, non provenit ex carentia entitatis gratię adjuvantis, sed unicè ex potestate voluntatis, nolentis pro sui indifferentia ad utrumlibet entitati gratię adjuvantis cooperari.

40 Ad confirmationem distinguo mai.: si gratia excitans non distingueretur realiter ab adjuvante, quoties homo in actu secundo excitaretur ad liberum consensum, etiam in actu secundo lyneæ illuminativæ intellectus, & motivæ voluntatis adjuvaretur per gratiam Dei ad talem consensum, conc. mai.; etiam in actu secundo lyneæ productivæ, nego mai.; & distincta similiter min., neg. conseq. Gratia actualis à Deo gratuitè collata homini, ut operetur salutaritèr, habet duplex munus. Primum est, excitare, & movere potentiam in actu secundo ad operationem salutarem. Secundum est nobiscum in actu secundo concurrere ad positionem actus salutaris. Primum munus exercet gratia in nobis sine nobis modo dicto in præcedenti quæst. Secundum munus nequaquàm exercet gratia sine nobis liberè cooperantibus. Gratia sub nomine excitantis, habet suum actum secundum lyneę illuminativæ, & alectivæ; quę quidem lynea est quasi actus primus lyneæ productivæ, quatenùs ita necessariò dependet ab illa ad productionem actus secundi liberi, quo posito, & non ante, eadem entitas gratiæ excitantis sortitur nomen adjuvantis.

***

DISPUT. III.

DE GRATIA SANITATIS, & medicinæ.

QUÆST. UNICA.

Quodnam ſit diſcrimen inter gratiam ſanitatis, & medicinæ?

1 EST advertendum, Pelagium, & ejus diſcipulos ex una parte, & ex alia parte Prædeſtinatianos, item Luteranos, & Calbiniſtas duas ex diametro oppoſitas ſententias, immo errores contra fidem circa gratiam, & liberum arbitrium docuiſſe: Pelagius enim ita extullit liberum arbitrium, ut gratiam deſtruxerit; at Prædeſtinatiani, quibus poſt adhæſerunt Luterus, Calbinus, Janſenius, Bayus, & Queſnel, ita gratiam extulerunt, ut deſtruxerint liberum arbitrium. Eſt advertendum 2., gratiam ſanitatis in phraſi Auguſtini dici *auxilium, ſeu adjutorium ſine quo*, quod, & nunc communiter appellatur *auxilium ſufficiens*; ſicut & gratiam medicinæ *adjutorium quo*, quod & nunc dicitur *auxilium efficax*. Gratia igitur ſanitatis, adjutorium ſine quo, ſeu auxilium ſufficiens, eſt illa gratia, quam habuerunt Angeli, & Adamus in ſtatu innocentiæ, qua liberè ſalutariter operarentur, ſi vellent. Gratia medicinæ, ſeu adjutorium quo, ſecundùm intelligentiam hæreticorum eſt gratia collata ex meritis Chriſti in ſtatu naturæ lapſæ, media qua homines velint, nolint neceſſariò operantur ſuam ſalutem: unde omnis gratia, juſta iſtos, in ſtatu naturæ lapſę eſt irreſiſtibilis.

2 Utrum verò iſtæ gratię ſanitatis, & medicinæ ſpecificè diſtinguantur: an verò ſit eadem entitas phyſica cum diverſis connotatis, eſt dubium. Noſter Kriſper reſolvit, eas diſtingui realiter ſpecificè. Fundamentum ejus à ratione eſt hoc: gratia ſanitatis aliquando fuit ſine medicinali: ergo diſtinguntur realiter. Hoc argum. inſtatur contra ipſum: gratia operans, ſeu excitans aliquando fuit, & eſt ſine gratia cooperante, aut adjuvante: ergo iſtę gratiæ diſtinguuntur realiter. Iſtam conſequentiam, nec ipſe, nec ullus Scotiſta admittit. Ejus fundamentum ab authoritate ſumitur ex nonnullis Auguſt. locis, ubi Sanct. Doct. videtur ſentire, Angelos, & Adamum in

in ſtatu innocentiæ, ſuppoſita habituali gratia, alijſque donis illius ſtatus, potuiſſe benè agere, perſeverareque per ſolas vires naturales liberi arbitrij abſque ulla gratia actuali in voluntate, non tamen abſque gratia actuali intellectuali, ſeu ſanctæ cogitationis, quia ſine iſta non poteſt voluntas tendere in bonum, ut in objectum repręſentatum.

3 Sed, ut verum fatear, in Auguſtino locum non invenio, in quo expreſsè aſſerat, aut ex quo legitimè deducatur, voluntatem Adami in ſtatu innocentiæ nulla indiguiſſe pia motione, & ſi longe debiliori illa, quam nos pro ſtatu naturę lapſę indigemus ad opus ſalutare. Quod, ut patefiat adducamus locum Auguſt. ex libro de Correctione, & Gratia cap. 11. Incipit Sanct. Doct. ſic: *quid ergo? Adam non habuit Dei gratiam? Immò verò habuit magnam, ſed diſparem. Ille in bonis erat, quę bonitate ſui Conditoris acceperat:: in quibus nullum patiebatur malum; Sancti verò in hac vita, ad quos pertinet liberationis gratia in malis ſunt, ex quibus clamant ad Deum: libera nos à malo. Ille in illis bonis Chriſti morte non eguit; iſtos à reatu hæreditario, & proprio illius agni ſanguis abſolvit. Ille non opus habebat eo adjutorio, quod implorant iſti, cum dicunt: video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ.*

4 Et quatuor lyneis interjectis, proſequitur: in tali certamine laborantes, ac periclitantes, dari ſibi pugnandi, vincendique virtutem per Chriſti gratiam petunt; ille verò, ſcilicet Adam innocens, nulla tali rixa à ſe ipſo adverſùs ſe ipſum tentatus, atque turbatus in illo beatitudinis loco ſua ſecum pace tuebatur. Proinde, & ſi non interim lætiori, num verumtamèn potentiore gratia indigent iſti:: iſtam gratiam non habuit homo primus, qua nunquam vellet eſſe malus, ſed ſanè habuit, in qua, ſi permanere vellet, nunquam malus eſſet, & ſine qua, etiam cum libero arbitrio bonus eſſe non poſſet:: tale quippè erat adjutorium (Adami innocentis) quod deſereret, cum vellet, & in quo permaneret, ſi vellet, non quo fieret, ut velet. Hæc prima eſt gratia, quæ data eſt primo Adam, ſed hęc potentior eſt in ſecundo Adam. Circa finem capitis ſic concludit: eſt quippè in nobis per hanc Dei gratiam, id eſt, medicinalem, non poſſe ſolum, quod volumus, verum etiam velle, quod poſſumus, quod non fuit

in

in primo homine, unum enim horum in illo fuit, alterum non fuit: ac ſi dixiſſet Auguſt.; in Adam fuit gratia ſanitatis, non verò gratia medicinæ: ergo iſtę gratię diſtinguntur realiter.

5 Verum nec hęc argumentatio, ex littera Auguſt. deducta, aliquid concludit, alioquin concluderet iſta: in Iuda proditore fuit gratia excitans, non verò adjuvans: ergo excitans, & adjuvans diſtinguuntur realiter, quod nullus Scotiſt. concedit. Unde ex ipſiſmet verbis Auguſt. eſt advertendum, quod in illo felici ſtatu innocentię nulla erat rebellio carnis adversús ſpiritum, ſed potius perfecta, & omnimoda ſubjectio appetitus ſenſitivi ad rationem, & rationis ad Deum; & conſequenter voluntas nullam patiebatur difficultatem, uſque dum primus parens per eſſum ligni vetiti ſibi, & poſteris amiſit juſtitiam originalem. Qua amiſſa, inſurrexit concupiſcentia adversús rationem bellumque mortiferum hominibus indixit: quapropter nunc in ſtatu naturæ lapſę maximas experimur difficultates in elicientia boni, ad quas vincendas fortiore gratia indigemus per Chriſtum, quam in ſtatu innocentiæ. Dixi *per Chriſtum*, quia utraque gratia, tam ſanitatis, quàm medicinę eſſet per Chriſtum; cum differentia autem, quod prima eſſet independens à Morte, & Paſsione Chriſti; ſecunda autem Mortem, & Paſsionem Chriſti, ut futuram ſupponeret.

6 Quibus animadverſis, dico, nullatenus inferri ex textibus Auguſt. diſtinctionem realem inter gratiam ſanitatis, & medicinæ. Ratio eſt: quia diſtinctio penès magis, & minús non eſt diſtinctio entitatis ab entitate; ſed verba Auguſt. inter utramque gratiam ſolam ponunt diſtinctionem penès magis, & minùs, ut patet ex illis ejus verbis: *proinde & ſi non interim lætiore, nunc verumtamèn potentiore gratia indigent iſti.* Ac ſi dixiſſet; licèt nunc in ſtatu naturę lapſæ non indigeant homines illa gratia hilari, ſeu læta, qua Adam in ſtatu innocentię facile, & delectabiliter poterat quamcumque ſuperare difficultatem, indigent tamen illa eadem gratia læta, nunc per Paſsionem Chriſti reddita potentiori ad ſuperandas tentationes, & difficultates occurrentes. Et hoc eſt, quod innuit Chriſtus Ioann. 10.: *ego veni, ut vitam habeant, & abundantius habeant, ubi enim miſeria eſt gravior, ibi eſt maior miſericordia.*

Nec

7 Nec obſtat, Auguſt. aſſerere, Adamum in ſtatu innocentiæ non habuiſſe iſtam gratiam medicinæ; quia ſumpta gratia cum hoc ſyncathegoremate *medicinę*, certiſsimum eſt pro tunc non fuiſſe; cum pro tunc nullum fuerit vulnus medendum; attamen illa eadem gratia, quę pro ſtatu innocentiæ dicebatur ſanitatis, data fuit poſt vulnus contractum per modum medicinæ, ut Adamus per ipſam ſe ipſum ſanaret, ſi vellet, ut defacto voluit. Minus obſtat quod ibidem ait dicens: *unum enim horum* (ſuplè adjutorium ſine quo) *in illo fuit, alterum* (nimirúm adjutorium quo) *in illo non fuit*, nam ad hoc reſpondemus, ſicut ad ſimile de gratia operante, & cooperante; ſcilicèt, alterum non fuit quoad effectum, concedo: non fuit quoad entitatem, nego. Kriſper ipſe debet hoc fateri, nam juxta ipſum, gratia ſanitatis apud Auguſt., coincidit cum gratia ſufficienti, ſeu adjutorio ſine quo, ſicut gratia medicinæ cum efficaci, ſeu adjutorio quo; ſed, juxta ipſum, & omnes Scotiſtas, gratia ſufficiens, & efficax entitativè ſpecificè non diſtinguuntur; ergo idem debet aſſeri quoad gratiam ſanitatis, & medicinæ; & hæc eſt noſtra concluſio quoad iſtam partem.

8 Neque etiam judico verum in via Auguſtini, quod ipſe Kriſper, & alij multi Theologi ei tribuunt, nimirum pro ſtatu innocentiæ voluntatem Adami nullam habituram gratiam actualem affectionis ſupernaturalis; nam, licèt gratia actuali voluntatis non indiguiſſet pro illo ſtatu ad ſuperandas difficultates, credibile tamen non eſt ejus voluntatem pro ſtatu innocentiæ non moveri, & ſupernaturaliter accendi ab objecto ſibi propoſito per gratiam actualem ſupernaturalis illuſtrationis intellectus, quam, omnes dicunt, fuiſſe neceſſariam Adamo, etiam in ſtatu innocentiæ, & iſtud non obſcurè colligitur ex ipſo Auguſt. 11. de Civitate Dei cap. 13. ubi docet, Adamo fuiſſe conceſſum duplex adjutorium actuale, nempè, *quo intellectus illuſtraretur, & voluntas accenderetur.* Unde colligitur 1., quod gratia actualis medicinalis diſtingnitur à gratia actuali ſanitatis, quę fuit, & ſemper eſſet in ſtatu innocentiæ ex capite difficultatis, quam modo experimur in profecutione boni; quam difficultatem tunc nullatenùs experiremur.

9 Colligitur 2., quod diſcrimen inter gratiam medi-

cinalem, & ſanitatis, non poteſt conſiſtere in eo, quod ajunt hæretici, nimirùm, gratiam medicinalem neceſsitare voluntatem ad conſenſum, gratiam vero ſanitatis ipſam reliquiſſe liberam. Hoc corollarium eſt fide certum, ut patet ex varijs Scripturæ locis, in quibus clarè docetur, voluntatem in ſtatu naturæ lapſę multoties reſiſtere auxilijs divinę gratiæ, ut conſtat ex illo Eccleſiaſtici 1.: *qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus; facere mala, & non fecit :: quis eſt hic, & laudabimus eum? Fecit enim mirabilia in vita ſua*; ſed, ſi per gratiam medicinalem antecedentèr neceſsitatus homo hoc faceret, nihil faceret mirabile, quod quilibet alius non feciſſet, ſemel ac tali gratia fuiſſet prævenſus: ergo eſt fide certum, quod gratia medicinalis, ſeu collata in ſtatu naturę lapſę voluntatem non neceſsitat ad conſenſum.

10 Objicies cum hæreticis: gratia illa, qua ita ſubentum eſt infirmitati voluntatis humanæ, ut indeclinabiliter, inſuperabiliter, & invictiſsimè operetur, non poteſt non eſſe gratia neceſsitans; cum maior neceſsitas nequeat excogitari, quam agere indeclinabiliter, inſuperabiliter, & invictiſsimè, nam ſic agere, eſt ita agere, ut agens non poſsit non agere, & conſequenter neceſsariò agat; ſed Auguſt. expreſsè ait, gratiam medicinalem eſſe talem, de Corrept. enim, & Gratia cap. 12. circa finem, ſic ait: *ſubentum eſt igitur infirmitati voluntatis humanę, ut hac gratia indeclinabiliter, & inſuperabiliter ageretur; & ideo, quamvis infirma, non tamen efficeret, neque adverſitate aliqua vinceretur: fortiſsimo Adamo dimiſsit, atque permiſsit facere, quod vellet; infirmis ſervavit, ut illo donante, invictiſsimè, quod bonum eſt vellent, & hoc deſerere invictiſsimè nolent.*

11 Et ſi hęreticorum error clarè eſſet in Auguſt. fundatus (quod abſit à tam docto, & catholico Doctore) adhuc non ipſi ſed Eccleſię, docenti, manere illæſam libertatem voluntatis in elicientia bonorum operum, eſſet adhærendum. Huc reſpiciens Alex. VIII. damnavit ſequentem propoſitionem, quæ in ordine damnatarum ab ipſo eſt 50.: *ubi quis invenerit doctrinam in Auguſtino clarè fundatam, illam abſolutè poteſt tenere, & docere, non reſpiciendo ad ullam Bullam Pontificiam.* Reſp. igitur diſting. mai.: gratia, qua ita ſubentum eſt, &c.,

&c., in ſenſu diviſo actionis, & neceſsitate antecedenti, non poteſt non eſſe gratia neceſsitans, conc. mai.: ut ſic operetur in ſenſu compoſito actionis, & neceſsitate conſequenti, non poteſt non eſſe gratia neceſsitans, nego mai.; & in verſis terminis diſting. min.: & per id patet ad authoritatem Auguſt., qui ſolum intelligi poteſt, non in ſenſu diviſo, & antecedenter, ſed in ſenſu compoſito, & conſequenter ad actionem.

12 Dices: ſi Auguſt. per ly *agere indeclinabiliter*, &c., ſenſum compoſitum actionis intelligeret, fruſtrà laboraſſet, nullus enim eſt adeo rudis, qui non evidenter cognoſcat, Petrum ambulantem v. g. in ſenſu compoſito ambulationis, non poſſe non ambulare: ergo nulla eſt explicatio. Reſp. negando antec.; quia nullus fruſtra laborat, dum ſuam mentem, ab alijs malè intellectam, ſtudet elucidare. Ita accidit hic; nam Auguſt. expreſsè fatetur, ſe eſſe intelligendum in ſenſu compoſito actionis, quotiès docet, auxilium *quo* tribuere indeclinabiliter, ut benè agamus, & finaliter perſeveremus, ut conſtat ex cap. 6. de bono perſeverantiæ, ubi reſpondet Maxilienſibus, qui ex eo, quo docuerit Auguſt. nobis dari auxilium quo fit, ut agamus, & perſeverem:s, inferebant hanc conſequentiam: *ergo homo non poteſt contumatia amittere perſeverantiam, & ſi cum velint amittere.*

13 Huic ergo impoſitioni reſpondet Mag. Parens Auguſt. per hæc verba: *de illa perſeverantia loquimur, qua perſeveratum eſt uſque in finem, quę ſi data eſt, perſeveratum eſt uſque in finem, ſi autem non eſt perſeveratum uſque in finem, non eſt data:: perſeverantia uſque in finem non habet quiſquam, niſi perſeveraverit uſque in finem. Multi eam poſſunt habere, nullus amittere. Non enim eſt metuendum, ne forte, cum perſeveraverit uſque in finem, aliqua in eo mala voluntas oriatur, ne perſeveret uſque in finem.* Hæc Auguſt. verba digniſsima ſunt, ut attentè legantur, & diligentiſsimè obſervèntur pro capienda mente tanti Doct.

14 Auguſt. igitur per illud adjutorium *quo* perſeverantiæ Sanctorum intelligit gratiam Dei in genere cauſæ formalis, quatenus denominat hominem perſeveraſſe uſque in finem vitæ: in quo ſenſu jam gratia non poteſt declinari, nec ſuperari; unde ob paritatem rationis in eodem ſenſu intelligendus eſt de omni gratia efficaci, qua ſcpius in hac vi-

ta ſalutaritèr operamur; nam de tali gratia, qua voluntas ſalutaritèr operatur intelligendus eſt Auguſt., ita ut libertatem voluntatis ſemper ſervet indemnem; aliàs ſibi contradiceret, multotiès aſſerens, talem libertatem, præſertim lib. 3. de *libero arbitrio* cap. 18. per hęc verba: *conſentire autem vocationi Dei, vel diſſentire propriè voluntatis eſt.* Quod ergo Auguſt. loquitur aliquantulum rigidè, utendo illis terminis *indeclinabilitèr, inſuperabilitèr*, provenit ex eo, quod ibi agebat contra Pelagianos, gratiam, ut inutilem, rejicientes, ipſe verò ejus neceſsitatem ita prædicabat, ut quaſi ad Manicheos videatur accedere, qui, nihil liberè evenire, docebant.

DISPUT. IV.

DE GRATIA SUFFICIENTI, & efficaci.

IN hac difficultate nihil aſſertivè dici poteſt, quod pluribus non ſcateat difficultatibus; qua propter in hoc, & ſimilibus Arcanis (ſi eſt aliud ei ſimile) tutiùs foret audire, quam dicere, ſed, quia hoc non eſt reſolvere, ſed potius oneri ſuccumbere, ideo charitate, qua potero, materiam hanc examinabo, in qua, ſi aliquid minùs rectè dictum fuerit, habeatur pro non dicto. Quare ſit

QUÆST. PRIMA.

Quid ſit gratia ſufficiens: & an ſpecificè diſtinguatur ab efficaci?

1 DUBIUM ſupponit contra hæreticos, dari re verà in ſtatu naturæ lapſæ gratiam ſufficientem, & meritò quidem, nam Alex. VIII. die ſeptima Decemb. anno 1690. damnavit ſequentem propoſitionem: *gratia ſufficiens ſtatui noſtro, non tam utilis, quam pernitioſa eſt, ſic ut proinde meritò petere poſſimus: à gratia ſufficienti libera nos Dñe.*; ſed hęc damnatio ſupponit, dari gratiam ſufficientem, quæ ab authore propoſitionis damnatę judicatur pernitioſa: ergo nunc de facto datur talis gratia. Accipiatur generalis probatio efficacitèr concludens, dari gratiam ſufficientem: *Deus vult, omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*, teſte Paulo 1. ad Thimoth. cap. 2.: quem textum ſic explicat Scotus dicens: *vult omnes ſalvari, quantum eſt ex parte ſui, & voluntate ſua ante-*

ce-

cedente, pro quanto dedit eis dona naturalia, & leges rectas, & adjutoria communia, sufficientia ad salutem; ſed iſta adjutoria communia ſunt gratiæ ſufficientes : ergo datur gratia ſufficiens ; aliàs illa voluntas generalis ſalvandi omnes, eſſet in Deo irriſoria. Suppoſita ergo exiſtentia gratiæ ſufficientis.

2 Dico 1. : *gratia ſufficiens* (loquor de gratia ſufficienti proxima, & immediata) *eſt illa, quę non ſolum conſtituit potentiam in actu primo proximo, & expedito ad operandum ſalutaritèr, ſed etiam multoties concurrit cum potentia producendo actualitèr, & exercitè conſenſum ſalutarem.* Hæc deſcriptio eſt conformis Doct. Subt. in 1. diſt. 46. quęſt. unica, §. *ad primum*, ubi poſt relata verba num. antec., ſic concludit : *& ſi Deus non habeat voluntatem beneplaciti ad iſtum ſalvandum* (loquitur de voluntate conſequenti) *tamen vult iſti illa adjutoria communia, antecedentia ad ſalutem omnium, quibus iſte etiam poteſt benè vivere, & ſalvari* ; ſed gratia, media qua homo poteſt benè vivere, & ſalvari, ſecum fert, accedente cooperatione voluntatis, conſenſum ſalutarem in actu ſecundo : ergo benè deſcrivitur gratia ſufficiens, dicendo : eſt illa, quæ non ſolum conſtituit potentiam in actu primo proximo, &c. A jaculis Adverſariorum defenſabitur iſta deſcriptio gratię ſufficientis in quęſt. ſequenti, & alibi.

3 Dico 2. : *gratia ſufficiens, & gratia efficax non diſtinguuntur ſpecifice.* Hæc concluſio eſt contra omnes Thomiſtas ; nam, cum hi dicant, gratiam ab intrinſeco efficacem, & phyſicè prædeterminantem eſſentialiter requiri ad actum ſalutarem eliciendum, qui cum adjutorio ſolius gratiæ ſufficientis elici nequit, conſequens eſt, ut doceant diſtinctionem gratiæ actualis in ſufficientem, & efficacem eſſe ſicut eam, quæ verſatur inter hominem, & brutum ſub genere communi animalis, & hominem, & brutum ſpecificè diſtingui, eſt certiſſimum. Explicatur noſtra aſſertio : gratia eadem quoad ſuam naturam, & ſpeciem, ſine ullo ſuperaddito intrinſeco, jam eſt efficax, iam eſt ſufficiens : efficax dum atrahit conſenſum ; ſufficiens, dum conſenſum non atrahit ; & licèt dicatur efficax, dum atrahit conſenſum, non ideo mutatur eius natura ; cum gratia ſufficiens in actu primo ſit, quantum eſt de ſe, efficax ad conſenſum ſalutarem

ponendum per modum cauſę partialis, activè concurrentis cum voluntate, & quando conſenſus actu non ponitur cum gratia ſufficienti, deffectus non ſtat, ex parte eius, neque ex carentia virtutis activæ in ipſa, ſed unicè, vel ex negligentia, vel ex malitia voluntatis, nolentis ei cooperari. Differunt ergo inter ſe iſtæ gratiæ tantum extrinſecè, & accidentaliter, hoc eſt, penès modum habendi effectum. Ambę iſtæ concluſiones amplius patebunt ex quæſt. ſequenti, & etiam alibi.

QUÆST. SECUNDA.

An gratia ſufficiens detur, non ſolum ad poſſe ſimpliciter, ſed etiam ad actu agere ſalutariter?

4 SEnſus difficultatis eſt: an voluntas creata, adjuta, & elevata per gratiam ſufficientem, qua conſtituitur in ratione completa actus primi in ordine ſupernaturali, ſuppoſito concurſu ejuſdem ordinis, multoties in actu ſecundo eliciat conſenſum ſalutarem. In hac graviſsima controverſia omnes Thomiſtę tuentur part. negativam, eo quod judicant, gratiam efficacem phyſicè prædeterminantem, ita eſſentialiter prærequiri ad conſenſum ſalutarem ponendum, quod, licèt præciſivè à tali gratia intelligatur poſſe, numquam tamen dabitur agere, ſeu actus ſecundus. Nos verò, qui dicimus, gratiam ſufficientem, quantum eſt de ſe, eſſe in actu primo efficacem, efficatia non infallibiliter, ſed fallibiliter, & contingentèr conexa cum operatione ſalutari, aliter debemus theologizare. Et, licèt paucos habeamus Patronos pro explicito defenſantes noſtram opinionem, quatenùs, ut in plurimum Scholaſtici moderni ſolum curarunt, ſtatuere contra Calbinum, & Janſeniſtas exiſtentiam, & utilitatem gratiæ ſufficientis, cum hi hęretici ſint toti in probanda exiſtentia gratię medicinalis, ſeu efficacis pro ſtatu naturæ lapſæ, pro quo ſtatu ſupponunt, nullam dari gratiam ſufficientem, ſed omnem eſſe intrinſicè efficacem; propterèaque ſuſtinent hanc propoſitionem: *interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſę nunquam reſiſtitur*; quæ ab Eccleſia meritò damnata eſt, ut hæretica: non deſunt aliqui. Quibus præmiſsis, ſit

5 Concluſio: *gratia ſufficiens, quę nunc de facto datur, non ſolum habet complere voluntatem in ratione actus primi in or-*

ordine ſupernaturali, ſed multoties habet procucere in actu ſecundo ſimùl cum ipſa voluntate conſenſum ſalutarem. Eſt conformis menti Doct. locis infra citandis; & prob. 1. ratione fundata in Script. & in Doctore: quod à Deo, ſerio, & efficaciter volente, intenditur, tanquam medium ad aliquem finem conſequendum, eſt cauſa efficiens, & ſufficiens, quantum eſt ex ſe in ordine executivo ad talem finem adipiſcendum; ſed Deus ſerió, & efficacitèr, quantum eſt ex parte ſui intendens, & volens omnibus gloriam, tanquam finem ultimum, & opera ſalutaria, tanquàm finem intermedium, intendit ſerio, & efficacitèr auxilium ſufficiens, tanquam medium ad talem finem conſequendum: ergo gratia ſufficiens eſt in ordine executivo cauſa efficiens, ac in re, & defacto, quantum eſt de ſe ſatis, & ſufficienter efficax, &c. Minor quoad prim. part. patet ex illo Pauli 2. ad Thimoth. 1.: *Deus vult, omnes homines ſalvos fieri*, quam ſalvandi voluntatem intelligunt omnes Theologi de voluntate Dei ſeria, & quantum de ſe efficaci: & patet etiam eadem minor quoad ſecundam part. ex Doctore Subt., dicente: *Deus vult, omnes homines ſalvare, pro quanto dedit eis dona naturalia, leges rectas, & adjutoria communia, ſufficientia ad ſalutem.*

6 Prob. 2.: ut aliqua cauſa partialis habeat in ſe ſufficientem efficatiam ad ponendum effectum, nihil aliud neceſſariò requiritur, niſi quod in ſua linea cauſę partialis habeat ſufficientem virtutem, ad talem effectum ponendum; ſed talis eſt gratia ſufficiens: ergo in ſe habet ſufficientem efficatiam ad talem conſenſum: ergo defacto ipſum multoties operatur. Prob. min.: illa cauſa partialis habet ſufficientem virtutem ad producendum effectum in ſua linea, quæ, ſecluſſo quocumque alio, & ſola poſita cooperatione alterius cauſæ, actu habet effectum; ſed gratia ſufficiens, ſecluſſo quocumque alio, & poſita ſola cooperatione voluntatis, quæ eſt altera concauſa, habet effectum: ergo gratia ſufficiens in ſua linea cauſæ partialis, &c. Confirm. ex Doct. in 2. diſt. 39. q. 2. §. *contra iſtud*, ℣. *præterea*, ajente: *cauſa ſufficienter agente, conſequitur effectus maximè quando paſsivum eſt proximè aproximatum*; ſed paſsivum in productione conſenſus ſalutaris eſt voluntas, proximè aproximata ſibi ipſi, tanquam activo

par-

partiali, & gratia ſufficiens eſt altera cauſa partialis ſufficienter agens in ſua linea: ergo, his poſitis, ponitur conſenſus ſalutaris: ergo gratia ſufficiens eſt ſufficienter agens, & ſimul ſufficienter efficax, & conſequenter multoties cum voluntate ponit conſenſum.

7 Prob. 3.: cauſa impedibilis, dum non eſt impedita, ponit effectum; ſed gratia ſufficiens eſt cauſa conſenſus ſalutaris, & impedibilis à voluntate creata: ergo, dum talis gratia non eſt impedita à voluntate, ponit ſimul cum ipſa conſenſum ſalutarem. Maior eſt Doct. in 4. diſt. 21. q. 1. §. *Si iſte modus*, ubi ait: *cauſa impedibilis, dum eſt impedita; non ponit effectum, dum verò non eſt impedita, ponit.* Minor quoad ſecundam part., ſcilicet, quod gratia ſufficiens ſit concauſa conſenſus ſalutaris in actu ſecundo, prob.: & primo ex damnatione ſecundę propoſitionis Janſenij: voluntas gratia ſufficienti præventa ad conſenſum ſalutarem eliciendum, aliquando reſiſtit tali gratiæ: ergo aliquando cum ipſa producitur conſenſus. Prob. conſequentia: ſi voluntas, gratia ſufficienti præventa, nunquam operaretur cum ipſa conſenſum damnatio Innoc. X. contra iſtam: *interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur*: lata, non faceret ſenſum proprium, & formalem; ſed hoc eſt falſum: ergo, &c. Prob. maior: damnatio Pontificia reddit veram propoſitionem contradictoriam in ſenſu proprio, & formali, dicendo: *interiori gratię in ſtatu naturæ lapſæ aliquando reſiſtitur*; ſed ut ſit vera in ſenſu proprio, & formali hęc propoſitio: *voluntas aliquandò gratiæ ſufficienti reſiſtit*; debet eſſe vera iſta altera: *voluntas cum gratia ſufficienti aliquando habet effectum*: ergo, &c.

8 Supra poſita minor quoad prim. part. prob. ex Div. Proſpero in reſponſione ad objectiones Vincentianas cap. 2. dicente: *ſinceriſsimè credendum eſt, atque profitendum, Deum velle, ut omnes ſalvi fiant; ſiquidem Apoſt.; cuius eſt hæc ſententia, abſolutè præcipit, ut Deus pro omnibus ſupplicetur* (notentur ſequentia) *ex quibus, quod multi pereant, pereuntium eſt meritum, & quod multi ſalventur, ſalvantis eſt donum*; ſed hic loquitur Div. Proſper de illa voluntate generali, vi cuius non datur omnibus, niſi gratia ſufficiens: quantum tamen eſt de ſe efficax, & de illis omnibus ait, plures ſalvari: ergo, qui ſalvan-

vantur, ſalvantur media gratia ſufficienti, & propterèa de ratione gratię ſufficientis eſt, quod in aliquibus habeat effectum, licèt in alijs, cooperari nolentibus, effectum non habeat.

9 Prob. 4.: hæc propoſitio: *gratia ſufficiens nunquam habebit effectum*; vel eſt ſimplicitèr neceſſaria, vel ſimplicitèr contigens? Sed primum eſt falſum, & ſecundum eſt pro nobis: ergo gratia ſufficiens aliquando ſortitur effectum. Prob. minor quoad primam part.: ſi talis propoſitio eſſet ſimplicitèr neceſſaria, eius contradictoria, ſcilicèt: *gratia ſufficiens habebit aliquandò effectum*, eſſet ſimplicitèr impoſsibilis, tunc gratia ſufficiens eſſet omninò inutilis ad conſenſum ſalutarem ponendum, nam illud eſt omninò inutile ad conſenſum ponendum, cui eſt omnino impoſsibilis conſecutio effectus; ſed non benè ſonat, dicere, gratiam ſufficientem eſſe inutilem ad ponendum conſenſum ſalutarem, cum hoc redoleat janſeniſmum, & ſaltèm partialitèr appareat damnatum in illa ab Alexand. VIII. damnata propoſitione: *gratia ſufficiens ſtatui noſtro non tam utilis, &c.*: ergo, &c. Supra poſita prima min. quoad ſecundam part. conſtat quia ſi talis propoſitio eſt ſimplicitèr contingens, iam gratia ſufficiens habebit effectum, nam, quod eſt contingens, eſt aliquandò.

10 Confirm.: nam de cauſa contingentèr operativa in actu primo proximo non poteſt dici cum maiori fundamento, quod non operabitur, quam, quod operabitur; ſed gratia ſufficiens eſt cauſa in actu primo proximo, potens operari, & non operari: ergo dicere, quod non habebit effectum, non eſt magis verum, quàm dicere, quod effectum habebit. Immo Thomiſtę non alio fundamento ducuntur ad aſſerendum, quod gratia ſufficiens nunquàm actu conjungenda eſt, licèt, conjungi poſsit, cum actu ſalutari, niſi quia judicant, talem conſenſum dabilem non eſſe, ſi non ponatur gratia efficax phyſicè prædeterminans; ſed hujuſmodi gratiam prędeterminantem, negabitur infrà, eſſe neceſſariam ad ſalutarem conſenſum: ergo, &c.

11 Prob. denique Concluſio ex Div. Auguſt. in varijs ſuæ doctrinæ locis: nam tract. 52. ſuper cap. 12. Ioan. ait: *quare non poerant? Si à me quæris, citò reſpondeo; quia nolebant.* Et lib. 12. de Civitate Dei, cap. 6., ubi ait.: *ſi duo*

æqualiter affecti animo, & corpore, videant unius corporis pulchritudinem, & ſi eadem tentatione tententur, & unus cadat, alter idem, qui fuerat, perſeveret, quid aliud apparet, niſi unum voluiſſe, & alterum nuluiſſe à charitate defficere. Ex quibus ſic: ex iſtis hominibus, æqualibus in actu primo, unus voluit, & alter noluit cadere: ergo cum gratia ſufficienti aliquandò producitur bona operatio. Conſequentia patet. Prob. antec.: ex iſtis hominibus, unus cooperando gratiæ ſufficienti, reſtitit tentationi, & alter, gratiæ ſufficienti non cooperando, lapſus eſt in tentationem; toto diſcrimine in uno præ alio ſtante in ſolis eorum voluntatibus, ut ait expreſsè Auguſt.: ergo ex parte gratiæ ſufficientis, ſe habentis ex parte actus primi, tales homines erant prorſùs æquales.

12 Arguit. 1.: ſi gratia ſufficiens, quæ nunc defacto datur, aliquando haberet ſimul cum voluntate ſalutarem conſenſum, tunc opus ſalutare non eſſet ſolius Dei miſerentis, ſed etiam eſſet ipſius hominis volentis, atque currentis; ſed hoc eſt contra illud Pauli ad Rom. 9.: *non eſt volentis, neque currentis, ſed Dei miſerentis*: ergo, &c. Reſpondeo diſting. mai.: ſi gratia ſufficiens, &c., tunc opus ſalutare non eſſet ſolius Dei miſerentis principaliter, ſed etiam, &c., nego mai.: non eſſet ſolius Dei miſerantis, ſed etiam eſſet ipſius hominis volentis, ſto minus principaliter, ſubdiſting.: eſſet ipſius volentis, atque currentis ex viribus naturæ, nego: ex viribus gratiæ, conc. mai., & nego min. in ſenſu diſtinctionis.

13 Dictum ergo Pauli ita intelligendum eſt, quod nullatenùs ſit noſtrum ex naturæ viribus elicere opus ſalutare cum ad tale opus eliciendum præcedat gratia prævenies, quæ ſoli Deo tribuenda eſt: actus autem ſalutaris, conſequens iſtam vocationem, eſt immediatè à Deo, & à nobis: à Deo principaliter, & minus principaliter à nobis; quod teſtatur idem Apoſt. 1. ad Corinth. 15. dicens: *gratia Dei ſum id, quod ſum.* Et, ut oſtendat, ſuum liberum arbitrium habuiſſe partem, licèt minus principalem, ait: *& gratia eius in me vacua non fuit, ſed plus omnibus laboravi.* Idem docet Auguſt. lib. 1. ad Simplicianum, quæſt. 2. dicens: *ut velimus, & ſuum eſſe voluit, & noſtrum.* Ergo, licèt ſolius Dei miſerentis ſit nos vocare, & ſua gratia prævenire, ut fide

cer-

certum eſt, tamen poſitio actus ſalutaris, non eſt ita ſolius Dei, quin & nos etiam partem habeamus, licèt minùs principalem, ut etiam eſt fide certum.

14 Arguit. 2.: ſi cum ſola gratia ſufficienti poſſemus prorrumpere in actum ſalutarem, poſſemus nos metipſos diſcernere, & conſequentèr gloriari de operibus noſtris; ſed hoc eſt contra Apoſt. 1. ad Corint. 2. dicentem: *Quis ergo te diſcernit? Quid autem habes, quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?* Ergo cum ſola gratia ſufficienti, &c. Prob. mai.: dentur duo homines, gratia ſufficienti exornati, quorum unus cooperetur, & alter non; in quo caſu, qui ſalutaritèr operatur, cooperando gratiæ, poteſt, præ altero, gloriari, dicens: *ego me diſcerno ab altero, nolente cooperari eidem gratiæ, cui ego cooperatus ſum.* Diſting. mai.: ſi cum gratia, &c., poſſemus noſmetipſos diſcernere, &c., ex proprijs noſtris viribus, neg. mai.: ex viribus proprijs gratiæ, ſubdiſting.: ſecundùm quid, & minùs principaliter, conc. mai.: abſolutè, & principaliter, nego mai.

15 Neque quid amplius voluit Apoſt., nam Apoſt. nunquam prohibuit, nos gloriari, dum operamur bonum; ſed quod in nobis metipſis non gloriemur, ſèd in Dño., ipſi tribuentes, quod benè ſalutaritèr operemur, ut patet ex ipſo prima ad Corinth. 1. dicente: *qui gloriatur, in Dño. glorietur*, quo ſenſu loquens Rom. cap. 2.; docet, nos poſſe ſpectare gloriam, & honorem, noſtris operibus debitum, inquiens: *gloria, honor, & pax omni operanti bonum.* Immò ipſe Paulus 2. ad Corint. 1. ait de ſe: *& ſi gloriari voluero, non ero inſipiens*: ac ſi dixiſſet, ut revera dixit: *quamvis gratia Dei ſim id quod ſum, tamen, quia gratia ejus in me vacua non fuit, ſed abundantius omnibus laboravi, ideò, & ſi aliquandò glorier in eo, quod gratiæ Dei cooperatus ſim, nihil quidem mihi intemperantiæ verti poteſt.* Apponamus exemplum: ſit aliquis totaliter imperitus artis, pulſandi organum v.g., ipſique detur organum, ita artificiosè ab aliquo Magiſtro conſtructum, ut, ſi vel leviter ipſum tangat, edat ſonum ordinatiſſimum. Iſte ſanè non poterit ſimpliciter jactare, ſe edidiſſe ſonum ordinatiſſimum, neque ab alio, nolente idem inſtrumentum tangere, ſe ſimpliciter diſcreviſſe, licèt, illud libere tangendo, ſe aliqualiter diſcreverit; à nolente manum applicare tali inſtrumento,

to, non tamen ſe diſcrevit propria induſtria ſed beneficio ſapientis artificis. Attamen, ſi ſemper invitaretur ad organum pulſandum, & nunquam pulſare vellet, eſſe reus ignaviæ. Sic in præſenti, qui legem Dei ſervat, alio, per eandem gratiam vocato, ipſam non ſervante, non poteſt dicere abſque arrogantia ſe ſimpliciter legem Dei ſervaſſe, & ab alio ſe diſcreviſſe ſuis proprijs viribus, ut dicebant Pelagiani, ſed ſolum beneficio gratiæ, cui correſpondebat, ipſam non negligens, ſed potiùs ei obſequens; qui autem ſic aliqualiter ſe diſcernit ex viribus gratiæ, non contradicit, ſed potiùs immitatur Apoſtolum, & obedit Auguſt. ſuper Pſalm. 141. ajenti: *attendite, ut diſcernatis vos.*

16 Arguit. 3.: ſi quis cum ſola gratia ſufficienti eliceret conſenſum ſalutarem, tum conſumatio operis ſalutaris tribueretur homini; ſed hoc eſt contra illud Pauli ad Philip. 2.: *Deus eſt, qui operatur in nobis velle, & perficere*: ergo, &c. Reſp. diſtinguendo mai.: tunc conſumatio boni operis, ſeu ſalutaris, tribueretur homini ſecundùm quid, & minus principaliter, conc. mai.: abſolutè, & principaliter, nego mai. Initium ergo operis ſalutaris eſt a ſolo Deo inconſulta omninò voluntate creata; conſumatio verò, ſeu actualis productio actus ſalutaris, licèt principaliter ſit à Deo, non tamen eſt ita ab ipſo, quod ita non ſit à nobis, licèt minus principaliter, & hoc tantum voluit ibi Apoſt. Alioquin, ſi nos velle, & perficere in ordine ſalutari ſuo modo non operaremur, fruſtrà Chriſtus dixiſſet: Ioann. 6.: *operamini cibum, non, qui perit, ſed, qui permanet in vitam æternam*; nam ut dicitur ab Auguſt.: *utrumque* (velle ſcilicèt, & perficere) *ipſius eſt, quia ipſe præparat voluntatem, & trumque noſtrum eſt, quia non fit, niſi volentibus nobis.*

17 Arguit. 4.: ſi gratia ſufficiens ſufficeret ad conſenſum ſalutarem eliciendum, accedente voluntatis cooperatione, gratia penderet à voluntate; ſed hoc eſt falſum: ergo, &c. Prob. ſequela maioris: ex duobus principijs, quorum unum determinatur ab altero, illud, quod determinatur, pendet à principio determinante; ſed eo ipſo, quod gratia ſufficiens, accedente coperatione voluntatis, ſufficeret ad conſenſum ſalutarem, gratia determinaretur à voluntate: ergo ab illa penderet. Reſp. diſt. mai.: ſi

gra-

gratia, &c., gratia quoad ſui eſſe, & quoad ſuam ſecundum quid efficatiã, dependeret à voluntate, nego mai.; quia ſic à ſolo Deo dependet: quoad cauſare ſubdiſtinguo: quoad cauſare ſuum effectum in genere cauſę formalis dependeret à voluntate, nego mai.; quia hoc convenit gratiæ pro priori ad omnem actionem liberam voluntatis: quoad efficatiam ſimpliciter, ſeu quoad certò ponere ſuum effectum in genere cauſæ efficientis, dependeret à voluntate, conc. mai.: & hoc nullum eſt inconveniens; & expreſsè docetur ab Auguſtino lib. 50. Homiliarum, homil. 12., inquiente: *dat quidem Diabolus conſilium, ſed Deo auxiliante, noſtrum eſt, vel eligere, vel repudiare, quod ſuggerit.*

18 Arguit. 5.: plús requiritur, ut quis actu operetur, quàm, ut proximè operari poſsit; ſed per gratiam ſufficientem habetur poſſe proximè operari: ergo per ipſam non habet quis, ut actu operetur: ergo ad actu operari, non eſt ſatis gratia ſufficiens. Confirm.: de ratione gratiæ ſufficientis ſolum eſt conferre principium ex ſe proportionatum ad actum: ergo talis gratia ſolum datur ad poſſe, non verò ad operari. Solutionem incipio ab hoc ultimo, &

19 Reſp. negando antec.; quia gratia ſufficiens non benè deſcribitèr per hoc, quod potentiæ ſolum conferat, eſſe principium proportionatum ad operationem, nam licèt hoc præſtet potentię, non tamen hoc tantum, ſed ulteriùs dat ipſam actualem operationem, independentèr ab alio novo auxilio, dummodò potentia non abutatur tali gratia, ſeu ei non reſiſtat. Ad argum. confirmationem diſting. mai.: plús requiritur ex parte actus, ut quis actu operetur, quàm ut proximè operari poſsit, omitto mai.: plus requiritur ex parte potentiæ, ſeu principij, nego mai.. Itaque, licèt ad actualem operationem neceſſarius ſit Dei concurſus actualis, & exhibitus, tamen iſte concurſus non eſt completivus, nec gratiæ ſufficientis, nec potentię, quam afficit; cum unicè ſe teneat ex parte actus ſecundi. Unde, cum actu operari nihil aliud ſit, quam actuare ea, quæ agens habet in ſua poteſtate, inde eſt, quod omnia, quę per operationem producuntur In actu, ſupponi debent in potentia operantis. Gratia ſufficiens etiam ſupponit concurſum Dei, licèt non exhibitum, bene verò paratum; propterea que omiſſi primum membrum diſtinctionis;

nis; quia concurſus Dei, ſivè paratus, ſivè exhibitus, ſemper idem eſt, ſolumque diſtinguitur penès habere, vel non habere effectum, quæ effectus habitio in cauſis liberis dependet ab arbitrio operantis.

20 Arguit. 6.: gratia, tantum ſufficiens, includit negationem actus ſecundi; ſed repugnat, potentiam actu operari cum gratia, includente negationem actus ſecundi: ergo repugnat, ipſam actu operari cum gratia ſufficienti, & conſequenter aliud novum auxilium prærequiritur ad operationem. Reſp. diſting. mai.: gratia, tantum ſufficiens, includit ſecundùm ſe, & ab intrinſeco negationem actus ſecundi, nego mai.: per accidens, & ab extrinſeco, conc. mai.: & in verſis terminis diſtincta min., negatur conſequentia. Quod gratia ſufficiens ſæpè fruſtetur operatione ſupernaturali, non provenit à gratia ſecundum ſe, aut ex deffectu virtutis in ipſa; cum, quantum eſt de ſe, ſit ſufficiens, & efficax ad conſenſum ponendum: & quod talis conſenſus non ponatur, unicè provenit ex deffectu cooperationis ex parte voluntatis: & ideo ſalutaritèr operari eſt ex voluntate, adjuta per gratiam Chriſti; at non conſentire vocationi eſt ex ipſa ſola voluntate, juxta illud Oſeæ 13.: *peraitio tua ex te Iſrael, tantummodò in me auxilium tuum.*

21 Arguit. 7.: ſi cum gratia ſufficienti poſſemus actu operari, talis gratia jam non eſſet ſufficiens, & ſic deſtrueretur ejus natura: ergo cum gratia ſufficienti, &c. Prob. antec.: gratia, qua actu operamur eſt efficax: ergo, &c. Antec. eſt certum. Conſeq. patet; quia gratia ſufficiens nequit tranſire ad ſtatum gratiæ efficacis, cum membra dividentia alicujus diviſi, ita inter ſe opponantur, ut unum nequaquàm poſsit eſſe aliud; ſed gratia ſufficiens, & efficax ſunt membra dividentia gratię excitantis ut ſic: ergo ſufficiens nunquam poteſt eſſe efficax. Diſtinguo antec.: ſi cum gratia ſufficienti, &c. talis gratia non eſſet ſufficiens tantum, conc.: non eſſet ſufficiens, & efficax ſimul, nego antec. Ad prob. diſtinguo antec.: gratia, qua actu operamur eſt efficax, & ſufficiens ſimul, conc. antec.: eſt efficax, & non ſufficiens, nego antec. Ad probat. conſeq. diſting. mai.: gratia ſufficiens nequit tranſire ad ſtatum gratię efficacis ſine connotatione effectus,

tus, conc. : cum connotatione effectus, nego mai. ; cuius probationem imbibitam diſtinguo : membra dividentia alicujus diviſi generici in ſuas ſpecies, &c. conc. : diviſi, quod non ſit genus ad membra, nec illa ſint ſpecies talis diviſi, nego mai. ; & diſt. min. : ſed gratia ſufficiens, & efficax ſunt membra dividentia gratię excitantis, ut ſic, tanquàm vera ſpecies eius, nego min. : tanquam diſtincta connotata ejuſdem gratię, conc. min., & nego conſequentiam. Solutio claret ex jam dictis hucuſquè.

QUÆST. TERTIA.

An gratia efficax conſtituatur in eſſe talis per ſalutarem conſenſum, prævisum conditionatè futurum per ſcientiam mediam?

22 IN Tract. de Intellectu divino quęſt. 2. Diſput. 5. in principio recenſentur multæ Theologorum opiniones, circa medium, in quo à Deo certo, & infallibiliter cognoſcuntur futura, tam conditionata, quam abſoluta : & cum eædemmet ſententiæ huic pertineant, ubi ſermo ſit de notione gratiæ efficacis, ideo illę, quę ſunt magis in Schola frequentes, veniunt nunc examinandę : & primo quidem celeberrima inter Ieſuitas, qui gratiam efficacem intendunt explicare per ſuam ſcientiam mediam. Eſt ſupponendum, eam gratiam ab omnibus intelligi efficacem, quæ certò, & infallibiliter conexa eſt cum conſenſu ſalutari, & propterea ſenſus præſentis difficultatis eſt : an prædicta gratiæ efficacis connexio reguletur per ſcientiam mediam, necnè ? Si ſcientia media non admittatur, huic quæſtioni negativè reſpondetur, & ideò ſit

23 Concluſio : *defactò non eſt admittenda ſcientia media.* Probat. primo concluſio ratione fundata in Doct. in 1. diſt. 39. quæſt. unica, §. *ad primum argumentum* : ſcientia media conſiſtit in quadam notitia, methaphyſicè certa, & infallibili, quam Deus habet de futuris conditionatis liberis ante omne decretum, à Deo actu poſitum de tali futuro ; ſed talis notitia in Deo non datur : ergo, &c. Prob. min. non exiſtente objecto ſcientiæ ſpeculativæ, talis ſcientia non datur ; ſed ita evenit in præſenti : ergo, &c. Prob. min. : converſo Tyriorum ſub conditione prędicationis Chriſti apud ipſos, eſt futurum conditionatum, & non à ſe, ſed ne-

neceſſario cauſa extrinſeca, ſi vere futurum eſt; ſed non poſito in Deo actuali decreto, non intelligitur aliquid ab eo diſtinctum, unde accipiat talem futuritionem: ergo, &c.

24 Reſpondent Ieſuitæ, verum eſſe requiri Dei decretum ad hoc, ut Tyriorum converſio ſit futura ſub conditione prędicationis Chriſti; at non eſt neceſſarium decretum actu exiſtens, ſed decretum conditionatum, tam ex parte actus voluntatis divinæ, quam ex parte objecti. Nam, cum objectum ſit omnino conditionatum, decretum quoque undequaque conditionatum debet eſſe. Quare futurum conditionatum in hac ſententia nihil aliud eſt, quàm quod tale objectum eſſet extra ſtatum poſsibilitatis, ſi poneretur talis conditio.

25 Sed contra: licèt actu non detur exiſtentia illius actus conditionati, id eſt, converſionis Tyriorum, actu tamen datur verus tranſitus talis actus ab ſtatu poſsibilitatis ad ſtatum futuritionis conditionatę: ergo ad iſtum actualem tranſitum, quo Tyriorum converſio ſub conditione prædicationis Chriſti ab ſtatu puræ poſsibilitatis tranſit ad ſtatum futuri conditionati, requirit actuale Dei decretum. Conſequentia patet; quia effectus exigit cauſam ſibi proportionatam; ſed tranſitus converſionis Tyriorum à ſtatu purę poſsibilitatis ad ſtatum futuritionis conditionatæ, neque eſt à ſe ipſo, neque à decreto ponendo: ergo præciſè à decreto actu poſito.

26 Nec dicas cum Contrarijs, quod per ipſam ſcientiam mediam ſine ullo Dei decreto, actu poſito, fit actualis tranſitus ab uno in alium ſtatum. Contra brevitèr: futurum conditionatum in aliquo priori, ſaltem logico, debet præſupponi ad ipſam ſcientiam mediam: ergo per iſtam non poteſt fieri talis tranſitus. Prob. antec.: Si conſenſus non eſſet futurus ſub illa conditione, ſcientia divina non cognoſceret illum ut futurum: ergo in aliquo priori debet prę ſupponi. Nam, ſicut futuritio abſoluta ſupponitur ad ſcientiam viſionis, ſic futuritio conditionata ad ſcientiam mediam præſupponitur; & conſequenter talis futuritio conditionata poni non poteſt à ſcientia media: & cum deinde nec poſsit poni à ſe ipſa, nec à decreto Dei ponendo, poni debet à decreto actuali; & ſic nulla eſt ſcientia media.

27 Prob. 2.: omnis cog-

ni-

nitio divina debet esse certa, & infallibilis, nedum subjective, sed etiam objectivè; sed talis non esset si determinativum talis scientiæ esset aliquid creatum cum omnimoda indifferentia ad determinari: ergo talis scientia necessario requirit determinativum actuale, & consequenter actuale decretum. Prob. min.: determinativum contingenter determinandum, est omninò indifferens ad determinari, potens non determinari, & consequenter fallibile; sed determinativum, sic indifferens nequit determinare scientiam, tam subjective, quam objectivè infallibilem: ergo, &c. Prob. min.: determinativum sic indifferens, potest aliter se habere, ac cognoscitur in sensu compositio cognitionis; sed determinativum, potens aliter se habere, ac cognoscitur in sensu compositio cognitionis, non potest determinare scientiam omnino infallibilem: ergo, &c. Maior patet; quia tale determinativum, dum determinat cognitionem, & quando datur talis cognitio ex tua omnimoda indifferentia; & consequenter in sensu compositio cognitionis potest aliter se habere, ac cognoscitur: ergo cum non sit assignabile determinativum, reddens scientiam Dei omninò infallibilem, præter decretum actuale suæ voluntatis, hinc est, non dari scientiam mediam, cujus natura est, antecedere Dei decretum actuale.

28 Probat. 3., supponendo cum communi Iesuitarum, Deum non posse manere suspensum per totam æternitatem circa aliquod objectum; immò necessitari, vel ad illud positivè velle, vel positivè nolle; quo principio supposito, prob. repugnantia scientiæ mediæ: circa objectum, conditionatè futurum, repugnat, quod excludatur omne decretum actuale, & exercitum ex parte Dei; sed hoc ipso excluditur scientia media: ergo, &c. Prob. mai.: objectum esse conditionatè futurum est directè, & per se actu volibile, aut nolibile à voluntate divina: ergo repugnat, quod circa eum excludatur omne Dei decretum actuale. Antec. est certum. Consequ. prob.: voluntas Dei nequit manere suspensa nihil decernens de existentia, vel non existentia subjecti: ergo proposita per intellectum divinum volibilitate, & nolibilitate obiecti sub hac, vel illa conditione, voluntas Dei debet habere actum, quo exercitè velit, objectum existere, vel

non exiſtere ſub hac, vel illa conditione; alioquin poſſet manere ſuſpenſa circa velle, & nolle, quod eſt contra ipſos.

29 Prob. tandem Concluſio ex dictis in Tract. de *Scientia Dei*, ubi radicitus evelluntur ſcientiæ mediæ fundamenta; tum, quia ibi docetur, futurum, ſivè abſolutum, ſive conditionatum, conſtitui per actualem paſsivam determinationem ad exiſtentiam habendam. Tum, quia docetur, propoſitiones de futuro contingenti non eſſe ex ſe, aut ex lege contradictionis determinatè veras, aut determinatè falſas, ſed omnino neutras. Tum, quia ibidèm, & in Tract. de *Voluntate Dei* admittuntur in Deo decreta ex parte actus, & ſubjectivè abſoluta, & objectivè conditionata. Tum tandem ex illis authoritatibus Script., ex quibus conſtat Deum plura actu decreviſſe, quæ tamen non evenerunt, quia eorum conditio non fuit poſita, ut deſcenſus Saul in Zeilam, & traditio David per Zeleitas in manu Saul; nam David 1. Reg. cap. 23.; conſuluit Deum: an Saul deſcenſurus erat in Zeilam, ubi ipſe remanebat? Et ait Dñs., deſcendet. Dixitque rurſus David: ſi tradent me viri Zailitæ? Et dixit Dñs. tradent. Sed nihilominùs neutrum eorum evenit: ergo, quia, licet ſic fuerit à Deo decretum, fuit tamen dependenter à conditione, ex cujus deffectu, neutrum evenit: utrumque autem infallibiliter eveniſſet, ſi conditio poſita eſſet; alias Deus eſſet mentitus. Ex his omnibus ſequitur efficaciam gratiæ non poſſe regulari per ſcientiam mediam. Ratio eſt; quia efficacia gratiæ regulari non poteſt per id, quod, nec eſt, nec exiſtere poteſt; ſed ſcientia media, nec eſt, neque exiſtere poteſt: ergo, &c. Minor probari poteſt rationibus adductis, nec non, & alijs pluribus ex Tractatib. de *Scientia Dei*, & *Voluntate Dei*.

30 Arguitur 1. ex increpatione Chriſti, facta in Hæbreos Matth. 11.: nam, ſi Deus decreviſſet efficacitèr converſionem Tyriorum ſub conditione prædicationis Chriſti, & non decreviſſet efficacitèr converſionem Hæbreorum ſub eadem conditione, injuſta eſſe increpatio comparativa à Chriſto Dño.; ſed hoc non eſt dicendum: ergo ex æquitate comparationis infertur, pœnitentiam Tyriorum, & impœnitentiam Hæbreorum habuiſſe futuritionem ante omne decretum Dei actuale. Hoc eſt dari in Deo ſcientiam mediam,

ut eſt eiudens : ergo talis ſcientia datur : Maior ſyllogiſmi probatur ; ut ſit juſta increpatio comparativa , qua increpatur malè operatum , reſpectivè ad benè operatum, debet ille , qui increpatur , non carere inculpabilitèr aliquo, quo gaudet bene operans ; & aliundè conducit ad operandum ; ſed ſi Deus decreviſſet efficacitèr converſionem Tyriorum ſub , &c. , minimè verò converſionem Hæbreorum , ſub eadem , &c. Hæbrei carerent inculpabilitèr decreto efficaci converſionis , quo non carerent Tyrij ; quod quidem decretum maximè conducit : ergo, &c.

31 Ad argum. reſp. negando mai. Ad prob., conceſſo mai., diſting. minorem : ſed ſi Deus efficacitèr decreviſſet, &c. ; ſi talia decreta efficatia eſſent antecedentia , omitto, quia in hoc ſenſu ſolutio incumbit Authoribus talium decretorum : ſi talia decreta eſſent purè concomitantia , nego min. , & conſeq. Siquidem voluntas Hæbreorum, virtualiter contenta in voluntate divina, ſimul Deo comitanti, noluit, pœnitere , Tyris ſub eadem conditione volentibus pœnitentiam agere. Unde , ſi non adſit decretum comitans de converſione Hæbreorum , hoc ideo eſt , quia ſub illis circunſtantijs , ut virtualitèr continebatur eorum voluntas in divina, juxta ſuum liberum modum agendi , ipſi concomitantèr noluerunt ſuam converſionem: & ideò juſtiſsimè increpati fuerunt à Chriſto , reſpectu Tyriorum , qui ſub eadem conditione, & ſub eiſdem auxilijs pœnitere voluerunt per volitionem, virtualitèr contentam in decreto comitanti.

32 Arguit. 2. ex illo Sapientiæ 4. : *raptus eſt , ne malitia mutaret intellectum ejus:* ergo peccata, quæ Deus prævidit ſub conditione , homini juſto eventura , non prævidit ex vi decreti, ſed ante omne decretum , & conſequentèr per ſcientiam mediam. Prob. conſequentia : ſi Deus prævideret talia peccata in vi decreti, tale decretum, eſſet à Deo liberè factum , & ſic potuit Deus non facere huiuſmodi decretum : ergo potius tenendum eſt , Deum non facere decretum , ut juſti non peccarent, quàm præmaturè eos rapere, ne peccent, &c. Reſp. negando utramque conſequentiam; quia , licèt Deus de ſua abſoluta potentia potuiſſet , non facere tale decretum , conditionatum ex parte objecti, tamen ſuppoſito , quod ante omne decretum de actibus noſtris liberis ſtet generalis lex de eo,

quod Deus velit causas ſecundas motus ſuos agere, ſe ipſum ſub omni conditione accomodando earum libertati, tunc non poteſt non facere decretum accomodando ſe voluntatibus juſtorum, quas in ſua voluntate continet ſecundum omnem modum liberè volendi pro quocumque temporis inſtanti. Quare, ne perveniant juſti ad illas occaſiones ſub quibus Deus habet decretum comitans conditionatum de permiſsione peccatorum ſecundum eorum voluntates, præmaturè rapit illos. Et ſi inquiras: cur Deus non rapit omnes, quandó ſunt in gratia, ne iterúm peccent, & pereant? Reſponſio non eſt huius loci.

33 Arguit. 3. ex PP., & præcipuè ex Auguſt., qui varijs in locis videtur ſupponere, prædeſtinationem ad gloriam eſſe poſt prævisſa merita; ſed hoc nequit eſſe ſine ſcientia media: ergo datur ſcientia media. Confirm. ex eodem lib. 12. de Civitate Dei cap. 5., ubi loquens de duobus hominibus, æqualitèr ſe habentibus cum auxilio ad bonum, & cum ſugeſtione ad malum, aſſerit, unum peccaſſe, & alterum reſtitiſſe tentationi; ſed non alia ratione, niſi, quia unus voluit, & alter noluit a caſtitate defficere: ergo ſcientia de lapſu unius, & de victoria alterius non poteſt fundari in divino decreto, ſed in ipſa volitione, & nolitione, futuris ſub eadem conditione, quod eſt formaliſſimè ſcientia media. Urgetur ex ipſo lib. 1. ad Simplicianum quæſt. 2., dicente: *nullius Deus fruſtrà miſeretur; cuius autem miſeretur, ſic eum vocat, quomodo ſcit ei congruere, ut vocantem non reſpuat*: ergo quando Deus vocat, Petrum v. g., per auxilium A, cognoſcit, quod ſi ita vocatur non reſpuet vocationem; ſed hoc eſt, Deum per ſcientiam mediam dirigi advocandum, ergo, &c.

34 Reſp. ad primum negando min.: quia ad ſuſtinendum, prædeſtinationem ad gloriam eſſe ex prævisis meritis, nulla eſt neceſsitas recurrendi à Aras ſcientię mediæ, cum talis opinio melius ſalvetur per decretum concomitans Scotiſtarum. Ad ſecundum dico, quod ex prædicto caſu potius infertur decretum concomitans, quia ſi rationabilitèr dicitur quod res eveniunt in tempore, ſicut fuerunt ab æterno determinatę, ſequitur, quod, ſi in tempore unus vult, & alter non vult tentationi cedere, concurrente

Deo,

Deo, ut cauſa prima per ſimultaneum concurſum, ſic etiam ab æterno fuit determinatum per decretum concomitans. Quare diſtinguo min.: ſed non alia ratione, niſi quia unus voluit, & alter noluit, Deo ſimul volente, & reſpectivè nolente, & cum utroque ab æterno condecernente, & in tempore ſimúl concurrente, conc. min.: independenter à tali decreto ab æterno, & ſimultaneo concurſu in tempore, nego min., & conſeq. Ad ultimum conc. antec. & nego conſequentiam cum ſubſumpta; nàm per illa verba Auguſt. ſolúm ſignificatur decretum concomitans, quia, Deum vocare eum quomodò ſcit ei congruere, ut vocantem non reſpuat, idem eſt, ac vocare eum ſub illo auxilio, & occaſione, ſub quibus fecit decretum concomitans de eo, quod vocatus non reſpueret vocationem ex eo, quod ſic debebat fieri ſecundum continentiam libertatis noſtræ, & modi noſtri, liberè agendi ſub illo auxilio, & circunſtantijs in voluntate divina.

35 Arguit. 4. ex Doct. in 2. diſt. 37. quæſt. 2. §. *ad ſolutionem*, dicente: *ita igitur, ſi ad velle voluntatis creatæ concurrunt duæ voluntates, ſcilicèt, creata, & divina, poteſt eſſe deffectus in ſo velle, ex deffectu alterius cauſæ, ſcilicèt, voluntatis creatę, & hoc, quia iſta cauſa poteſt rectitudinem dare actui, quam tenetur dare, & tamen non dat; alia autem, licèt non teneatur eam dare, quantum tamen eſt de ſe daret, ſi voluntas creata cooperaretur; univerſalitèr enim: quidquid Deus dat antecedenter, daret illud conſequenter quantum eſt ex ſe, niſi eſſet impedimentum.* Ex quibus verbis ſic: Deus decerneret operationem rectam voluntatis creatę, ſi in iſta non eſſet impedimentum: ergo ideo, juxta Doct., Deus non decernit operationem rectam, quam vellet, quatenús eſt ex ſe; quia ante decretum prævidit, quod voluntas creata ſub illa conditione volitura eſt oppoſitum, & ideo decrevit oppoſitum, quia ipſum prævidit conditionatè futurum; ſed hæc prævisio eſt intranſitivè ſcientia media: ergo, &c.

36 Reſp. diſting. antec.: Deus decerneret operationem rectam voluntatis creatę, ſi in iſta non eſſet impedimentum volitionis oppoſitę concomitantis, ſecundum continentiam virtualem, & modum liberè agendi, conc. antec.: ſi in ipſa non eſſet impedimentum volitionis oppoſitę, antecedentis Dei decretum, nego antec.,

cum

cùm conſeq. , & ſubſumpta. Intentum igitur Doct. (qui ſemper docuit , Deum actu , & formaliter velle , omnes homines ſalvos fieri ſub conditione , quod decedant in gratia,& conſequenter ad conſecutionem gloriæ omnibus dediſſe leges rectas , auxilia ſufficientia , & voluntatem liberam) nihil aliud eſt, quam exponere naturam decreti , ejuſque concomitantiam , tam ab æterno, quàm in tempore. Unde, adhuc ſuppoſita illa volitione ſalvandi omnes, ſub conditione , quod decedant in gratia, & ſimul ſuppoſita lege de eo, quod cauſæ liberę ſub omnibus comprincipijs, requiſitis ad benè operandum , ſinantur liberè agere motus ſuos , adhuc nullus actus , nec rectus , nec pravus eſt determinatè futurus nec quidem conditionatè, cum ſit principium , in Doct. inconcuſum , nullam dari futuritionem abſque decreto Dei actuali.

37 Prævidente tamen Deo, continentiam libertatis noſtræ in voluntate ſua ſecundùm omnem modum liberum agendi motus noſtros , decernit ſub hac conditione actum rectum , concomitante voluntate noſtra , & ſub alia conditione decernit actum pravum (intellige quoad eius materiale) etiam concomitante voluntate noſtra , aliter decreturus concomitantèr , ſi voluntas noſtra , ſub illa conditione conſtituta , ſecundum ſuum modum liberum agendi , alitèr cooperaretur , vel alitèr ſimul vellet. Ergo Scotus , quando docet , quod Deus , quantum eſt ex ſe , daret rectitudinem actui , ſi voluntas creata vellet , non ſignificat , actum eſſe conditionatè futurum ante decretum , ſed unicè vult oſtendere prædictam concomitantiam voluntatis noſtræ cum voluntate divina , tam in decernendo ab æterno , quam in concurrendo in tempore.

38 Arguit. 5. : ſi ſcientia Dei de contingentibus conditionatis præſupponeret decretum actuale ſuæ voluntatis , nihil haberet mirabile, aut ſuperans intelligentiam noſtram; ſed hoc eſt falſum, cum præſcientia futurorum vocetur divinatio , eo quod contineat aliquid divinum , ut patet ex illo Iſai. 42. : *annuntiate nobis , quę ventura ſunt, & dicemus , quia Dij eſtis vos* : ergo ſcientia conditionatorum eſt media , quia non præſupponit decretum. Prob. mai. : ſi talis ſcientia præſupponeret decretum : in ipſa experirentur hæc duo : primum ſcilicèt, quod Deus in ſe immediatè vi-

videret decreta suę voluntatis, sibi præsentia, quibus decrevit operationes hominum sub his, vel illis conditionibus. Secundum vero, quod in decreto, tanquam in medio, cognosceret, eventurum esse id, quod decretum est; sed neutrum horum mirabile est; non primum, quia quilibet cognoscit consilia, & decreta suæ voluntatis; non secundum, quia decretum Dei est connexum cum operatione, & sic non est mirabile, quod cognito uno exttemo connexionis, cognoscatur, & aliud: ergo, &c.

39 Resp. negando mai. Ad probat. disting. min.: sed neutrum est mirabile, respectu ipsius Dei, conc. min.; respectu nostri, nego min.; per quod patet ad reliqua. Deus, nec admirari, nec prophetare, nec divinare potest; quia omnia sunt ipsi evidenter manifesta; eius tamen scientia de futuris est admirabilis, & incomprehensibilis, non solum respectu nostri, sed etiam Angelorum: nam cum omnia ista futura, sive absolutè, sivè conditionatè talia, sint ordinata à Deo ad infinitos fines suæ providentię consequendos, meritò admiramur, dum nobis manifestantur; qua de causa dixit David: *mirabilis facta est scientia tua ex me.* Unde, & si veritas divinationis, seu vera annuntiatio eorum, quæ futura sunt, manifestient divinitatem, hoc non ideo est, quia in Deo sit divinatio, aut prophecia, sed quia solus ipse, vel ille, cui ipse revelare voluerit, scire potest id, quod pro tali, vel tali tempore futurum est. Immò, si argumentum aliquid probaret, probaret utique scientiam visionis non esse in Deo mirabilem, cum ista supponat decretum absolutum, & connexum cum termino; nec etiam scientia simplicis intelligentiæ, siquidem omnia sunt nuda, & aperta oculis eius ita ut, si omnibus his modis proponeretur res cuicumque intellectui creato, posset eas videre. Deinde, supponamus, dari scientiam mediam de effectu, conditionatè futuro, quo dato, proponeretur talis effectus intellectui divino, magis clarè, & distinctè, quam nobis proponitur color sub meridiana luce. Quid mirabilitatis reluceret in tali scientia? Respectu Dei, sanè nulla: at respectu nostri semper esset mirabilis: immò, si argumentum teneret, nec esset mirabilis respectu nostri.

40 Arguit. 6.: non decretum actuale ex parte Dei

ad

ad futuritionem conditionatam effectus liberi: ergo ante omne decretum actuale datur futurum conditionatum, & conſequenter Deus habet ſcientiam infallibilem de tali futuro; ſed non aliam, niſi mediam: ergo, &c. Prob. antec.: eadem principia, quæ abſolutè poſita ſufficiunt, ut effectus ſit abſolutè futurus, aut exiſtens, ipſa eadem, conditionatè ſumpta, ſufficiunt, ut effectus ſit conditionatè futurus; ſed unum ex principijs eſt decretum: ergo, ut effectus liber ſit conditionatè futurus, ſufficit, quod intelligatur decretum ſub conditione prævifum. Maior patet; quia, poſito decreto per modum principij, eſt verum dicere, quod effectus abſolutè exiſtit, vel extiturus eſt: ergo anteà erat verum dicere, quod talis effectus exiſteret, ſi poneretur decretum.

41 Reſp. diſting. antec.: non requiritur decretum actuale ad futuritionem conditionatam poſsibilem effectus liberi, conc. antec.: ad futuritionem conditionatam exercitam, & actualem, nego antec. Et diſtinguo conſequens: ergo ante omne decretum actuale datur futurum conditionatum, purè poſsibiliter tale, conc. conſeq.: exercitè, & determinatè tale, nego conſequentiam, & ſubſumptam. Effectus conditionatè futurus, vel eſt intrà, vel ex extrà ſtatum poſsibilitatis? Si primum, ſcientia Dei de ipſo erit naturalis, & ſimplicis intelligentię. Si ſecundum, erit adæquatè libera, & ſic fundata in Dei volitione libera. Ad prob. antec. diſting. mai.: eadem principia, quę, abſolutè poſita, ſufficiunt, ut effectus ſit abſolutè futurus, ipſa eadem conditionatè intellecta, ſufficiunt, ut effectus ſit conditionatè futurus, futuritione purè poſsibili, conc.: futuritione propriè tali, qua res tranſit, ab eſſe poſsibili, ad eſſe futuram, ſivè abſolutè, ſivè conditionatè, nego mai.: & conceſſa min., diſtinguo conſequens in verſis terminis. Solutio eſt clara; quarè uno verbo explicatur: uſque dum intelligatur decretum actu poſitum, erga conſenſum v. g., conſenſus ipſe, nec abſolutè, nec conditionatè eſt futurus, ſed purè poſsibilis. Unde, dum dicitur, ſi daretur decretum erga conſenſum, conſenſus erit, hoc verum eſt ſed nihil dictu, quia illud, ſi daretur, nihil actu eſt, ſed eſſet; & cum à cauſa, quę nihil actu eſt, nequeat oriri effectus in actu; hinc eſt, quod à decreto, quod non eſt, ſed tantum eſſet, caſu, quo poneretur, non poteſt oriri futurum, quod eſt,

ſed

ſed tantum, quod eſſet, ſi decretum daretur. In Tract. de *Scientia Dei* manet dictum, quod Deus ſua decreta non videt, ut futura.

42 Arguit. 7.: Deus conſtituens hominem in manu conſilij ſui, ſinit, voluntatem eius motus ſuos agere; ſed hoc non benè percipitur, ſi Deus in determinando ſuum concurſum, non obſervat determinationem voluntatis creatæ, ſed ſe illi accomodando, eamque ſupponendo in præſcientia ante decretum: ergo datur ſcientia media. Confirm.: quando Deus concurrit cum cauſa libera, habet etiam concurſum paratum ad oppoſitum; ſed hoc probat, Deum decreturum fuiſſe actum oppoſitum, ſi prævidiſſet voluntatem noſtram habituram fuiſſe oppoſitam determinationem: ergo, &c. Urgetur: Deus non temerè, nèc à caſu concurrit cum voluntate, ſed ex certa intentione; ſed hoc non poſſet fieri, ſi Deus non præſciret determinationem voluntatis, ad quam ordinaret ſuum concurſum: ergo, &c.

43 Reſp. negando min.; quia optimè percipitur, voluntatem noſtram agere motus ſuos, ſinente Deo per decretum concomitans, prævisa continentia voluntatis creatæ in divina ſecundum omnem modum liberum agendi ſub quacumque conditione, & occaſione. Ad confirm. neg. min.; quia ex concurſu parato ad oppoſitum in actu primo ſolum infertur concurſus concomitans in actu ſecundo, quem elicit, aliter comiturus, ſi aliter contineretur volitio creata, & modus liberè agendi potentię in divino decreto ſub illa conditione, & occaſione, hoc eſt, ſi voluntas creata, ut virtualiter contenta in divina aliter virtualiter ſe determinaret, voluntas divina ſe ipſam condeterminaret ad coagendum ipſi. Ad urgentiam, nego etiam minorem; alioquin cauſa ſecunda ſemper temerè, & à caſu, & nunquam ex intentione concurreret cum cauſa prima, cum cauſa ſecunda ſuam determinationem nunquam præcognoſcat ante executionē. Quare, ut ex certa intentione invicē concurrant, ſufficit, quod utraque cognoſcat finem ſui operis, & quid ad ejus executionem requiratur, & ſuppoſita continentia virtuali voluntatis creatæ in divina, habet Deus unde per ſe, & ex intentione poſsit coincidere in eandem prorsùs volitionem cum voluntate noſtra, & hoc ita certo, & ſalva libertate noſtra, ac ſi eius determinationem prævidiſſet.

44 Arguit. 8. : Deus eſt eſſentialitèr neceſsitatus, ut de quacumque voluntate creata, vel creabili cognoſcat, quid eſſet factura ſub quacumque hypoteſi, in qua relinquatur indifferens ad utrumque; ſed non eſt neceſsitatus ad decernendum hunc actum, quem eſſet poſitura quælibet voluntas ſub quavis hypoteſi: ergo independenter à decreto actu poſito, cognoſcit Deus futura conditionata. Maior conſtat; quia ad perfectionem Dei ſpectat, ut interrogatus de eventibus conditionatis, poſsit determinatè reſpondere. Minor etiam patet, quia abſurdum eſt dicere, Deum eſſe ita ſolicitum de actibus, quos quælibet voluntas habeat ſub hac, vel illa conditione. Difficultas argumenti ſiſtit in eo, quod Deus poſſet ſic ſe gerere circa aliquod conditionatum, quod nec determinatè vellet ejus exiſtentiam ſub tali hypoteſi, nec determinatè eius carentiam, ſed quod haberet tertiũ quodnam decretum, quo tantum vellet omiſsionem omnẽſ actus. In quo caſu Deus neſciret, quid determinatè fieret de tali conditionato ſub tali hypoteſi: ergo ne admittatur tale abſurdum in Deo, infinitè cognoſcente, admittenda eſt in ipſo ſcientia conditionatorum independentèr ab omni exercitio actuali ſuę voluntatis, quòd eſt, dari ſcientiam mediam.

45 Reſpondeo diſting. mai.: Deus eſt neceſsitatus neceſsitate conſequenti, & ex ſuppoſitione exercitij liberi ſuæ voluntatis, ut de quacunque voluntate, &c., conc.: eſt neceſsitatus neceſsitate antecedenti, non ſupponente exertium liberum ſuæ voluntatis, nego mai., & diſting. min.: ſed non eſt neceſsitatus determinatè ad decernendum, &c., conc. min.: non eſt neceſsitatus vagè, nego minorem. Scientia Dei de quocumque objecto conditionato ſupponit neceſſariò aliquod exercitium liberum, & poſitivum ſuæ voluntatis. Dixi *poſitivum*, quia dato caſu, quod divina voluntas omitteret tam exiſtentiam, quam carentiam exiſtentiæ alicujus obiecti conditionati in hunc modum: volo omittere pro tota hac providentia decretum ergà exiſtentiam A, tunc talis omiſsio, út de ſe patet, non eſſet pura, ſed cauſata per volitionem poſitivam reflexam, terminatam ad non exiſtentiam decreti.

46 Unde, licèt Deus non ſit antecedentèr neceſsitatus ad cognoſcendum determinatè unum extremum contingens,

prę alio, eſt tamen neceſsitatus conſequentèr, quatenús ipſe licèt ſit liber ad decernendum unum, præ alio, neceſſitatur tamen ut unum, vel aliud decernat, talitèr, quod nequeat ſic ſe gerere ergà obiecta conditionata, quod, nec ſint poſitivè futura, nec poſitivè non futura, ſed neceſſariò unum, vel alterum ſunt habitura; & ſic ſcientia Dei de tali obiecto ſemper erit libera, cum ſemper ſupponat exercitium liberum voluntatis divinæ. Si autem fingatur illud tertium decretum, quo Deus reflexè determinaret, ſe nolle, velle, aut exiſtentiam obiecti, aut eius carentiam, quoque tale objectum relinqueretur in ſtatu indifferentiæ ad eſſe, & non eſſe, adhúc ſcientia Dei de tali obiecto reflexè volito, eſſet libera, ut potè ſupponens illud decretum liberum reflexum voluntatis divinæ. In hoc caſu decreti reflexi, in quo tantum poteſt eſſe difficultas, quatenús obiectum non extrahitur per tale decretum ab ſtatu indifferentię, adhuc Deus interrogatus, quid fieret de tali obiecto? Optimè reſponderet ſic: eſſet, quod ego decernerem, ſi poſitio objecti à ſolo Deo dependeret; quod ſi poſitio objecti dependeret à Deo, & à voluntate creata ſimul, recte reſponderet ſic: eſſet, quod ego, & voluntas creata condecerneremus. Ubi tamen advertatur, quod tunc caſus Deus non ſciret determinatè, quid ipſe faceret de tali obiecto, nec quid ipſe, & voluntas creata ſimul condecernerent; quia ad huiuſmodi ſcientiam eſt neceſſariu decretũ dans, vel negans exiſtentiam objecto, antecedenter ad quod decretum non datur ſcientia in Deo, quæ non ſit undequaque naturalis: ſeu ſimplicis intelligentiæ.

47 Pro ſolutione aliorum argumentorum, in quibus fundantur Ieſuitę, advertite, quod in quolibet futuro conditionato eſt diſtinguenda duplex formalitas: una exiſtentiæ, & futuritionis altera. Unde, licèt verum ſit, quod exiſtentia futuri conditionati ſit conditionata, hoc eſt, actu non eſt, ſed erit, ſi purificetur conditio, falſum tamen eſt, quod futuritio futuri conditionati ſit conditionata; talis enim futuritio non eſt futuritio, quæ erit, ſed quę actu eſt; nam pro illo ſigno, pro quo conſenſus futurus eſt conditionatus, eſt verum dicere: hic, & nunc conſenſus conditionatus eſt futurus; non tamen eſt verum dicere: non

eſt futurus : ſed erit futurus. Unde, licèt ad exiſtentiam conditionatam, ſeu condionatè habendam, non requiratur decretum actuale ſed conditionatum, ſeu quod eſſet, ad futuritionem tamen, quæ actu datur, non ſufficit decretum, quod erit, ſed neceſſariò requiritur decretum, quod eſt; ſiquidem effectus in actu uti eſt futuritio futuri conditionati, petit cauſam in actu, quæ aliud aſsignari non poteſt, quàm decretum actuale. Quare, dum dicunt Ieſuitæ; converſio Tyriorum eſt purè conditionata; diſtinguo: in ordine ad exiſtentiam, conc.: in ordine ad futuritionem, nego; quia iſta de præſenti datur. Ex hac advertentia, & ex ſolutione hucuſque adductarum obiectionum, facilè ſolvuntur reliqua argumenta Ieſuitarum.

QUÆST. QUARTA.

An gratia, qua quis in actu ſecundo ponit ſalutarem conſenſum, ſit ex ſe ab intrinſeco efficax, & phyſicè prædeterminans?

48 REfutata in præcedenti quæſt. opinione Ieſuitarum circa efficatiam gratiæ, venit iam examinanda circa eandem difficultatem ſententia Thomiſtica. Pro qua intelligenda, advertendum eſt, quod Thomiſtæ communiter docent, efficatiam gratię eſſe deſumendam ab efficatia cuiuſdam decreti phyſicè prędeterminativi in Deo, ab æterno exiſtentis, relate ad effectus, non ſolum naturales, ſed etiam liberos, tam ordinis naturalis, quàm ſupernaturalis, & intuitu huius decreti, ajunt, conferri in tempore voluntati creatæ quandam ſupernaturalem qualitatem, phyſicè prædeterminantem voluntatem ad eliciendum conſenſum ſalutarem.

49 An verò iſta qualitas phyſicè prędeterminans potentiam ad conſenſus ſupernaturalis productionem, ſe teneat ex parte actus primi: an verò ex parte actus ſecundi? Dubium eſt inter ipſos Thomiſtas, quorum Antiquiores dicebant, illam ſe tenere ex parte actus primi, tanquàm complementum virtutis activæ: Recentiores autem dicunt, talem qualitatem ſupponere potentiam adæquatè completam in ratione actus primi ordinis ſupernaturalis, & ſic, unicè ſe tenere ex parte actus ſecundi per modum formæ, intrinſicè receptę in potentia ad actu operari, ſeu per modum formæ efficaciter applicantis

ac-

actum primum ad actum ſecundum. Hoc ſit certum in iſta opinione, ſcilicet, quod iſta qualitas phyſicè prædeterminans potentiam eſt ita eſſentialiter neceſſaria ad operationem utriuſque ordinis, tam naturalis, quam ſupernaturalis, ut ſine illa repugnet operatio. Prętereà huiuſmodi qualitas eſt inevitabilis à voluntate creata, taliter, quod non ſit in eius potestate illam habere, vel non habere, & ſemel habitam, non poterit illam reijcere. Ultimo talis qualitas eſt ita eſſentialiter conexa cum actu, ad quem prædeterminat, quod nec divinitus poſſit voluntas creata componere carentiam actus prędeterminati cum qualitate prædeterminante. His notatis, ſit

50 Concluſio: *gratia, qua quis in actu ſecundo elicit conſenſum ſalutarem, nequit eſſe per ſe, & abinitio ſeco efficax ſeu phyſicè prædeterminans.* Eſt communis in noſtra Schola cum Doct., locis poſteà citandis, quem ſequuntur omnes Ieſuitæ. Prob. 1. ex aliquibus Script. locis, & 1. ex illo Deuter. 30.: *mandatum, quod ego prącipio tibi hodiè, non eſt ſupra te, neque procul poſitum, vel in Cœlo ſitum, ut poſsis dicere: quis noſtrum valet ad Cœlum aſcendere, ut referat illud ad nos, ut audiamus, & opere compleamus*; ſed ſi gratia, qua in actu ſecundo ponitur ſalutaris conſenſus, eſſet phyſicè prędeterminas, elicientia talis conſenſus, mihi præcepta, eſſet ſupra me, ſeu nullatenus poſita in mea poteſtate: ergo gratia efficax non conſiſtit in phyſica prædeterminatione. Prob. min.: ad elicientiam conſenſus ſalutaris, mihi præceptam, gratia phyſicè prædeterminans, iuxta Thomiſt., eſt indiſpenſabiliter neceſſaria, non minùs, ac donum prophetiæ ad prophetandum, & donum miraculorum ad patranda miracula, quæ ambo dona ſunt ſupra me, ſeu extra meam poteſtatem; ſed extra meam poteſtatem eſt acquirere gratiam, phyſicè prædeterminantem, non minus, ac habere donum prophetiæ, & donum miraculorum, cum talis gratia unicè dependeat à decreto Dei abſoluto prędeterminativo, omninò prędecedente prævisionem quorumcumque operum meæ voluntatis: ergo ſi gratia phyſicè prædeterminans, eſt neceſſaria ad elicientiam conſenſus ſalutaris, &c.

51 Secundò ex illo Iſai. 5.: *quid ultrà debui facere vineæ meę, & non feci? An quod ſpec-*

ſpectavi, ut faceret ubas, & fecit labruſcas. Ex quibus ſic: Deus, quantum eſt ex parte ſui dedit hominibus omnem gratiam neceſſariam ad producendas ubas bonorum operum; ſed non dedit illis gratiam, phyſicè prædeterminantem: ergo talis gratia non eſt neceſſaria ad opera bona. Major conſtat in textu. Minor eſt indubitata apud Contrarios; quia, ſi Deus dediſſet habitatoribus vineæ, de quibus hic conquęritur, gratiam phyſicè prædeterminantem, certitudine infallibili produxiſſent ubas bonorum operum. Conſequentia infertur, & ulterius probatur: ſi gratia, phyſicè prædeterminans, neceſſaria eſſet ad opera ſalútaria producenda, potuiſſent Iudei reſpondere, Deum non dediſſe eis omnia neceſſaria ad talia opera producenda: ſed hoc eſt contra interrogationem à Deo factam: *quid*, ſcilicèt, *ultrà debui facere vineæ meę, & non feci*: ergo, &c. Prob. mai.: potuiſſent dicere Iudei, & cum veritate quidem: Dñe., non dediſti nobis gratiam, phyſicè prædeterminantem; quæ aſſeritur neceſſaria, ad opera ſalutaria in exercitio ponenda: ergo cum illam nobis non contuleris, non fuerunt à te nobis data omnia neceſſaria ad operandum ſalutariter.

52 Nec valet reſpondere, Deum daturum gratiam, phyſicè prædeterminantem habitatoribus vineæ, ſi gratia ſufficienti benè uſi fuiſſent. Non valet, ſic reſpondere: primó, quia habitatores vineæ nunquam benè uterentur gratia ſufficienti, quin ipſis prius conferatur gratia, phyſicè prædeterminans, ut debet eſſe indubitatum apud Thomiſt., requirentes ad qnodvis opus liberum ordinis ſupernaturalis gratiam, phyſicè prædeterminantem, quam tamen non dedit habitatoribus vineæ; alioquin infallibiliter operati fuiſſent ſalutariter, & tamen juſtè Deus eos reprehendit, eo quod per auxilia gratiæ prævenientis, & excitantis non produxerunt ubas bonorum operum. Non valet reſpondere, ut ſupra, ſecundo, quia gratia, phyſicè prędeterminans confertur à Deo omninò gratis, & non ex prævisione operum; ſed hoc, in quo conveniunt Thomiſtæ, eſſet falſum, ſi valeret ſupra poſita reſponſio, ut pátet: ergo, &c.

53 Tertió ex illo Ezceq. 18.: *convertimini, & agite pœnitentiam de omnibus iniquitatibus veſtris, proijcite à vobis omnes*

omnes prævaricationes veſtras, & facite vobis cor novum, & ſpiritum novum, &c.; ſed ex his verbis clarè demoſtratur, gratiam phyſicè prædeterminantem, non requiri ad opus ſalutare: ergo, &c. Prob. min.: converſio peccatorum media pœnitentia, projectio ſuarum prævaricationum, faccioque cordis novi, & ſpiritus novi ſunt opera ſalutaria; ſed ad hujuſmodi opera non requiritur gratia, phyſicè prædetererminans: ergo, &c. Prob. min.: ſi ad talia opera foret neceſſaria huiuſmodi gratia ridiculè, & irriſoriè Deus homines invitaret ad talium operum executionem, dicendo: *convertimini, &c.*; ſed hoc nequit dici: ergo, &c. Prob. mai.: nihil magis ridiculum, aut irriſorium, quam præcipere hominibus aliquod opus, ad quod faciendum, ipſis deeſt neceſſarium prærequiſitum, cuius adquiſitionem in ſua poteſtate non habent; ſed, iuxta aſſertores gratiæ ab abintrinſeco efficacis, iſta eſt neceſſarium prærequiſitum ad ſalutare opus; eiuſque acquiſitio eſt unicè in poteſtate, & voluntate divina: ergo, &c. Conſtat maior, nam illi, quibus Deus converſionem præciperet, & prædeterminationem non daret, reſponderent: Dñe., cur nos ad converſionem exortaris, cum ad eam neceſſariò requiratur tua prædeterminatio, quam non habemus: neque tu ſtatuiſti eam nobis dare: neque nos aliquid poſſumus facere, ut eam comparemus?

54 Reſpondent aliqui, quod, quamvis gratia, phyſicè prædeterminans, ſit ad converſionem neceſſaria, & talis gratia non ſit in poteſtate noſtra, tamen nobis dabitur, dummodò præcedat oratio, juxta illud Chriſti Dñi.: *orate, & dabitur vobis.* Contra: neque orare poſſumus, quin Deus nobis largiatur gratiam de ſe efficacem, cum illa, juxta ſuos Patronos, neceſſaria ſit ad quodlibet opus ſalutare cuiuſmodi proculdubiò eſt oratio. Nec valet reſpondere, quod, ſto non ſit in poteſtate noſtra huiuſmodi gratiam acquirere, eſt tamen in poteſtate Dei, illam nobis liberaliter concedere. Non valet, inquàm; hoc enim ſolum probat, eſſe in poteſtate Dei nos convertere, non tamen eſſe in poteſtate noſtra, ut, mediante divino auxilio, noſmetipſos ad Deum convertamus: & ſic valdè illuſoriè diceret Deus: *convertimini, &c.* non minus, ac ſi præciperetur homini, in tenebris undequaque poſito, reſpicè, & vide;

ſi in eius poteſtate non eſſet habere lumen, quo tenebras expelleret, ut poſſet exercere facultatem videndi.

55 Quartò ex illo Eccleſiaſtici 15.: *Deus ab initio conſtituit hominem in manu conſilij ſui, adjecit mandata, & præcepta, ſi volueris mandata ſervare, conſervabunt te; appoſui tibi ignem, & aquam, ad quod volueris porrige manum tuam.* In quibus verbis ſermo fit de homine in ſtatu naturæ lapſæ, per medicinalem gratiam Dei vocato; & in eo ſtatu conſtituto, in quo poſſet de obſervatione præceptorum ſupernaturalium deliberare; ſed ad obſervationem hujuſmodi præceptorum, non requiritur à Sapiente in prædicto textu, quod homo lapſus recipiat auxilium, ab intrinſeco efficax, & phyſicè prædeterminans: ergo, &c. Maior eſt communis inter Catholicos, contra Calvinum, & Janſenium, volentes, Sapientem ibi tantum loqui de homine, in ſtatu innocentiæ, non verò in ſtatu naturæ lapſæ. Prob. min.: Sapiens per ly: *ſi volueris*, *vel*: *ad quod volueris porrige manū tuam*, aut loquitur cum homine, conſtituto in ſtatu ſufficientię ſupernaturalis; aut cum homine jam prædeterminato? Si primum, fruſtrà diceretur ei: *porrige manum tuam*; cum actu porrigere non poſsit, quin prius à Deo prędeterminetur. Si dicatur ſecundum, fruſtrà dicitur ei: *ſi volueris*; cum prædeterminatus non poſsit non velle id, ad quod prædeterminatus eſt: ergo, &c.

56 Patet tandem ex illo Apocal. 3.: *ego ſto ad oſtium, & pulſo, ſi quis aperuerit mihi, intrabo ad illum.* Ex quibus ſic: ſuppoſita vocatione Dei pulſantis ad cor, eſt in poteſtate hominis, actu aperire oſtium, hoc eſt, actu conſentire in id, ad quod actu proximè excitatur per pulſationem: ergo ad conſentiendum vocationi, non eſt neceſſaria gratia phyſicè prædeterminans. Antec. conſtat, alias fruſtrà pulſaret, fruſtràque promitteret ingreſſum ſuum ſub hac conditione: *ſi quis aperuerit*, ſi ille, qui intùs eſt non poſſet ei aperire. Prob. conſeq.: ſi talis gratia eſſet neceſſaria ad conſentiendum vocationi, conſenſus, à Deo exigitus ſub hac conditione: *ſi quis aperuerit*, non eſſet homini poſsibilis cum non habeat poteſtatem, niſi ad ſummum paſsivam reſpectu gratiæ phyſicè prædeterminantis, nam ipſam nequit acquirere, neque etiam abijcere, poſtquam data fuit: ergo, &c.

Reſ-

57 Reſpondent aliqui, in prædicto textu, & ſimilibus non eſſe ſermonem de vocatione utcumque, ſed de vocatione efficaci, quę juxta ipſos includit gratiam, phyſicè prædeterminantem. Sed contra primò: ſi ibi eſſet ſermo de vocatione efficaci, includente gratiam, phyſicè prædeterminativam, jam talis gratia ſe haberet ex parte actus primi, & conſequenter actum primum in voluntate non ſupponeret, quod quidem ægrè ferunt Thomiſtæ recentiores. Contra 2.: ſi prędicta verba intelligentur univerſaliter de vocatione efficaci, includente gratiam, phyſicè prædeterminantem Spiritus Sanctus ſuperſtaret ad oſtium, ipſum efficaciter pulſans per huiuſmodi vocationem; ſed hoc eſt contra Concil. Senonenſe in Decreto 13. fidei: ergo, &c. Minor conſtat; quia Senonenſe ibi intelligit prędicta verba de gratia præveniente, cui reſiſti poteſt, & ſæpè reſiſtitur, necnon & Trid. Concilium ſeſ. 6. cap. 5. ſed vocationi includenti phyſicam prędeterminationem, nunquam reſiſtitur; immo nec reſiſti poteſt, ſaltem in ſenſu compoſito. Poſſet concluſio probari ex alijs innumeris, tam veteris, quam novi Teſtamenti locis, modo tamèn ſufficiant dicta.

58 Prob. Concluſio 2. ex Concil. Trid. quod ſeſſ. 6. cap. 5. can. 4. docet, liberum arbitrium poſſe abijcere gratiam efficacem, ac poſſe ei diſſentire, ſi velit; ſed talem gratiam abijcere, ac ei diſſentire in rigore ſermonis, & in ſenſu Concilij eſt, illi poſitive reſiſtere: ergo gratia efficax, qua conſenſus ſalutaris elicitur, non eſt phyſicè prędeterminans. Iſta conſeq. patet; quia gratię, phyſicè prædeterminanti, non poteſt homo diſſentire, nec illam abijcere. Hic ſyllogiſmus comprehendit reſponſiones Contrariorum, quarè probatis præmiſſis, impugnantur ſimul ſolutiones ipſorum. Prob. maior primo: Concil. loquitur de gratia illa, de qua hæretici, quos condemnat, aſſerebant, evertere libertatem indifferentię, eſſe irreſiſtibilem à voluntate, ac iſtam non poſſe illam abijcere, refragari, aut diſſentire; ſed tales hęretici hoc dicebant de gratia efficaci; tum, quia aliam non agnoſcebant; tum, quia hoc dicere nequibant de gratia ſufficienti, & omninò indifferenti ad utrumlibet; tum, quia, id expreſsè conſtat ex dictis talium hæreticorum, præſertim Calbini lib. 2. Inſtitutionum cap. 3. §. 10., ubi, loquens de Catholicis, ait: *me-*

dium motum, quem ſophiſtæ imaginantur, cui obſequi, vèl repellere liberum ſit, apertè excludi videmur, ubi aſſeritur efficax ad perſeverandum gratia: ergo Concil. Trid. docens, liberum arbitrium poſſe gratiam abijcere, ac ei diſſentire, ſi velit, de alia gratia non loquitur, quam de efficaci.

59 Eadem maior probatur 2.: Concil. loquitur de gratia excitante, atque adjuvante, cui homo liberè aſſentitur, & cooperatur, & per quam ad ſui juſtificationem diſponitur, ut expreſsis verbis patet in ipſo Concil., dicente: *ſi quis dixerit, liberum hominis arbitrium, à Deo motum, & excitatum nihil cooperari :: quo ad obtinendam juſtificationis gratiam ſe diſponat:: neque poſſe diſſentire, ſi velit:: anathema ſit*; ſed, præſertim juxta Adverſarios, gratia adjuvans, ſeu cooperans, & per quam ad juſtificationem diſponimur, eſt efficax, undecumque talis efficatia proveniat: ergo Concil. loquitur de tali gratia. Prob. 3. illa eadem maior: Concil. in locis cit. intendit adſtruere in nobis libertatem, quandò aſſentimur gratiæ excitanti, & moventi; ſed quod poſsimus abijcere auxilium, purè ſufficiens, ſeu ei diſſentire, & reſiſtere, non ſufficit ad ſalvandum noſtram libertatem, ſi non volemus reſiſtere auxilio efficaci, dum adeſt, ſiquidem poſſe rumpere filum laneum, non ſatis eſt ad ſalvandus vires ſufficientes: ergo Concilium ibi loquitur etiam de gratia efficaci.

60 Prob. jam illa prima minor primò: abijcere divinam inſpirationem, & diſſentire, ac reſiſtere ex rigore ſermonis, & in ſuo conceptu formali dicit conjungere diſſenſum cum gratia illa excitante, atque adjuvante: ergo Concil. intelligi debet de reſiſtentia poſitiva, & in ſenſu compoſito gratiæ efficacis. Prob. antec.: diſſentiri teſtimonio dicentis eſt, conjungere diſſenſum cum tali teſtimonio; reſiſtere præcepto Superioris, eſt conjungere inobedientiam cum præcepto ejuſdem: & ſic de alijs: ergo ſimiliter reſiſtere motioni divinæ, dicit in ſuo conceptu conjungere diſſenſum cum tali motione. Prob. 2. illa min.: eam ipſam poteſtatem abijciendi gratiam efficacem, ac ei diſſentiendi Concil. ſtatuit, quam negabant hæretici, ut eſt notum; alioquin contra hæreticos nihil actum eſſet, aut definitum à Concilio; ſed hæretici unicè negabant voluntati inſtructæ gratia efficaci, poteſtatem reſiſtendi, & diſſentiendi ipſi

in

in ſenſu compoſito : ergo Concil. intelligi debet in tali ſenſu. Minor patet : tum, quia præſertim Calbinus , non erat adeo ignarus , ut negaret voluntati poteſtatem diſſentiendi divinæ gratiæ in ſenſu diviſo eiuſdem , nec hoc ipſi in mentem venit ; tum , quia Calbinus ſolam eam poteſtatem diſſentiendi gratiæ efficaci negavit libero arbitrio , quę eſt poteſtas ad reſpuendum , repellendum , & reſiſtendum ; ſed hoc formaliſsimè dicit ſenſum compoſitum diſſenſus cum ipſa gratia ; nam reſiſtere dicit quaſi pugnam inter duo , in qua, qui efficacitèr reſiſtit alterum vincit : ergo hæretici ſolum negabant poteſtatem , &c. Prob. 3. illa eadem min. : Concil. ſtatuit veram poteſtatem reſiſtendi , & diſſentiendi gratię efficaci ; ſed poteſtas diſſentiendi ipſi , unicè in ſenſu diviſo , non eſt vera poteſtas reſiſtendi : ergo Concil. debet intelligi de poteſtate conjungendi diſſenſum cum gratia efficaci. Prob. hæc ultima min. : in voluntate creata non eſt vera poteſtas ad reſiſtere ulli decreto omninò efficaci divinæ voluntatis, ut eſt de fide ex pluribus Script. teſtimonijs ; ſed in voluntate creata eſt aliqua poteſtas ad ponendum diſſenſum in ſenſu diviſo decreti efficacis divinæ voluntatis ; nam alias decreta efficacia Dei de conſenſu voluntatis noſtræ adimerent voluntatem eiuſdem , ut fatentur etiam Adverſarij : ergo poteſtas diſſentiendi , tantum in ſenſu diviſo , non eſt poteſtas reſiſtendi in aliquo vero ſenſu.

61 Prob. 4. illa minor principalis : dum Concilium declarat , præſertim contra Lutherum , quod homo , inſpirationem Dei recipiens , cum ea agit, eidem gratiæ liberè aſſentiens , & cooperans , loquitur in ſenſu compoſito aſſenſus , & cooperationis cum gratia efficaci , ut eſt evidens, & concedunt ipſi adverſarij: ergo etiam , dum immediatè reddit rationem , dicens: *quippè qui illam abijcere poteſt* , loquitur in ſenſu compoſito abjectionis , ſeu diſſenſus cum ipſa gratia efficaci : nam aliàs non rectè procederet Concil., mutando ſenſum , ſivè ſtatuendo , & probando contra hæreticos , hominem in ſenſu compoſito gratiæ efficacis verè cum ea agere , eidem liberè aſſentire , & cooperari , eo quia in ſenſu diviſo poteſt eam abijcere , ſeu ponere diſſenſum, dum talis gratia non adſit. Prob. ultimo illa prima min.: dum Concilium can. 4. cit. definit ; *ſi quis dixerit , liberum ho-*

hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum, nihil cooperari aſſentiendo Deo excitanti, atque moventi, loquitur in ſenſu compoſito aſſenſus, & cooperationis cum gratia efficaci: ergo dum in eodem can. damnat dicentes, liberum arbitrium non poſſe diſſentire, ſi velit, loquitur etiam in ſenſu compoſito diſſenſus eum ipſa gratia efficaci; nàm aliàs in eodem can. unam, & eandem materiam concernente, mutaſſet formam loquendi: ergo cum hoc longiſsimè abſit, dicendum erit, quod Concil. aſſerens, liberum hominis arbitrium à Deo excitatum, & motum, poſſe, ſi velit diſſentiri gratiæ efficaci, loquitur in ſenſu compoſito diſſenſus, conjungibilis cum ipſa gratia. Et inde habetur ex Concil. Trident., gratiam non eſſe ab intrinſeco efficacem, ſeu phyſicè prædeterminativam.

62 Prob. 3. ex Div. Auguſtino, & primo ex lib. 1. ad Simplicianum quæſt. 2. ubi ait: *noluit Eſau, & non cucurrit, ſed & ſi voluiſſet, & cucurriſſet, Dei adjutorio perveniſſet, qui ei etiam currere, & velle, vocando præſtaret, niſi, vocatione contempta, reprobus fieret; aliter enim præſtat Deus, ut velimus, & ſuum eſſe voluit, & noſtrum, ſuum vocando, noſtrum ſequendo*; ſed ſi Auguſt. judicaſſet gratiam ſeu motionem aliquam, prævie determinantem, eſſe neceſſariam ad ſalutariter operandum, non dixiſſet, *ut velimus voluit eſſe ſuum vocando, noſtrum ſequendo*; ſed potius: ſuum prævie determinando, noſtrum talem prævium determinationem faciendo, ſeu recipiendo; neque dixiſſet: Eſau Dei vocatione, ſeu adjutorio, ſalvandum iri, ſi voluiſſet, & cucurriſſet, ſemel, ac tale adjutorium eſſet prævie determinans voluntatem Eſau ad volendum, & currendum: ergo talis gratia, phyſicè prædeterminans, de mente Auguſt. non eſt. Minor patebit quoad utramque partem comparanti verba Auguſtini cum gratia phyſicè prædeterminante.

63 Secundò ex eodem ibidem paulò infrà: *ſed, ſi vocatio ita eſt effectrix bonæ voluntatis, ut omnis vocatus eam ſequatur; quomodò verum erit: multi vocati, pauci electi?* Ergo illi, qui vocantur, quomodocumque vocentur, habent in poteſtate ſua adhùc in ſenſu compoſito vocationis, ei conſentire, vel diſſentire. Prob. conſeq. ex ipſo lib. de Spiritu, & littera cap. 34., ubi ait: *quia in omnibus miſericordia*

dia ejus prævenit nos, consentire autem vocationi Dei, vel ei dissentire, sicut dixi, propriæ voluntatis est: ergo illi, qui vocantur, quomodocumque vocentur, habent, &c. Subsumo nunc: sed præmotus gratia prædeterminante, non potest ei dissentire in sensu composito talis prædeterminationis, ut ultrò fatentur Thomistæ: ergo talis gratia, physicè prędeterminans non est de mente Aug. Deinde lib. 12. de Civitate Dei cap. 6. ait: *si duo, æqualitèr affecti animo, & corpore, videant unius corporis pulchritudinem, & si eadem tentatione tententur, & unus cadat, alter idem, qui fuerat, perseveret, quid aliud apparet, nisi unum voluisse, alterum noluisse à charitate deficere.* Et in lib. de Dogmatibus Ecclesiasticis, cap. 21. dicitur: *initium salutis nostræ, Deo miserante, habemus, ut acquiescamus salutiferę inspirationi, nostræ potestatis est*; sed non esset nostræ potestatis acquiescere salutiferę inspirationi, & non victoriam tentationis obtinuisse, qui, præ alio, non est lapsus unicè quia voluit à charitate non deficere: ergo, &c.

64 Idem Augustin. lib. 83. quęstionum quęstione 68. super illud Pauli: *ò homo, tu qui es?* ait; *ad illam cœnam, quam Dns. dicit in Evangelio paratam, non omnes, qui vocati sunt venire voluerunt, neque illi, qui venerunt, venire possent nisi vocarentur; itaque, nec illi debent sibi tribuere, qui venerunt, quia vocati venerunt, neque illi qui noluerunt venire debent alteri tribuere, sed sibi tantum, quoniam, ut venirent vocati, erat in libera potestate.* Et Div. Prosper fidelissimus Augustin. discipulus, lib. 2. de Vocatione gentium, cap. 26. concordat suo Magistro dicens: *gratia quidem Dei in omnibus justificationibus principalitèr prævenit suadendo exortationibus, monendo exemplis, terrendo periculis, incitando miraculis, dando intellectum, inspirando consilium, corque ipsum illuminando, & fidei affectionibus imbuendo; sed etiam voluntas hominis subjungitur ei, suplè gratia, atquæ conjungitur, quę ad hoc prędictis est excitata præsidiis, ut divino in se cooperetur operi*: ubi constituit Div. Prosper gratiam præparantem voluntatem in solis actibus vitalibus intellectus, & voluntatis, à Deo immissis, qui aliud entitativè non sunt, quàm gratia excitans, quam voluntas subsequitur, cuique cooperatur, si vult, & si non vult, non cooperatur.

65 Prob. 4. conclusio ratio-

tione desumpta ex definitione causæ liberæ : causa libera est, quæ positis omnibus requisitis ad operandum , potest agere , vel non agere ; sed , si gratia , qua quis in actu secundo elicit consensum salutarem , esset physicè prędeterminans , voluntas sub tali gratia, non posset agere , & non agere , sed tantum unicè ageret id , ad quod est prędeterminata : ergo talis gratia physicè prædeterminans , ut potè destructiva potentiæ liberæ, non datur. Huic brevi rationi respondet Alvarez Disput. 115., cui adhęrent Recentiores Thomistæ , negando mai. ; quia prædicta , inquiunt , definitio potentiæ liberæ , nec in Aristot., nec in Scoto , nec in Div. Thoma reperitur , sed tantum in aliquibus Nominalibus , sufficit tamen , ut hujusmodi definitio habeat sensum catholicum debere intelligi secundùm aliquam limitationem: ergo, ait Alvarez , talem definitionem posse admitti cum gemina limitatione. Prima est, quod illa verba : *positis omnibus prærequisitis* intelligantur tantum de prędrequisitis positis ex parte causę secundę , non verò ex parte causæ primę. Secunda est , quod , si intelligantur prædicta verba de requisitis ex parte Dei, tunc ly *positis* , positum in definitione potentię liberæ , non debet sumi in sensu composito , sed solum in sensu diviso. Vult dicere , quod voluntas , positis omnibus prærequisitis ex parte Dei ad consensum salutarem , non potest componere carentiam consensus cum talibus prędrequisitis , hoc est, in sensu composito prędrequisitorum , non potest non consentire , benè verò , si aliquod ex prędrequisitis ex parte Dei , non supponatur positum, id est , in sensu diviso potest non consentire.

66 Sed contra : si voluntas in sensu composito omnium prędrequisitorum ex parte Dei, non posset non operari , nunquam poneretur in statu , in quo distingueretur ab intellectu in modo operandi ; sed hoc est contra omnes philosophos , cum Aristot. 9. metaphisicę cap. 2. & 4., ubi principium activum ut sic dividit in naturale , & liberum : tanquàm in differentias essentialitèr oppositas : ergo prędicta definitio potentiæ liberæ , & fundata est , & ita debet intelligi , quod , positis omnibus prærequisitis , etiam ex parte Dei , in sensu composito omnium eorum possit voluntas operari , vel non. Prob. mai.: diversitas modi operandi

di intellectus, & voluntatis consistit in eo, quod intellectus, positis omnibus requisitis ad agendum, ita necessariò, & naturalitèr operetur, quod repugnet, ipsum non operari in sensu composito talium prę-requisitorum, licèt in sensu diviso eorum, vel alicujus ipsorum, possit non operari; voluntas verò in sensu composito omniũ prærequisitorũ nunquàm naturaliter, sed liberè operetur; sed, si voluntas in sensu composito omnium prærequisitorum non potest non operari, nunquàm ponitur in statu, in quo distinguatur ab intellectu in modo operandi: ergo vera est maior.

67 Prob. min.: sicut voluntas in sensu composito omnium essentialitèr requisitorum, ad amorem v. g., non potest non elicere amorem, ita & intellectus in sensu composito omnium essentialitèr requisitorum ad assensum, non potest non elicere assensum: & sicut voluntas in sensu diviso essentialiter requisitorum ad amorem, potest elicere odium; ita & intellectus in sensu diviso essentialitèr requisitorum, vel alicuius ipsorum ad assensum, potest elicere dissensum: ergo si voluntas in sensu composito, &c. Confirm.; ut potentia libera ponatur in statu, in quo à potentia naturali distinguatur in modo operandi, opus est, ut potentia naturalis, positis omnibus requisitis ad agendum; non possit non operari; è contra verò potentia libera, positis omnibus requisitis, possit non operari; sed, si vera est doctrina Contrariorum, potentia libera nunquam ponitur in statu, in quo de illa verificetur, quod possit operari, vel non operari: ergo ruit eorum solutio. Prob. min.: potentia libera in omni statu, vel consideratur in sensu diviso requisitorum, vel in sensu composito ipsorum; sed in neutro statu de ipsa verificatur, quod possit operari, vel non operari; siquidem, licèt in sensu diviso requisitorum, de ipsa verificetur, posse non operari, non tamen verificatur, posse operari, cum repugnet operatio absque necessario prærequisito: aliundè in sensu composito requisitorum, sto verificetur de ipsa, posse operari, non tamen, posse non operari, quia ut subest omnibus prærequisitis, nunquam potest carere operatione: ergo, &c.

68 Respondent Adversarij, quod prærequisita ex parte Dei ad hoc, ut voluntas *salutaritèr* operetur, sunt in duplici differentia; nam quæ-

dam

dam ſunt requiſita ex parte actus primi : quædam ex parte actus ſecundi. Quę ſunt, ajunt, requiſita ex parte actus primi, ita ſe habent, quod voluntas, in eorum ſenſu compoſito, poſsit operari, & non operari: alia vero, quæ ſunt requiſita ex parte actus ſecundi, ita ſe habent : quod repugnet, voluntatem, in ſenſu compoſito talium requiſitorum, non elicere determinatam illam operationem, ad quam dantur à Deo talia requiſita. Patet hoc, dicunt, in ipſo concurſu Dei, neceſſario requiſito, ut voluntas ponat conſenſum ſalutarem, quo concurſu poſito, voluntas in ſenſu compoſito talis concurſus, & abſque ullo præjudicio ſuæ libertatis non poteſt non ponere conſenſum ſalutarem; ſed non alia ratione, niſi quia concurſus Dei tantum requiritur ex parte actus ſecundi : ergo ſimiliter, cum præmotio, ſeu applicatio voluntatis divinæ per gratiam, phyſicè prædeterminantem unicè ſe habeat ex parte actus ſecundi, & non primi, indè eſt, quod, etſi voluntas in ſenſu compoſito talis gratiæ ad conſenſum non poſsit non conſentire, hoc non præjudicat eius libertati.

69 Contra eſt : ſi gratia phyſicè prædeterminans, ſe haberet ex parte actus primi, noceret libertati; ſed ſic ſe habet: ergo libertatem tollit. Maior eſt ſolutio Adverſariorum. Prob. minor : quidquid in aliquo priori naturę ſupponitur ad effectum, tanquam principium ejus aut tanquàm conditio eſſentialiter præexigita ſe habet ex parte actus primi; ſed gratia phyſicè prædeterminans ſupponitur in aliquo priori naturæ ad conſenſum ſalutarem, vel per modum principij, vel per modum conditionis eſſentialiter præexigitę ad conſenſum : ergo, &c. Prob. minor : in illa applicatione, ſeu imperio, quo voluntas creata applicat intellectum, & reliquas potentias ſibi ſubditas, ad earum operationes eliciendas; eſt quidem applicatio in omnium ſententia, ſe tenens ex parte actus primi, non minùs, ac applicatio ignis ad lignum in ordine ad effectum combuſtionis : ergo, &c.

70 Præterea, ea ratione, qua dicitur applicationem Dei ſe habere ex parte actus ſecundi, poteſt etiam dici, quod applicatio, qua voluntas creata applicat intellectum, ſe habet ex parte actus ſecundi: ergo, ſicut, qui diceret primum, ſalvaret libertatem, ſeu indifferentiam voluntatis, ex eo,

eo, quod voluntas in ſenſu diviſo applicationis divinæ poſſit ponere diſſenſum, licèt illum non poſsit ponere in ſenſu compoſito, quatenus applicatio divina ſe habet ex parte actus ſecundi, & non primi, ita, qui diceret ſecundum, ſalvaret libertatem, & indifferentiam in intellectu, ex eo, quod intellectus in ſenſu diviſo applicationis voluntatis creatę, poſsit ponere diſſenſum, licèt in ſenſu compoſito talis applicationis, illum ponere nequeat, ſemel, ac dicatur, talem applicationem ſe habere ex parte actus ſecundi; ſed nemo dicit, indifferentiam, ſeu formalem libertatem poſſe ullo modo reperiri in intellectu, aliàs non eſſet undè diſtingueretur utraque potentia ex parte modi operandi: ergo, &c.

71 Ex quibus patet ad paritatem de concurſu, qui licèt eſſentialiter requiratur ad agendum, tamen non requiritur ex parte actus primi, & prę̀viè, ſed unicè ex parte actus ſecundi, & ſolum concomitanter; præmotio autem intentionalis obiecti, reſpectu actus voluntatis, ſicut & præmotio phyſica voluntatis divinę, reſpectu conſenſus ſalutaris prę̀vię ſunt: & quamvis Thomiſtę Recentiores nihil magis communiter doceant, quam quod ſua phyſica præmotio unicè pertinet ad actum ſecundum, hoc tamen non poſſumus capere; omne enim, quod præcedit actum ſecundum, neceſse eſt quod pertineat ad actum primum, vel per modum comprincipij, vel ſaltem per modum conditionis, præexigitę ad talem actum, & ſanè ipſi Thomiſtæ fatentur, gratiam, phyſicè prædeterminantem, ordine cauſalitatis eſſe priorem effectu, ſeu conſenſu ſalutari. Et cum ulterius non ſit in poteſtate voluntatis acquirere tale præexigitum, neque, ſemèl datum, illud abjicere, neque ei in ſenſu compoſito diſſentiri, neſcimus, quomodo voluntas cum tali prærequiſito poſsit dici proximè libera, & indifferens activè.

Solvuntur argumenta ex Script. & Concilijs.

72 ARguitur 1. ex illo ad Philip. 2.: *Deus eſt qui operatur in nobis velle, & perficere pro bona ſua voluntate*: ergo, &c. Reſp. in citato textu hortari Apoſtolum Philippenſes ad humilitatem, & obedientiam exemplo Chriſti, cum ait: *hoc enim ſentite in vobis, quod & in Chriſto Ieſu*, ubi humilitatem, & obedien-

dientiam Chriſti ante oculos ponit, ut ipſi eoſdem affectus induant. Unde concludit: *ita fratres mei, cum metu, & tremore veſtram ſalutem operamini*: ac ſi diceret: ſi Chriſtus humilis, & obediens fuit uſque ad mortem, & vos debetis obedire Deo, operando veſtram ſalutem, & non cum jactantia præferendo vos alijs, vel exiſtimando, vos aliquid eſſe, ſed cum timore, & tremore, ſicut Chriſtus cum humilitate, & reverentia fuit obediens Patri. Et ſubdens alteram rationem, ait verba, in argumento objecta, cuius textus authoritatis ſenſus eſt: debetis cum timore ſalutem veſtram operari, quia non veſtris viribus eam poteſtis operari, cum ſit Deus, qui illam operatur, ut cauſa principalis, ſuppeditans vobis aſſiduas vires. Itaque, ne Deus ſuo auxilio deſerat vos, cum tremore operamini veſtram ſalutem, quod ſi feceretis, ipſe quoquè operabitur perficere, id eſt, perſeverantiam, ſicut operatus eſt velle, id eſt, propoſitum bonæ voluntatis.

73 Ex quo infertur, quod mediante divina gratia, à Deo nemini denegata, eſt in poteſtate hominum, ut Deus in ipſis operetur perficere; & conſequenter ad hoc non eſt neceſſaria gratia ab intrinſeco efficax, cum iſta nullo modo ſit in noſtra poteſtate. Deus ergo dicitur operari in nobis velle, & perficere, quia dat nobis vires ſupernaturales, tum ſuadendo, & alliciendo; tùm & ſimùl phyſicè influendo nobiſcum in opus ſalutare. Si quæras autem: cur Deus potius dicitur operari, velle, & perficere, quàm homo; cum homo ſit, qui libere actum elicit? Dico, quod etiam homo hęc omnia operatur; nam Ioel 2. dicitur, ſe ipſum convertere. Et Ezeeq. 18. ſibi facere cor novum. Et 2. ad Thimoth. 2., ſe mundare à peccatis. Peculiariter tamen tribuuntur hęc omnia Deo, tùm, quia Deus hominem ad hæc opera excitat, & incitat, antequam homo ipſe aliquid de eis cogitet; tum, quia ad talia opera præbet vires, ſine quibus homo nihil eorum poſſet operari: & qui ad aliquid præbet vires, quibus res conficiatur, peculiari modo dicitur cauſa principalis rei. Sic dicimus. Regem expugnare urbes, quia ſuppeditat Ducibus arma, milites, & ſumptus. Sic Matt. 10. dicitur: *non enim vos eſtis, qui loquimini, &c.*, hoc eſt, non loquitur veſtra induſtria, ſed donum Spiritus Sancti omnia oportuna ſuggerit; hic autem

Spi-

Spiritus quoad uſum illius doni erat illis ſubiectus, teſte Paulo 1. ad Corinth. 14. Hoc eodem modo reſpondetur ad illud Ezceq. 26. : *dabo vobis cor novum* ; ad illud Eſter. 14. *transfer cor illius* : & ad illud Pauli : *quis te diſcernit* ? Item: *non eſt volentis, neque currentis.*

74 Arguitur 2. ex eadem Script. multiplicitèr. Et primo ex illo ſapientiæ 11. : *virtuti brachij tui quis reſiſtet* ? Et ex illo ad Rom. 9. : *voluntati eius quis reſiſtet* ? Et Iſai. 14. : *Dñs. exercituum decrevit, & quis poterit infirmare* ? Et ibidem cap. 46. : *omne conſilium meum ſtabit, & omnis voluntas mea fiet* ; ſed ſi auxilium quo Deus ſuam exequitur voluntatem, non eſſet ab intrinſeco efficax, voluntas creata poſſet reſiſtere voluntati, & brachio Dei, ergo, &c. Reſp. diſting. min. : ſed, ſi auxilium, &c., voluntas creata poſſet reſiſtere voluntati divinæ ſubiectivè abſolutè, & obiectivè conditionatè, conc. min. : voluntati divinæ, undequaque abſolutè, nego min. ; quia voluntas divina undequaque abſoluta, jam involvit actum ſecundum voluntatis humanæ, prævisum ut abſolutè futurum: omnia ergo prędicta loca eadem diſtinctione explicantur, ſicut & alij Sacri Textus, qui in idem colimant.

75 In ſimilibus ergo teſtimonijs quatuor reperiuntur, de quibus inter Catholicos non poteſt eſſe controverſia. Primum eſt decretum Dei undequaquè abſolutum ſemper ſtare, nec fruſtrari poſſe, quia ſemper eſt prudens, & in ſcientia, metaphyſicè certa, fundatum. Secundum, quod eſt ferè idem, tale decretum ſemper impleri. Tertium eſt, omnia eſſe conſtituta in manu Omnipotentiæ divinę ; quia enim Deus nihil abſolutè vult, niſi modo prudentiſsimo, habenſque in Theſauris ſcientiæ, & potentiæ ſuæ media, quibus poſsit infallibilitèr exequi quidquid abſolutè vult, ideò omnis talis voluntas ejus infallibilitèr fit. Quartum eſt, neminem poſſe reſiſtere tali voluntati. Per correſpondentiam ad hęc quatuor, pertinentia ad Deum, debent ſtatui alia, quæ pertinent ad hominem. Primum eſt, efficaciam voluntatis divinæ non auferre, neque impedire libertatem voluntatis humanæ. Secundùm eſt, executionem decreti divini, concernentis effectum liberum, dependere à libertate hominis dependentia ſignificante, tale decretum non fore, ſi non eſſet creata libertas. Tertium eſt, omnia, quę

Deus

Deus decrevit, fieri per liberum arbitrium hominis, non fieri ab eo inevitabiliter; quia, quod eſt inevitabile, non eſt liberum, cum id, quod evitari non poteſt, ſub poteſtate humana non cadat. Quartum tandem eſt, voluntatem Dei decernentem de actibus, eliciendis à libero noſtro arbitrio, non auferre potentiam proximam agendi, & non agendi; cum hęc poteſtas ſit eſſentialiter requiſita ad libertatem actus. His præſuppoſitis, tanquam omninó certis, non eſt intelligibile, quod voluntas Dei efficax, & abſoluta, ſalva libertate creata mandetur executioni media qualitate, quæ phyſicè prædeterminet ordine naturæ, & cauſalitatis potentiam liberam ad unum dumtaxat extremum. Quarè dicendum eſt, quod, licet omne decretum efficax ergà actus noſtros ſalutares impleatur inevitabiliter, nihilominùs in Deo non eſt, nec poteſt eſſe huiuſmodi decretum, antecedens in ęternitate ordine cauſalitatis prævisionem abſolutam noſtri conſenſus; & conſequentèr nec in tempore poteſt determinari noſtra voluntas per gratiam, phyſicè prędeterminantem; cum de natura iſtius ſit, potentiam prędeterminare antecedentèr ordine cauſalitatis, quod ut ex dictis patet, non coheret cum libertate.

76 Arguitur 3. ex alijs dicendi modis: ad Rom. 8. dicitur: *quicumque Spiritui Dei aguntur, hi ſunt Filij Dei*; ſed idem eſt Spiritu Dei agi, ac gratia Dei prædeterminari: ergo, &c. Item Ioann. 6.: *nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſsit me, traxerit eum*; ſed hominem trahi à Patre ſignificat, ipſum trahi per gratiam antecedentem ejus conſenſum: ergo, &c. Item Ioann. 8.: *qui ex Deo eſt, verba Dei audit; propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis*: ubi ſolum eſt ſermo de prædeſtinatis; ſed nemo prædeſtinatur, quia audit, ſed potius audit, quia prędeſtinatus eſt: ergo, ſicut prædeſtinatio antecedit omnem pręviſionem libertatis creatæ, ita & gratia, qua prædeſtinatus audit, antecedit conſenſum. Ad idem eſt illud Cantic. 1.: *trahe me poſt te.*

77 Reſp. ad primum diſting. min.: idem eſt agi ſpiritu Dei, ſumpto tali ſpiritu pro gratia prædeterminante, ac prædeterminari, conc. min.; ſed nego talem gratiam, ſeu ſpiritum dari; ſumpto tali ſpiritu pro gratia pręveniente, nego min. Itaque ly *aguntur* in allato textu, idem ſonat, ac excitantur, teſte Auguſtino in

En-

Enquiridione cap. 64., dicente: *quamvis de illis ſit veracitèr dictum : quotquot ſpiritu Dei aguntur , hi ſunt Filij Dei, ſic tamen ſpiritu Dei excitantur, & tanquam Filij Dei proficiunt ad Deum , &c.* : ubi verbum *aguntur* exponitur ab ipſo Auguſtino per verbum *excitantur*; ſed per gratiam excitantem, ipſis fatentibus Thomiſtis, non ſignificatur gratia phyſice prædeterminans : ergo de mente Auguſt. in prædicto textu gratia phyſicè prædeterminans non ſignificatur. Vel ſecundò poteſt reſponderi, alitèr diſtinguendo minorem : ſed idem eſt agi ſpiritu Dei, hominibus ſimul coagentibus, ac gratia Dei prædeterminari, nego minorem : ipſis non coagentibus ſimul tali ſpiritui , conc. min. ; ſed nego ſuppoſitum; non enim datur talis ſpiritus, ſeu gratia, efficaciter agens cui homo ſimul , & pro eodem ſigno , non intelligatur cooperari.

78 Ad ſecundum explico mai. : nemo poteſt venire ad me, niſi Pater traxerit eum, tractione, quę ſit phyſica qualitas prædeterminativa , nego maiorem , tractione gratiæ, conſiſtentis in illuſtratione intellectus, & pia affectione voluntatis , conc. mai. : & ſub eiſdem terminis excepta min, negatur conſeq. Ita Auguſt. Tract. 26. in Ioan., ubi hanc tractionem explicat exemplis nucis , & rami viridis, oſtenſorum puero, & ovi. Per quod patet ad illud Cantic. : *trahe me , &c.* Ad tertium , nego min. ; quia ſi verba Dei audire non poſſumus , niſi ſimus prædeſtinati , abſque fundamento reprehenderet Chriſtus Phariſæos , eo , quod verba Dei non audirent ; cum in eorum poteſtate non erat, quod eſſent prędeſtinati , vel non; ſiquidem prędeſtinatio , maxime in ſententia Thomiſt., antecedit omnem prævisionem meritorum. Senſus prędicti textus eſt, eos eſſe ex Deo , quī eius inſpirationibus obediunt, nam tales aguntur ſpiritu Dei, vel iam inhabitante per habitum gratiæ , & charitatis, vel ad minus excitante per gratiam actualem , vel utramque gratiam ſimul : ſicut è contra , ex Diabolo dicitur eſſe, qui eius ſugeſtionibus obedit; propterèaque Phariſæi non audiebant verba divina , hoc eſt, non obtemperabant eis , ſed ex Diabolo , quia ſugeſtionibus eius obtemperabant.

79 Arguit. 4. ex illo Proverb. 21. : *cor regis in manu Dni. quocumque voluerit inclinabit illud* ; ſed eadem eſt ratio de rege , ac de reliquis homi-

minibus : ergo , ſicut inclinat cor regis quocunque voluerit , ita & reliquorum corda. Nunc ſic ; ſed , Deum inclinare cor regis quocumque voluerit , eſt illud inclinare per phyſicam præmotionem : ergo, &c. Reſp. negando ſubſumptam. Ratio eſt; quia , licèt nullus catholicorum dubitet , voluntates hominum eſſe in manu Dei , eſt tamen magna contentio circa modum. Undè, quamvis dicat Script. : *cor regis eſt in manu Dei* : non indè infertur eſſe ratione neceſsitatis illatę voluntati regis ut eſt fide certum , contra hæreticos Neceſsitatores : ergo nec infertur eſſe ratione phyſicæ prædeterminationis ; cum totum optimè ſalvetur per ipſam gratiam prævenientem , non conſiſtentem in alio , quàm in pijs actibus deliberatis, a Deo immiſſis, & ex parte intellectus , & voluntatis ſe habentibus.

80 Quapropter Auguſtinus de libero arbitrio , & gratia interpretatur prædicta verba , non ſolum de corde bono , & ſancto , ſed etiam de corde peccatoris , eiuſque inclinatione ad opera mala , & ſic concludit : *his , & talibus teſtimonijs divinorum eloquiorum :: ſatis , quantum exiſtimo, manifeſtatur operari Deum in cordibus hominum , ad inclinandas eorum voluntates quocumque voluerit , ſivè ad bona pro ſua miſericordia ; ſivè ad mala, pro meritis eorum* ; ſed , ſi Deus phyſicè prædeterminaret aliquem , non poſſet ęquè prædeterminare ad bonum , ſicut ad malum ; ergo , vel ex Script. ibi non infertur , iuxta mentem Auguſt. , prędeterminatio ad bonum , vel ex eodem loco infertur , juxta ipſum, prædeterminatio ad malum; ſed prædeterminatio ad malũ, prout malum ; non habet locum in Deo : ergo , &c. Tandem Aug. citatus in fine illius capitis docet , Deum hoc facere per Angelos bonos , vel malos , ſivè quocumque alio modo , operando in cordibus malorum, pro meritis eorum ; ſed ſi Deus prædeterminaret homines, non variis modis , ſed uno , & determinato modo hoc faceret, nec per Angelum bonum , nec malum , ſed per ſe ipſum : ergo cum in cordibus bonis operatur , hoc facit immitendo ſanctas cogitationes , & pias affectiones ; & in cordibus malis permittendo , ut homines ad malum inducantur. Ex hoc patet ad illud Eſteris : *converte, Deus , ſpiritum regis in manſuetudinem.*

81 Arguitur 5. ex Concilijs , & 1. ex Milebitano can. 4. ubi dicitur : „ per gratiam, non

non ſolum nobis revelari, quid appetere, quidvè vitare videamus, ſed etiam nobis præſtari, ut quod faciendum cognoverimus; etiam facere diligamus, atque „valeamus: ergo gratia Dei in nobis facit, ut poſsimus diligere, & ſimul, ut actu diligamus; ſed primum fit per gratiam ſufficientem, ſecundum per gratiam efficacem: ergo datur gratia efficax, & quidem phyſicè prædeterminativa. Poſſent omnia concedi, prętèr ultimam conſequentiam, quæ non bene infertur: ſtat enim gratiam eſſe efficacem, & non eſſe prædeterminantem. Quarè in forma diſtinguo ſublumptam: ſed primum fit per, &c., tanquam per duas gratias entitativè diſtinctas, nego min.: tanquam per eandem gratiam cum diſtinctis connotationibus, conc. min., & nego conſeq.

82 Secundo ex Concilio Arauſicano ſecundo can. 4. ubi dicitur: *ſi quis, ut à peccato purgemur voluntatem noſtram Deum expectare contendit, non etiam, ut purgari velimus per Spiritus Sancti infuſionem, & operationem in nobis fieri confitetur, reſiſtit Spiritui Sancto, per Salomonem dicenti: præparatur voluntas à Dno. &c.* Ex quibus ſic: negata gratia, prædeterminante voluntatem, ut à peccato purgetur, ſequitur, Deum expectare voluntatem noſtram, ut eam à peccato mundet; ſed hoc eſt contra Concil. citat.: ergo, &c. Prob. mai.: Deus non purgat voluntatem à peccato, niſi jam conſentientem, & determinatam; ſed negata gratia prædeterminante, Deus non facit, ut voluntas determinetur: ergo illam expectat, ut ſe determinet: ergo & expectat illam, ut à peccato purgetur. Urgetur ratione: cauſa efficiens non expectat ſuum effectum; ſed Deus per auxilium gratiæ efficacis eſt cauſa efficiens, cur homo velit: ergo non expectat hominem, ut velit.

83 Huic argumento multum fidunt Contrarij, ſed facile diſſolvitur, prius advertendo, prędictum can. ſicut, & alios ejuſdem Concilij directè impugnare errorem Semipelagianorum, ſeu Maſilenſium, dicentium, initium ſalutis ex nobis eſſe, fundarique in merito naturæ, ita ut voluntas ſuis proprijs viribus, & independenter ab omni gratia ſupernaturali, eliciebat aliquod opus meritorium gratiæ primò excitantis, licèt opus, meritorium gloriæ, conſumare non poterat abſque gratia Dei; ideòque conſequenter dicebant, Deum expectare volunta-

tatem hominis, ut eum purgaret à peccato, medio illo opere, viribus naturæ elicito, & meritorio primæ gratię. Undè Concil. procedit contra hunc errorem, in quo tria continentur, quorum primum eſt, Deum expectare voluntatem hominis ut ipſum vocet: ſecundum eſt, quod illud, quod expectat in voluntate, eſt aliquod meritum, vel impetratio primę gratiæ auxiliantis: tertium denique eſt, huiuſmodi meritum eſſe ex viribus naturę, quę omnia meritò damnantur à Concilio in prædicto canone. Quibus prævijs,

84 Reſp. ad argumentum diſting. mai.: negata gratia, &c.; ſequitur, Deum expectare voluntatem, ex viribus naturę ſe diſponentem, ut à peccato purgetur, neg. mai.: ſequitur, Deum expectare voluntatem, iam excitatam, & vocatam per gratiam prævenientem, ut à peccato purgetur, ſubdiſtinguo: ſumpto ly expectare prout ſignificat, voluntatem humanam prius operari, ſeu agere, quam voluntatem divinam, nego mai.: prout ſignificat condeterminationem utriuſque voluntatis in operando pro eodem ſigno cauſalitatis, conc. mai. Ad prob. diſtinguo mai.: Deus non purgat à peccato voluntatem, niſi jam conſentientem, & determinatam à ſe ipſa, conc. mai.: determinatam ab alio, nego mai.; & diſting. min.: ſed negata, &c.; non facit antecedenter Deus, ut voluntas determinetur, conc.: non facit concomitanter, ſubdiſting.: non facit concomitanter, ut determinetur ab aliquo extrà ſe ipſam, conc. min.: non facit concomitanter, ut determinetur voluntas à ſe ipſa, nego min.

85 Ad urgentiam diſting. mai.: cauſa efficiens totalis, tam totalitate cauſæ, quam totalitate effectus non expectat ſuum effectum, conc. mai.: cauſa efficiens totalis ſola totalitate effectus non expectat ſuum effectum, nego mai. Et diſting. min.: ſed Deus, &c., eſt cauſa efficiens totalis totalitate effectus, ut homo velit, conc.: totalis totalitate cauſę, nego min. Itaquè, licet Deus ut cauſa totalis adęquata, & unica, eliciens vocationem ad conſenſum, non tamen eſt cauſa unica, & totalis ipſiuſmet conſenſus totalitate cauſę, quia talis conſenſus ſimúl, & pro eodem ſigno naturæ, & cauſalitatis procedit effectivè à Deo vocante, & à voluntate vocata, ſemèl, ac, iſta vocata, obtemperet vocationi. Deus ergo prævièt excitat voluntatem creatam,

tam, ut benè agat, quę, ſi benè agere, voluerit; tunc Deus & ipſa abſque ulla prioritate, aut poſterioritate cauſalitatis ſimul ſe condeterminant, ſimulque producunt indiviſibiliter.

86 Salmaticenſes, quos ſequuntur multi Thomiſtę, replicant: Semipelagiani damnantur in cit. Concilio, quia negarunt gratiam ex ſe efficacem: ergo, &c. Prob. antec.: ibi damnantur Semipelagiani, quia negarunt aliquam gratiam, ſed non negarunt gratiam ſufficientem ex ſe indifferentem ad habendum, vel non habendum effectum: ergo præciſè negarunt gratiam efficacem. Prob. min.: nec Pelagius, nec Semipelagiani, ſaltem in ultimo ſtatu ſuæ hæreſis, negarunt gratiam prævenientem; ſed gratia præveniens eſt gratia ſufficiens: ergo, &c. Maior, quantum ad Pelagium, prob. ex Auguſt. lib. de Gratia Chriſti cap. 14. dicente: *venire poſſe in natura, ponit Pelagius, vel ut modo dicere cepit*: ergo Pelagius tandem, inquiunt Thomiſtæ, admiſit gratiam prævenientem.

87 Eandem maiorem probant ſecundo, quantum ad Semipelagianos, ſeu Maſilienſes, ex eorum coripheis Fauſto regienſi, & Caſiano, quorum tamen dicta, ſi benè inſpiciantur, ſolum probant, ipſos admiſiſſe, non gratiam prævenientem, ſed ſolum cooperantem, quàm ſanè nunquam negarunt. Alitèr tamen probant eandem mai. ex D. Aug. lib. de Prædeſtinatione, ubi de Semipelagianis ſic loquitur: *pervenerunt autem ibi, fratres noſtri, ut præveniri voluntatem hominum, gratiam Dei fateantur, atque ut ad nullum opus bonum, vel incipiendum, vel perficiendum; ſibi unquam ſufficere poſſe, ſentiant*: ergo Semipelagiani, juxta Auguſt., non negarunt neceſsitatem gratiæ prævenientis, & cooperantis, ſed nihilominùs damnati fuerunt à Concilio, quia negarunt gratiam: ergo ab eis non eſt negata alia gratia, quàm ex ſe efficax, ſeu phyſicè prædeterminans.

88 Reſpondeo negando antec. replicę; immò & ſuppoſitum, ſcilicet, aut Concilium, aut Semipelagianos unquàm agnoviſſe talem gratiam phyſicè prædeterminantem; nego item quod Pelagius, & Semipelagiani agnoverint neceſsitatem gratiæ, prævenientis ad opera ſalutaria. Quoad Pelagium, patet ex Div. Auguſt. lib. de Gratia Chriſti, ubi à cap. 1. uſque ad ultimum oſtendit in ſingulis, Pelagium

nullam aliam gratiam, præter externam legis, & doctrinæ, admiſsiſſe, ut neceſſariam, ut noſtra poſsibilitas adjuvetur. Immò cap. 30. & 34. expreſsè aſſerit, ſe nihil aliud potuiſſe alicubi reperire in Pelagij operibus: etſi aliquandò legatur ſuum errorem damnaſſe, ut in Synodo Paleſtina, hoc non fecit Pelagius ex animi ſententia, ſed potiùs timoris cauſa; ita teſtatur Auguſt. lib. 4. contra duas Epiſtolas Pelagianorum cap. 6. ajens: *quod quidem ipſe Pelagius, & ſi non corrigendo, tamen orientales judices timendo, damnavit.*

89 Quantum attinet ad Semipelagianos, etiam conſtat ipſos nunquàm admiſsiſſe ullam internam gratiam prævenientem, ut neceſſariam ad pietatis opera inchoanda; licèt ad perficiendum opus ſalutare gratiam adjuvantem requirebant. Undè dicti fuerunt Semipelagiani; cum enim diſcederint à Pelagio in requirenda gratia interna ad conſummationem boni operis, cum illo tamen conveniebant, in non admiſsione alterius gratiæ, præter legem, & doctrinam ad incipiendum ex naturæ viribus opus meritorium. Hinc quarta propoſitio Janſenij, ſcilicèt: *Semipelagiani admitebant prævenientis gratiæ interioris neceſsitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei, &c.*; damnata eſt ab Innoc. X., ut inde conſtet Semipelagianos ſemper conſtantiſsimè negaſſe neceſsitatem gratiæ interioris ad initium ſalutis. Sicut ad can. 4. Arauſicani Concilij, reſpondetur ad can. 5. ejuſdem Concilij, ubi ſolum docetur, quod in omni opere ſalutari ſolus Deus incipit, quod à nullo negatur catholico.

Solvuntur argumenta ex Auguſt., & à ratione.

90 ARguitur 1.: Auguſtini doctrina in hac materia de gratia, ab omnibus tenenda eſt ut catholica, & ut ab Eccleſia canonizata; ſed Auguſt. pluribus in locis docet, gratiam, qua ſalutariter operamur, eſſe phyſicè prædeterminantem: ergo, &c. Minor poſteà probabitur. Suadetur maior ex multis teſtimonijs Cœleſtini primi, Arauſicani ſecundi, Hormiſdæ Papæ Epiſt. ad Poſſeſſorem, Ioann. II. Summi Pontificis, & tandem Synodi generalis quinti. Reſp. huic argum. negando abſolutè mai., cuius ratio eſt; tum ab Alexandro damnata propoſitio, jam ſuperiùs adducta; tum,

tum, quia in operibus Auguſt. nihil de fide tenendum eſt, niſi id, quod Eccleſia ex ipſo tranſcripſit, fecitque illud jam ſuum, redigendo in Canones fidei contra divinæ gratiæ impugnatores.

91 Et ſi ſcire velis, quænam Auguſt. propoſitiones ab Eccleſia recipiuntur, ut fide certæ, dico eſſe dumtaxàt novem. Eſt prima: *in prævaricatione Adæ omnes homines naturalem poſsibilitatem, & innocentiam perdidiſſe, & neminem de profundo illius ruinæ per liberum arbitrium poſſe conſurgere, niſi eum gratia Dei miſerantis erexerit.* Et ſecunda: *neminem eſſe per ſemetipſum bonum, niſi participationem ſui ille donet, qui ſolus bonus eſt.* Eſt tertia: *neminem, etiam baptiſmatis gratia renovatum, idoneum eſſe ad ſuperandas diaboli inſidias, niſi per quotidianum adjutorium Dei perſeverantiam bonæ converſationis acceperit.* Eſt quarta: *quod nemo, niſi per Chriſtum, libero benè utatur arbitrio.* Eſt quinta: *quod omnia ſtudia, & omnia bona opera Sanctorum ad Dei gloriam, laudemque referenda ſint, quia nemo ei aliundè placet, niſi ex eo, quod ipſe donaverit.* Eſt ſexta: *quod, ita Deus in cordibus hominum, atque in ipſo libero operatur arbitrio, ut ſancta cogitatio, pium conſilium, omniſque motus bonæ voluntatis ex Deo ſint, quia per illum aliquid boni poſſumus, ſine quo nihil poſſumus.*

92 Eſt ſeptima: *qui dixerit, gratiam Dei, qua juſtificamur per Chriſtum Dominum noſtrum, ad ſolam remiſsionem peccatorum valere, quæ commiſſa ſunt, non etiam ad adjutorium, ut non committantur, anathema ſit.* Eſt octava: *qui dixerit, gratiam Dei per Ieſum Chriſtum per hoc tantum nos adjuvare ad non peccandum, quia per ipſam nobis revelatur, & aperitur ſenſus mandatorum, ut ſciamus, quid appetere, aut quid vitare debeamus; non autem per illam nobis præſtari, ut, quod faciendum cognovimus, etiam facere valeamus, atque diligamus, anathema ſit.* Eſt nona: *qui dixerit, ideò nobis gratiam juſtificationis dari, ut, quod facere per liberum juvemur arbitrium, faciliùs poſsimus implere per gratiam, tanquam ſi gratia non daretur, non quidem facile, ſed tamen poſsimus, etiam ſine illa divina implere mandata, anathema ſit.* Hæc ſunt Auguſt. aſſerta, approbata in hac materia, & in canonem fidei reddacta à Cœleſtino Papa. Aliàs verò Auguſt. propoſitiones concernentes hanc materiam gratiæ, & ma-

te-

teriam prædeſtinationis relinquit indefinitas ipſæ Cœleſtinus, dicens : *profundiores* difficilioreſque partes incurrentium quęſtionum, &c. ; ut in fine illius Epiſt. Cœleſtini ad Epiſcopos Galliæ.

93 Prob. 1. ſuprà poſita minor : nam Div. Auguſt. non potuit meliùs explicare vim intrinſecam gratiæ prędeterminantis, quam dicendo, Deum per illam magis poſsidere, & habere ſibi ſubjectas voluntates hominum, quàm ipſe ſuas ; ſed id aſſerit Auguſt. lib. de Correctione, & gratia cap. 4. de Electione Dav. in Regem dicens : *intus egit corda tenuit, corda movit, eoſque, ſcilicèt, Iſraelitas, voluntatibus eorum, quas ille in ipſis operatus eſt, traxit* : ſi ergo cum voluerit reges in terra conſtituere Deus magis habet in poteſtate voluntatis hominum, quam ipſi ſuas, quid aliud facit, ut ſalubris ſit correctio, & fiat in correcti corde correctio, ut cœleſti conſtituatur in regno. Reſp. negando mai. ; quia repugnante gratia, phyſicè prædeterminante, Deus magis haberet in poteſtate ſua voluntates hominum, quam ipſi ſuas ; quatenùs per ſuam gratiam prævenientem fortiter, & ſuavitèr excitaret, inclinaretque ad effectum, quem vult, ut voluntas, ſic excitata, & tracta, phyſicè cum ipſa influat in operationem.

94 Eadem ſupra poſita minor prob. 2. ex ipſo Auguſt. lib. 1. de Gratia Chriſti cap. 14. ubi tractans illud Ioann. 6. *omnis qui audivit a Patre, & didicit, venit ad me*, ait : *quando Deus docet, non per legis litteram, ſed per ſpiritus gratiam, ita docet, ut quod quiſque didicerit, non tantum cognoſcendo videat, ſed etiam volendo appetat, agendoque perficiat* ; ſed nequit quis agendo perficere, ſi ultrà auxilium ſufficiens, Deus non confert aliquod auxilium ſpeciale ; & hoc auxilium ſpeciale ultra ſufficiens eſt phyſica prædeterminatio ſupernaturalis : ergo, &c. Eſt ſanè mirum, in Auguſt. verſatum, hoc uti argumento, nam Auguſt. ibi confutat Pelagium, negantem gratiæ internæ neceſsitatem, ut quis credat, & ait : poſſe Pelagianum minimè ſufficere ad opus aliquod ſupernaturale, quia tale poſſe nihil adjuvat naturales vires liberi arbitrij, ut expreſsè in toto hoc libro docet Auguſt. ; & fatetur ipſe Pelagius, adductus hic ab Auguſt. cap. 4. ; & Pelagij verba ſunt, quæ ſequuntur : *nos tria diſtinguimus. Primo lo-*

co

ea poſſe ſtatuimus : ſecundo velle: tertio eſſe. Poſſe in natura , velle in arbitrio , eſſe in effectu locamus. Primum illud , id eſt, poſſe ad Deum propriè pertinet, qui illud creaturæ ſuę contulit : duo verò reliqua , hoc eſt , velle, & eſſe , ad hominem referenda ſunt. Ita perfidus ille hæreticus per poſsibilitatem ſolam naturam , quę à Deo eſt , intelligebat , contra quem arguit Auguſtinus : *quis autem non videat & venire quemquam & non venire arbitrio voluntatis :: ſed hoc arbitrium poteſt eſſe ſolum , ſi non velit ; non poteſt autem non adjutum eſſe , ſi velit.*

95 Ex quibus patet ſolutio ad argumentum diſtinguendo min.: nequit qúis agendo perficere aliquod opus ſalutare, ſi ultra auxilium ſufficiens Pelagij , Deus non confert illi aliud auxilium ſpeciale , conc. : ſi ultra auxilium ſufficiens ſupernaturale , quod dicitur excitans , non confert ei aliud auxilium ſpeciale, nego min. Locus autem ille Ioannis , ex quo Auguſt. confutat Pelagium brevitèr nunc explicatur ſic: *omnis , qui audivit teſtimonium internum Patris de Chriſto , & ita didicit, ut aſſentiretur , & crederet illi, hic venit ad Chriſtum , & eum amplectitur ut Meſſiam.* Unde in *auditione* ſignificatur auxilium prę veniens , & interna vocatio ; & in *diſcere* ſignificatur conſenſus , & voluntas actualis credendi.

96 Tertiò ex eodem lib. de Correctione, & Gratia cap. 11. dicente : *ipſa adjutoria diſtinguenda ſunt. Aliud eſt adjutorium , ſine quo aliquid non fit ; & aliud eſt adjutorium , quo aliquid fit. Nam ſine alimentis non poſſumus vivere , nec tamen cum adfuerint alimenta eis fit , ut vivat , qui mori voluerit. Ergo adjutorium alimentum eſt , ſine quo non fit , non quo fit , ut vivamus.* Ex quibus ſic : adjutorium *ſine quo* eſt gratia ſufficiens : & adjutorium *quo* eſt gratia efficax; ſed de his adjutorijs ſine quo, & quo ait Auguſt. inter ſe diſtingui : ergo ideò eſt , quia gratia efficax addit phyſicam prædeterminationem ſupernaturalem ſupra auxilium ſufficiens. Reſp. negando conſeq,; diſtinctio enim , ibi aſſerta ab Auguſtino , alia non eſt , quam poſita inter gratiam ſanitatis, & medicinę , de quibus in ſuo loco dictum eſt.

97 Quartò ex eodem de dono perſeverantię cap. 14. ajente : *prædeſtenatio eſt præparatio beneficiorum Dei , quibus certiſsimè liberantur , quicumque liberantur* : ergo datur gratia,

tia, phyſicè prædeterminans. Probat. conſequentia : ſi non daretur, prædeſtinatio non eſſet omnino certa ; quia alia quæcumque gratia non infert infallibiliter effectum : ergo, ut prędeſtinatio ſit certa, fatendum eſt, gratiam, quæ eſt medium, eſſe per ſe, & ab intrinſeco efficacem. Reſp. diſtinguendo antec.: prædeſtinatio eſt tantum præparatio beneficiorum, nego : præparatio, & ſimúl per prius aliquid aliud, conc. antec., & nego conſeq. Ad cuius probat. nego antec.: & diſtinguo probationem imbibitam : alia quęcumque gratia non infert infallibiliter effectum, infallibilitate antecedenti, conc. : infallibilitate concomitanti, nego. Auguſt. citat. ſic habet : *prędeſtinatio Sanctorum nihil aliud eſt, quam præſcientia, & prępparatio beneficiorum Dei* ; ubi, ut vides, præponit Auguſtin. præſcientiam omnibus alijs, quæ ad prędeſtinationem pertinent : immò ipſam prædeſtinationem per præſcientiam explicat, & utramque judicat, ita eſſe conjunctam, ut prędſcientiam plerumque uſurpet pro prædeſtinatione, ut exponens illud Pauli : *non repulit Deus plebem ſuam, quam prędſcivit*, inquit: *hoc ; quod ait, præſcivit, non rectè intelligitur, niſi prædeſtinavit.* Quarè quodcumque argumentum pro gratia prædeterminante, fundatum in Auguſt. ex ſuppoſitione prædeſtinationis ad gloriam ante merita prędviſſa, negandum eſt, tanquàm de non mente ejus, ut clariús patet in Tract. de Prædeſtinatione in quęſtione de hac materia.

98 Arguitur 2. : gratia, phyſicè prædeterminans, non deſtruit libertatem voluntatis creatæ ; ſed aliundè, ea admiſſa, melius ſalvatur ſuprémum Dei dominium ſupra operationes noſtras liberas, perfectaque ſubjectio creaturę ad Deum, quam in ſententia oppoſita : ergo, &c. Prob. mai.: gratia, infallibiliter inferens, nedum ſubſtantiam actus ſalutaris, ſed etiam omnem ejus modum, nequit deſtruere libertatem ; cum inter modos talis actus numeretur libertas; ſed gratia prędeterminans infert infallibiliter, nedùm ſubſtantiam actus ſalutaris, ſed etiam modum, ſeu libertatem talis actus : ergo, &c. Prob. minor : gratia prædeterminans participat ab Omnipotentia vim movendi liberum arbitrium ; ſed Omnipotentia continet, nedùm voluntatem creatam, actumque ſalutarem; verúm, & modum libertatis : ergo, &c. Confirmatur : eo ipſo, quod

quod Deus ſit Omnipotens, debet continere voluntatem creatam, ejuſque determinationem, non minùs perfectè, ac ipſamet voluntas continet determinationem ſuam: ergo ſi voluntas creata poteſt ſe ipſam determinare, ad amorem v.g. ita ut ſimúl retineat poteſtatem ad carentiam amoris, etiam Deus poterit, ita determinare voluntatem creatam ad amorem, ut ſimúl in ea relinquat poteſtatem ad carentiam amoris. Urgetur: ideò impotentia conſequens ad ponendam carentiam amoris in eodem inſtanti, in quo amor eſt elicitus, non præjudicat libertati, quia ſequitur liberam determinationem voluntatis creatæ; ſed impotentia, conſequens gratiam prædeterminantem, conſequitur liberam determinationē voluntatis creatę, ut eminentèr præcontentam in Omnipotentia: ergo, &c.

99 Confirmatur ulterius: ſi gratia prædeterminans ad actum ſalutarem, amoris v.g., relinquit in voluntate poteſtatem ad oppoſitum, non præjudicat eius libertati; ſed licèt talis gratia inferat infallibiliter actum ſalutarem amoris, relinquit tamen in voluntate poteſtatem ad oppoſitum: ergo, &c. Prob. minor primè; talis gratia, prædeterminans ad amorem, ipſumque infallibiliter inferens non magis excludit à voluntate poteſtatem ad oppoſitum amoris, quam amor ipſe actu exiſtens; ſed amor actu exiſtens pro inſtanti A, non excludit à voluntate poteſtatem amoris pro eodem inſtanti; aliàs voluntas pro tali inſtanti non amaret liberè: ergo, &c. Prob. 2. eadem min.: ſi talis gratia ob aliquam rationem excluderet poteſtatem ad oppoſitum pro eodem inſtanti, maximè quia ipſa eſſet inconjungibilis cum carentia amoris; ſed etiam amor eſt inconjungibilis cum carentia ſui, & nihilominus relinquit in voluntate poteſtatem ad oppoſitum: ergo, &c. Urgetur: ideò amor, actu exiſtens, relinquit in voluntate poteſtatem ad carentiam ſui, quia, licèt ſit inconjungibilis cum tali carentia, nullum tamen habet prædicatum, repugnans poteſtati ad carentiam amoris ſecundum ſe, nempè, ad carentiam, non ut conjangendam cum ipſo amore, ſed retinet poteſtatem, ut conjungendam cum voluntate; ſed hoc idem verificatur de gratia prędeterminante ad amorem: ergo talis gratia non magis præjudicat libertati, quàm amor ipſe, caſu, quo eliceretur independenter à tali gratia.

Reſ-

100 Reſpondeo negando maiorem. Ad probationem diſting. mai. : gratia infallibiliter concomitanter inferens, &c. ; non deſtruit libertatem, conc. : infallibiliter antecedenter inferens , &c. ; non deſtruit libertatem , nego mai. ; & diſting. min. : ſed gratia prædeterminans inert infallibiliter concomitanter , &c. nego : infert infallibiliter antecedenter, & ſimul deſtruit libertatem, conc. min. Ad probat. diſting. mai. : gratia prędeterminans participat ab Omnipotentia vim movendi , & ſimul deſtruendi liberum arbitrium,conc. mai. : vim movendi , & non deſtruendi , nego mai. : & diſting. min. : ſed omnipotentia continet , &c. ; ſi decretum de futuritione actus ſalutaris eſt prædeterminativum , nego : ſi eſt condeterminativum , conc. min. , & nego conſequentiam. Itaque , licet gratia prędeterminans , ſi daretur , inferret infallibilitèr conſenſum , tamen quia hæc infallibilitas antecedit exercitium voluntatis creatę , ideo eius libertatem proximam deſtruit : & quando dicitur , gratiam prædeterminantem participare ab Omnipotentia , in qua eminentèr continetur , vim movendi liberum arbitrium , dicimus hoc verum eſſe cum hoc addito , ſcilicèt , quod ſimùl participet ab ipſa vim deſtruendi liberum arbitrium , quatenus ſuppoſitio exiſtentię talis gratię , ita antecedit liberum arbitrium , ut iſtud , nec directe , nec indirectè illam impedire valeat. Et, ſi dicas : Omnipotentia non poteſt communicare eidem formæ vim ſimul movendi , & deſtruendi liberum arbitrium ; diſtinguo : abſolutè , & eſt verum : ex ſuppoſitione autem , quod Deus creet talem gratiam in ordine ad movendum liberum arbitrium, falſum eſt, quod ſimúl ipſum non deſtruat.

101 Ad primam confirm. conc. antec. , & nego conſequentiam. Ratio diſcriminis eſt , quia dum voluntas elicit actum amoris , ita ſe ipſam determinat ad amorem , ut pro illo eodem ſigno , quo ſe ipſam liberè determinavit ad amorem , potuit proximè ſe ipſam liberè determinare ad oppoſitum , propterèaque ſemper reliquit poteſtatem expeditam ad odium. Undè totum impedimentum , quod habet voluntas ad ponendum odium ſemel ac amorem elicuit , eſt purè conſequens , ſimúlque voluntati à ſe ipſa libere impoſitum. Per oppoſitum ſe habet res per voluntatem à Deo prædeterminatam

ad

ad amorem; nam voluntas determinata, nec consequentèr, nec antecedentèr habet in sua potestate expedita carentiam amoris; & consequentèr semèl prędeterminata ad amorem, ad summum retinebit potestatem remotam, & impeditam ad carentiam amoris.

102 Ad urgentiam disting. mai.: ideo impotentia consequens ad ponendam carentiam amoris, &c., quia consequitur libertatem voluntatis creatę, & quia aliundè antecedenter ad productionem amoris potest voluntas in sensu compositо cuiuscumque prærequisiti non elicere amorem in eodem instanti, in quo ipsum elicuit, conc.: ideo præcisè, quia, &c., nego mai., & distinguo min.: sed impotentia consequens gratiam prædeterminantem, etiam consequitur libertatem, & aliundè ita antecedit voluntatem, ut oppositum non sit in eius potestate proxima, conc. min.: & non ita ipsam antecedit, nego min. Et dum ait argumentum, quod impotentia consequens gratiam prædeterminantem, consequitur liberam determinationem nostram, licèt non ut formalitèr habitam, benè verò ut eminentèr pręcontentam in Omnipotentia, vel vult dicere, voluntatem creatam, prout sic contentam, se ipsam determinasse ad amorem, Deumque simul cum ipsa se determinasse? Vel vult dicere, Deum priùs natura absolutè decrevisse determinationem ad amorem, nihil virtualitèr agente, aut determinante nostra libertate, prout virtualitèr contenta in Omnipotentia? Si primum: hęc est nostra sententia. Si secundum, reddeunt omnia hucusque dicta de destructione libertatis. Ad alteram confirmationem, distinguo mai.: si gratia prædeterminans relinquit in voluntate potestatem expeditam, non præjudicat, &c.; conc.: si in ipsa relinquit solam potentiam remotam, nego maiorem, & in versis terminis distinguo min.; ad cuius primam probationem nego mai.; quia gratia prædeterminans ad amorem, non solum consequentèr, sed etiam antecedentèr excludit potentiã proximam ad carentiam amoris; actus verò amoris pro instanti A, & pro eodem instanti existens, solum consequentèr excludit potentiam proximam ad oppositum sui; cum pro signo, pro quo se determinavit voluntas ad amorem, potuisset se determinare ad oppositum.

103 Ad secundam prob. minoris, conc. mai.; quia est

omninò imperceptibile, quod gratia, prædeterminans ad amorem afficiat voluntatem, & ſimul relinquat in ipſa potentiã proximã, ad conjungendã carentiam amoris cum prędeterminatione ad amorem. Et dúm dicitur in minore, quod etiam amor eſt inconjungibilis cum carentia ſui, verum dicitur; quia nemo unquam ſomniavit, voluntatem ſimul, & ſemèl amare, & non amare; quod vertitur in dubium eſt: an voluntas, inſtructa omnibus prærequiſitis ad amandum poſsit ſe determinare ad non amandum? Nos dicimus, quod ſic: & conſequentèr, voluntatem in ſenſu compoſito omnium prærequiſitorum ad amandum, poſſe proximè non amare. Prædeterminantes verò diſcurrunt per oppoſitum. Ad ultimum nego min.; quia gratia prædeterminans ad amorem, ut prædeterminans eſt, eſt prędicatum abſolutè repugnans poteſtati voluntatis ad carentiam amoris, ſemèl, ac voluntas eſt affecta tali prędeterminatione, antecedente omne exercitium ſuæ libertatis: non ſic voluntas, quę in illo eodem ſigno, in quo, præciſſa prædeterminatione, ſe ipſam determinavit ad amorem, potuit ſe ipſam determinare ad odium, ipſumque actualitèr elicere.

104 Arguitur 3.: negata gratia prędeterminante ad actum ſalutarem, Deus non haberet ſupremum dominium ſupra voluntatem creatam in ordine ad elicientiam talis actus; ſed hoc non eſt dicendum: ergo, &c. Prob. maior: dominium eſt facultas libera utendi re ſua ſine injuria alterius; ſed negata gratia prædeterminante, non eſſet in Deo facultas libera utendi voluntate noſtra in ordine ad elicientiam conſenſus ſalutaris; quia iſta negata, cooperatio noſtra eſſet à Deo expectanda: ergo, &c. Confirmatur primò: voluntas creata ratione dominij, quod habet ſupra ſuas operationes, poteſt ſe ipſam ad illas efficacitèr, & liberè applicare; ſed dominium Dei non eſt minús, quàm dominium voluntatis creatæ: ergo poteſt Deus illam efficacitèr applicare ad opus. Confirmatur ſecundò: ideò poteſt Deus efficacitèr applicarè cauſas naturales ad operandum naturalitèr, quia habet ſupremum dominium ſupra illas: ergo ſi habet idem dominium ſupra voluntatem creatam, poteſt illã efficacitèr applicare, &c. Confirmatur denique: dominium abſolutum eſt, cui reſiſti non poteſt; ſed Deus habet tale do-

dominium ſupra voluntatem noſtram, ut iſta, Deo intendenti actum ſalutarem, non poſsit reſiſtere: ergo, &c.

105 Reſpondeo negando mai. Ad probationem diſtinguo mai.: dominium eſt facultas libera utendi re ſua inſolidúm, & privativè tali, ſine injuria alterius, conc. mai.: re ſua, quæ ita eſt ſua, ut ſimul ſit alterius, nego mai. Et diſtinguo minorem: ſed negata gratia prædeterminante, non eſſet in Deo facultas libera, utendi voluntate noſtra, &c., ipſa voluntate, non conſulta, conc. min.: ipſa conſulta, nego min. Supremum Dei dominium ſupra voluntatem creatam, omneſque eius actus liberos, non ſtat in eo, quod Deus pro mero ſuo beneplacito utatur voluntate noſtra, ipſamque determinet ad operandum concurſu prævio ad noſtram cooperationem, quia ſic faciendo, operaretur contra legem illam univerſalem, à ſe ſtatutam, de ſinendis cauſis liberis liberè motus ſuos agere ſiquidem in ſenſu compoſito auxilij prædeterminantis ad conſenſum, non haberet voluntas in poteſtate ſua liberè agere libertate proxima ad utrumlibet, quæ ad meritum requiritur: unde, cum Deus decrevit, libertatem noſtram eſſe ſuam, & noſtram in ſalutaritèr operando, non poteſt jam libertate noſtra uti, quin nos ſimul natura cum ipſo ea utamur.

106 Ad prim. confirm. diſting. min.: dominium Dei non eſt, &c., & aliundè ſupremus Dominus decrevit non applicare, nec determinare voluntatem noſtram, quin ipſa ſimúl ſe applicèt, & determinet; immò ſuppoſita ipſa lege univerſali de ſinendis, &c., ſolius voluntatis creatæ eſt, ſeipſam determinare, Deo ſimul cum ipſa ſe condeterminante, conc. min.: aliundè ſupremus Dñs. non ſic decrevit, nego min. Ad confirm. ſecundam diſting. mai.: ideo poteſt Deus omnes cauſas naturales efficaciter applicare ad operandũ, quia habet ſupremum dominium ſupra illas; & quia cauſę naturales non habent principium intrinſecum efficacitèr determinativum ſui ad ſuas operationes, conc. mai.: præciſsè quia habet dominium ſupra illas, nego mai. Et diſting. conſequens: ergo, ſi habet dominium ſupra voluntatem creatam, poteſt illam efficacitèr applicare ad operationes, ſi aliundè ſupponatur, voluntatem non habere principium intrinſecum, efficacitèr determinativum ſui, conc. conſequentiam: ſi ſupponatur habe-

bere tale principium, nego conſequentiam.

107 Advertatur pro intelligentia iſtius ſolutionis quod cauſa naturalis inter alia diſtinguitur à cauſa libera in eo, quod cauſa naturalis ex ſua ratione intrinſeca eſt determinata ad unum, ejuſque determinatio eſt purè paſsiva; cum ipſa non determinet ſe ipſam ad operandum, ſed potius à Deo, ut ab Authore naturæ; effectivè, determinetur: cauſa autem libera ex ſua ratione intrinſeca eſt indeterminata, ſeu indifferens ad utramlibet partem contradictionis, eiuſque determinatio eſt totaliter activa, ita quod præſuppoſitis intellectione obiecti, debita eius propoſitione, & concurſu Dei præparato, nullius alterius indigeat cauſa libera ad ſe ipſam activè determinandam ad opus: immò ex conceptu cauſæ liberè eſſentialiter petit habere huiuſmodi virtutem activam ad tollendam eius determinationem. Quarè, licèt Deus habeat ſupremum dominium ſupra omnes cauſas, tàm naturales, quam liberas, cauſaſque naturales effectivè determinet ad ſuas operationes, non ideo eas ſic determinat, quia ſupra ipſas habet dominium, ſed quia tales cauſæ ſunt determinatæ ad unum ex ſua natura, earumque determinatio eſt purè paſsiva modo dicto: & cum oppoſitum accidat in cauſis liberis, inde eſt, dominium Dei ſupra illas nihil conducere ad hoc, ut Deus illas efficaciter applicet ad operandum; quia ipſæ applicant ſe, & determinant, & conſequenter Deus defacto tenetur ſe ipſum atemperare connaturali modo operandi earum.

108 Ad ultimam confirm. diſting. mai.: dominium abſolutum Domini, agentis ex plenitudine poteſtatis, eſt, &c., conc. mai.: agentis modo connaturali, & connaturaliter exigito à cauſa libera, eſt, cui reſiſti non poteſt, ſubdiſting.: conſequenter, conc. mai.: antecedenter, nego mai. Et diſtinguo min.: Deus habet tale dominium ſupra voluntatem noſtram, ut iſta abſolutè Deo intendenti conſenſum noſtrum liberum reſiſtere nequeat, & aliundè tunc caſus talis conſenſus non eſſet electivè noſter, aut eſſet nobis liber, nego minorem. Solutio clara eſt; nam caſu, quo Deus de plenitudine ſuæ poteſtatis decerneret, uti noſtra voluntate ad productionem actus, nullo habito reſpectu ad noſtram libertatem, planè talis actus eſtò eſſet liber reſpectu Dei, poſſet-

que

que dici noſter effectivè, nunquam tamen poſſet dici noſter electivè; & conſequenter non eſſet nobis liber; quia ad libertatem eſſentialiter requiritur electio in agente.

109 Arguitur 4.: ideo non admittitur gratia ex ſe, & ab intrinſeco efficax, quia tollit poteſtatem ad oppoſitum; ſed hanc non tollit: ergo. Prob. minor: ideò gratia ab intrinſeco efficax ad amorem, tolleret libertatem ad oppoſitum, quia eſt ſuppoſitio antecedens, quam voluntas creata nequit à ſe excutere, neque cum carentia amoris componere; ſed huiuſmodi ſuppoſitio in tali gratia non tollit libertatem ad oppoſitum: ergo, &c. Prob. minor ab Adverſarijs aliquibus exemplis. Eſt primum: Chriſtum Dominum eſſe ſimpliciter impeccabilem, fuiſſeque obligatum præcepto moriendi, erat quædam ſuppoſitio antecedens, quam Chriſtus, nec poterat auferre, nec cum carentia adimpletionis præcepti componere; ſed nihilominus Chriſtus Dominus potuit non adimplere præceptum moriendi, nec mortem acceptare: ergo ſuppoſitio antecedens, &c. Maior quoad utramque partem probatur: in primis, Chriſtum fuiſſe impeccabilem, conveniebat ipſi ex perſonalitate Verbi, & antecedenter ad omnem determinationem ſuæ voluntatis humanæ; ſed aliunde obligatio ſubeundi mortem non pendebat ex libera acceptatione ſuæ voluntatis, ſed eam abſolutè antecedit; alioquin voluntas humana Chriſti poſſet fruſtrare voluntatem abſolutam Patris, quod eſt impoſſibile: ergo Chriſtum, &c.

110 Eſt ſecundum exemplum donum confirmationis in gratia, quod quidem eſt ſuppoſitio antecedens, quam confirmatus non poteſt auferre, nec cum carentia adimpletionis præceptorum componere; ſed nihilominus tale donum non aufert à confirmatis in gratia poteſtatem ad oppoſitum: ergo, &c. Minor conſtat; quia confirmati in gratia libere, & meritoriè adimplent præcepta; ſed libertas non ſtat abſque poteſtate ad oppoſitum: ergo, &c. Tertium exemplum eſt: Spiritum Sanctum ſpecialiter aſſiſtere Scriptoribus Sacris in ſcribendo, & Summi Pontificibus in diffiniendis rebus fidei, eſt quædam antecedens ſuppoſitio, quam ipſi non poſſunt impedire, nec componere cum carentia actus ſcribendi, & definiendi, quando, & ubi neceſſarium eſt ad bonum Eccleſiæ; ſed nihilominus Scriptores Sacri, & Summi Pontifices habent

bent poteſtatem ad non ſcribendum, & definiendum; alioquin Sacri Scriptores, & Summi Pontifices non haberent meritum in huiuſmodi actibus: ergo, &c.

111 Reſp. ad argum. negando prim., & ſecundam min., ad cujus prim. probationem, reſpondeo tranſmittendo illud de impeccabilitate Chriſti ad Materiam de Incarnatione, advertendo tamen pro nunc ſupponi ibi unum falſum, ſcilicèt, Chriſtum reddi formaliter impeccabilem per Verbi perſonalitatem; quia nec per iſtam, nec per unionem hypoſtaticam, nec per aliquod prędicatum divinum redditur Chriſtus formaliter impeccabilis, ſed per ſpecialem Dei manutenentiam, conſecutam ad ſtatum beatitudinis, quo gaudebat. Reſp., inquàm, hoc tranſmittendo, diſtinguendo mai.: Chriſtum Dominum fuiſſe alligatum præcepto moriendi, erat quædam ſuppoſitio antecedens, quam non poterat auferre potentia conſequenti, conc.; non poterat auferre potentia antecedenti, nego maiorem: ad cujus prob. nego abſolutè min.; quia Chriſtus ita acceptavit præceptum moriendi, quod poterat illud non acceptaſſe, juxta illud Iſai. 33. *oblatus eſt, quia ipſe voluit.*

112 Quod, ut meliùs intelligatur advertere oportet Chriſtum Dominum pro illo ſigno, pro quo liberè determinavit acceptare mortem, potuiſſe liberè non acceptare illam, ut teſtatur ipſe Ioann. 10.: *nemo tollit animam meam à me, ſed ego pono eam à me ipſo.* Et Paul. ad Hæbreos 12.: *propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem.* Unde Anſelmus lib. 1.: cur Deus homo? capite 19. ait: *Chriſtus vitam ſuam æternalitèr potuit ſervare, & ſuum eſſe, pati, aut non pati.* Ex his claret Chriſto datam fuiſſe optionem eligendi vitam, vel paſsibilem, vel impaſsilem: & conſequenter inter ipſum, & Patrem interveniſſe pactum, in quo Pater ipſi promiſsit, quod, ſi vellet mori pro peccato, & crucem ſubire, ſe daturum eſſe ei ſemen longevum, & exaltationem ſui nominis, juxta illud Iſai.: *ſi poſuerit animam ſuam pro peccato, videbit ſemen longevum.* Unde ex vi huius pacti, quod Chriſtus admiſsit, obligatus remanſit ad ſubeundam mortem. Hujuſmodi pactum interceſiſſe inter utrumque uullus Theologorum negare poteſt, & ſanè contrarium eſſet irrationabile; nam, cum gloria animę Chriſti ſuerit connaturalitèr debita ſuo

cor-

corpori, quę, ſi communicaretur, redderet ipſum impaſsibilem, non erat decens, ut ei negaretur talis gloria, independenter à ſua voluntate. Ex quibus conſtat, ſuppoſitionem acceptandi mortem fuiſſe Chriſto antecedentèr liberam.

113 Ad exemplum doni confirmationis in gratia nego mai. Primò, quia, ſi confirmatus in gratia non poſſet auferre donum confirmationis liberè peccando, ſequeretur ipſum eſſe ęquè impeccabilem, ſaltem quoad mortalia, ac beatos in Patria, quod ſanè videtur inconveniens. Secundo: quia ſi aliquod donum fuiſſet collatum, confirmatis in gratia, quo aliter quàm per donum perſeverantiæ fierent impeccabiles, non eſſet neceſſarium, ut confirmati in gratia, particularem ullam diligentiam adhiberent ad non peccandum, quod non quadrat Apoſtolo, qui ſi quis alius confirmatus fuit in gratia, ipſe procul dubiò fuit ex eorum numero, & nihilominus corpus ſuum caſtigabat, & in ſervitutem reddigebat, ne reprobus fieret, ut ipſe de ſe teſtatur 1. ad Corint. 9.

114 Quapropter dicendum eſt, donum confirmationis, non aliter confirmatos reddere impeccabiles, ac donum perſeverantię; nam diſcrimen, quod nonnulli ſtatuunt inter utrumque donum, vel conſiſtit in eo, quod donum confirmationis ſupponat revelationem, factam confirmato, media qua fit ſecurus de ſua perſeverantia finali, ut aliqui volunt: vel in eo, quod donum confirmationis detur ſecundùm ſe totum ſimúl; donum verò perſeverantiæ tantum ſucceſsivè pro oportunitate temporis, in quo adeſt periculum peccandi, quorum utrumque eſt valdè incertum. Primum ſanè incertum eſt; quia, ſi aliquis habuiſſet revelationem, & ſecuritatem, maximè Paulus, qui tamen non videtur eam habuiſſe; nam ſi habuiſſet, non eſſet unde corpus ſuum caſtigaret, & in ſervitutem reddigeret, ne reprobus fieret. Secundum videtur minús certum; quia, ſi daretur donum confirmationis ſecundum ſe totum ſimul, neceſſario eſſet quid permanens, & conſequentèr, vel actus, vel habitus, non actus, quia nec intellectus, nec voluntas in aliquo uno actu longo tempore remanet; nec habitus, quia, ſi habitus eſſet, non ſufficeret ad ſalutaritèr operandum; cum ad opus ſalutare, neceſſariò requiratur gratia actualis.

115 Immò Auguſt. de Correctione, & gratia, cap. 11. &

& 12. pro eodem uſurpat donum perſeverantię, ac donum confirmatis in gratia, dicens, *Apoſtolos habuiſſe donum perſeverantię, ſeu confirmationis in gratia.* Sed demus gratis, utrumque donum ita accidentaliter differre, ut donum perſeverantiæ ſit quid commune omnibus prędeſtinatis, donum vero confirmationis eſſe ſpecialem quendam favorem communicatum quibuſdam eximiè Sanctis, ut B. V. Mariæ, & Apoſtolis. Demus ulterius, donum confirmationis ita ſupperaddere perſeverantiæ ſingularem quandam præſtantiam, & gratiarum copiam, quod, licet confirmati poſſint venialiter peccare, nunquam tamen mortaliter, quatenus per illam gratiarum copiam, & ſi graviores ſint pugnæ, ſuaviores tamen, & certiores redduntur victorię. Demus, inquàm, totum hoc, & adhuc ſtat falſitas maioris; quia, licet confirmatus in gratia non poſsit conſequenter auferre huiuſmodi ſuppoſitionem, benè vero poteſt potentia antecedenti.

116 Ex quibus diſtinguo illam mai.: donum confirmationis in gratia eſt quædam ſuppoſitio antecedens, quam confirmatus non poteſt à ſe auferre potentia conſequenti, concedo: potentia antecedenti, nego mai. Eiſdem terminis diſtinguo min., & nego conſequentiam. Tam donum perſeverantię, quam donum confirmationis in gratia, aliqualiter cadunt ſub merito de congruo, quatenus eſt in poteſtate voluntatis, adjutæ auxilio Dei, ſupplicitèr exorare perſeverantiam, quæ, etſi orationibus impetretur à Deo, ſemper tamen erit donum Dei: unde à Deo motus, & excitatus ad impetrandā miſericorditèr perſeverantiam, ſi noluerit cooperari, ut poteſt, tale beneficium non recipiet, & ſic erit ei antecedentèr liberum illud recipere, vel non recipere. Quod tale beneficium cadat ſub merito de congruo patet: tum ex Concil. Trid. ſeſſ. 6. cap. 13. dicente: *in Dei auxilio firmiſſimam collocare, & reponere ſpem omnes debent; Deus enim niſi illi ipſi gratię defuerint, ſicut cępit opus bonum, ita perficiet.* Tum ex Auguſt. de dono perſeverantiæ dicente: *poterat nobis dari,* (ſuplè donum perſeverantię) *ſed oratione noſtra voluit nos admoneri, à quo accipiamus hęc beneficia*; ſed quę orantibus dantur ex merito de congruo dantur: ergo donum perſeverantię aliqualiter cadit ſub merito de congruo; ſed eadem eſt ratio de dono confir-

ma-

mationis; cum talia dona, ſaltèm eſſentialitèr, non diſtinguantur: ergo & donum confirmationis in gratia etiam poteſt de congruo promereri.

117 Ad ultimum exemplum diſting. mai.: Spiritum Sanctum ſpecialitèr aſsiſtere Canonicis Scriptoribus in ſcribendo, & Summis Pontificibus in definiendis rebus fidei, eſt ſuppoſitio antecedens, quam ipſi non poſſunt impedire, nec componere cum carentia actus ſcribendi, vel definiendi, & aliundè tam Scriptores Sacri, quàm Summi Pontifices ſunt cauſę purè inſtrumentales, quibus nullùs competit influxus activus, nec totalis, nec partialis in Scripturam, aut definitionem fidei, præciſè quatenùs Scriptura, aut definitio fidei eſt, conc. mai.: & aliundè non ſunt cauſæ, purè inſtrumentales, ſed potiùs efficientes, quibus competit aliquis influxus activus in Scripturam divinam, aut definitionem fidei, præciſe quatenùs eſt talis Scriptura, aut talis definitio, nego maiorem. Et diſtinguo min.: ſed nihilominùs Scriptores Sacri, & Pontifices Summi habent poteſtatem ad non ſcribendum, vel definiendum, aliquando, conc.: ſemper, ſubdiſtinguo: habent ſemper poteſtatem phyſicam, conc.: ſemper poteſtatem moralem, iterum ſubdiſtinguo: quoad eſſe materiale vocuum, ommito min.; quoad eſſe formale earum, hoc eſt, quoad ſenſum, & ſignificationem, intentumque Spiritus Sancti, nego min.; cuius probat. imbibitam diſtinguo: non haberent meritum in hujuſmodi actibus, quia tales ſunt præciſè, conc.: non haberent meritum in ipſis, ſi alias operationes liberas, & ſupernaturales ex divina gratia procedentes, prædictis actibus adjunxiſſent, nego.

118 Igitur Scriptores, Sacri nullam virtutem, nec quidem inchoatam, habent ad ſcribendam Sacram Hiſtoriam, ſed tantum potentiam purè obedientialem, ut à Deo aſſumantur, tanquàm inſtrumenta medijs quibus ſuam mentem manifeſtat hominibus: unde ſolus Deus eſt cauſa totalis efficiens totalitate cauſæ, & totalitate effectus Sacrę Scripturę: ipſe namque, inquit Greg. Magnus Præfatione in librum Iob: *eas Scripturas, id eſt, divinas litteras, qui has ſcribendas dictavit, ipſe ſcripſit, qui & illius operis inſpirator ſtitit; non enim, inquit Divus Petrus Epiſt. 2. cap. 2.; voluntate humana allata eſt aliquando prophecia, ſed Spiritu Sancto inſpi-*

pirati locuti ſunt Sancti Dei homines. Quarè, ſicut Magiſter tribus modis ſolet inſtruere diſcipulos, vel in eorum mentem inducendo, vel per oculos illis demonſtrando id, quod ſcribi vult, per aures ſuum ſenſum, conceptis verbis, diſtinctè declarando, aut per manus, ducendo, & regendo calamum, & manum Scribentis; ita etiam Deus his tribus modis, ſed incomparabilitèr præſtantius aſſiſtit Scriptoribus Sacris, tanquàm ſuis Amanuenſibus, vel in eorum mentem inducendo per ſenſus exteriores ea, quæ ſcribi vult, ut cum Moyſi dictavit Decalogum miniſterio Angeli: vel per ſenſus interiores obijciendo eis nova phantaſmata, quæ rem, Scriptis mandandam, repræſentant: vel immediatè, eorum mentes illuminando, ſemperque eorum manibus aſsiſtendo, quas, ita ſpecialitèr regit, ut nec rem pro re, nec verbum pro verbulo, nec litteram pro littera conſcribant.

119 Omnia hæc ſunt adeò clara, ut non detur dubitandi locus. Dubium ergo eſt: an Scriptores Canonici in huiuſmodi actionibus, quibus à Deo manuducuntur, mereantur? Pro quo adverte, quod ad rationem meriti, ſivè de congruo, ſivè de condigno, ultrà auxilium ſupernaturale excitans, neceſſariò requiritur aliquis influxus activus ex parte merentis in opus, quod meritorium eſt. Unde, cum Scriptores Sacri nullum talem influxum habeant in Script. Sacram, quæ effectivè à ſolo Deo eſt, indè ſequitur, ipſos in huiuſmodi actionibus præciſè qua tales actiones ſunt, nihil meriti habere, & conſequentèr eſſe cauſas purè inſtrumentales. Dixi *præciſè qua tales actiones ſunt*, quia, ſi tales Scriptores Deo agerent gratias, eo quod ipſis, tanquam inſtrumentis utatur, hæc gratiarum actio meritoria poſſet eſſe, non tamen ipſum opus ſcribendi.

120 Nec obſtat, Scriptores Sacros eſſe perſonas, Deo gratas, quia ſanctitas per ſe non requiritur ad eſſe Sacrum Scriptorem. Undè ſanctitas perſonalis purè per accidens ſe habet reſpectu perſonæ, canonicè ſcribentis. Per hoc patet ad paritatem de Summo Pontifice in definiendis rebus fidei, in quo negotio ſe habet ut purum inſtrumentum, mediante quo Deus definitivè loquitur; propterèaque *organum Spiritus Sancti* appellatur: ideò ex quo præciſè definiat, nihil omnino meretur, aliqui meritum eſſet neceſſario conexum cum actu de-

definiendi, quod non eſt dicendum; cum Papa deffiniens poſsit exiſtere in mortali uno, vel pluribus, quin ſtatus peccari opponatur valori definitionis; nam talis valor non dependet à perſona, ſed ab officio, perſonæ annexo, ut omnes fatentur.

121 Arguitur 5.: nam aliqui eximiè converſi videntur habuiſſe gratiam irreſiſtibilem, & conſequenter prædeterminantem: ergo, &c. Reſp. negando antec.; nam ſi talis gratia fuiſſet alicui conceſſa, maximè Div. Paulo in ſua converſione, cui tamen conceſſa non fuit, ut patet ex eo, quod gratiæ, ſibi collatæ, potuit reſiſtere, ſi voluiſſet, ut docet Div. Anſelm., exponens illud Orationis Dominicæ: *fiat voluntas tua*, dicens: *in Paulo videtur cogi voluntas, ſed non eſt, quia tamen voluntas fuit libera, & ei reſiſteret, ſi vellet.* Quod, ſi Deus alicui daret talem gratiam, cui in ſenſu compoſito non poſſet reſiſtere, tunc dicendum eſſet, actum provenientem à tali gratia, non poſſe eſſe meritorium ſecundum regulas iſtius providentiæ, in qua requiritur ad meritum, quod potentia in ſenſu compoſito omnium requiſitorum ad operandum ſit proximè potens, & indifferens ad utrumlibet extremum contradictionis. Pro reliquis huius quæſt. argumentis, tam ab authoritate Doctoris Subt., quam à ratione, & pro eorum ſolutione, oportet recolere, quæ manent dicta in Tract. de Intellectu divino Diſp. 5. quæſt. 2., & ſequentibus.

QUÆST. QUINTA.

An efficatia gratiæ deſſumenda ſit à decreto phyſicè prædeterminante, præſupponente propenſionem liberam voluntatis creatæ?

122 PRæſenti controverſiæ occaſionem dedit Noſter Hernandez de la Torre, qui, volens inter ſe concordare Thomiſtas, & Jeſuitas, amplectitur utramque opinionem, tam Thomiſtarum, propugnantium, decretum phyſicè prædeterminans, quam Ieſuitarum, eo ipſo, quod aſſerat, decretum prædeterminativum erga conſenſum ſalutarem, regulari per ſcientiam de propenſione voluntatis creatæ in actu primo circa talem conſenſum: & ſanè mirum eſt, quod ex duabus opinionibus capitalibus, & ex diametro inter ſe oppoſitis, fabricetur una opinio, quod videtur æquè difficile, ac impoſsibile, non minùs, quàm educere aliquàm en-

entitatem tertiam ex frigore, & calore, utraque qualitate in ſuo eſſe remanente. Sententia huius Authoris alios non habuit ſequaces, ait Bernique, niſi quoſdam juvenes Aragonię, qui, ut obſequium præſtarent Authori, qui tunc tenebat clavum regiminis, ipſum in manuſcriptis ſecuti ſunt.

123 Et antequàm ulterius progrediamur, eſt ſupponendum primo, hunc Authorem inconſequenter procedere, dum poſt propenſionem liberam, per quam voluntas, juxta hanc ſententiam, determinatur, in ſigno ſecundo actus primi admittit decretum prędeterminans. Eſt ratio; quia, ſi talis propenſio libera, determinans voluntatem, prędecedit decretum, ut re verà præcedit, iuxta ipſum, eſto tale decretum poſsit dici præefficies actum ſecundum, minimè verò ipſum prędeterminans, cum iam voluntas ſupponatur determinata, & taliter quidem, quod, in hac opinione, neceſſariò poſitura ſit, quantum eſt ex ſe, actum ſecundum; & conſequenter, non Deus prædeterminabit actum ſecundum, ſed potiùs ipſa voluntas creata prædeterminabit Deum ad ponendum decretum; & ſic ipſa voluntas erit una cauſa electiva, & determinativa ſui actus.

124 Supponendum eſt ſecundo, quod hic Author, etſi renuat admittere ſcientiam mediam, in rei veritate eam negare non poteſt; quod pluribus rationibus oſtendi poſſet. Primò ſic: ſcientia, qua Deus cognoſcit hanc propenſionem liberam, ut futuram, cum præcedat omne decretum actuale non eſt ſcientia viſionis, ieú liberas; aliunde non eſt ſcientia naturalis, aut neceſſaria, cum ſcientia Dei de propenſione libera poſsit ei deficere, quod ſcientiæ naturali repugnat: ergo ſcientia talis propenſionis eſt libera. Nunc ſic: ſcientia, quæ unicè eſt libera creaturæ, non autem Deo, eſt proprie ſcientia media; ſed ſcientia de propenſione libera voluntatis in unum actum, præ alio, non eſt libera Deo, cum præcedat, juxta iſtam ſententiam, omne exercitium liberum Dei, eſt tamen libera voluntati creatæ, quia hæc præciſsè illa determinat, eamque poteſt impedire.

125 Nec valet dicere cum præfato Authore, ſcientiam de propenſione libera non eſſe mediam, eo quod non detur decretum indifferens, quod eſt præcipuum fundamentum ſcientię mediæ. Non valet, inquam, quia ſcientia Dei non à decreto, ſed ab ob-

jec-

jecto ſumit denominationem quapropter à poſsibilibus, neceſſario præſuppoſitis, dicitur ſcientia in Deo naturalis, & neceſſaria, ſeu ſimplicis intelligentiæ: à rebus verò exiſtentibus, & futuris, quia liberè ponuntur, dicitur ſcientia viſionis, & libera; ſed propenſio, quę in voluntate eveniret ſub hac, vel illa cognitione, eſt objectum medium inter purè poſsibile, & futurum abſolutum: ergo ſcientia de tali objecto debet appellari media. Prob. minor.: nam ille Author duo ſigna diſtinguit in actu primo. In ſigno primo actus primi intelligitur voluntas cum omnibus comprincipijs, & auxilijs conjungibilibus cum quocumque extremo libertatis, & ipſa voluntas in tali ſigno eſt omninò indifferens, ad liberè ſe propendendum in conſenſum, vel diſſenſum. In ſecundo autèm ſigno ejuſdem actus primi oritur determinata propenſio ad unum actum, prę alio: ergo pro hoc ſecundo ſigno actus primi tales propenſiones non ſunt mere poſsibiles, ſicut in ſigno primo; ſed aliundè nec ſunt abſolutè futuræ: ergo, &c. His præmiſsis, ſit

126 Concluſio: *efficatia gratiæ non poteſt aſſumi à decreto, phyſicè determinante, ſuppo-nente propenſionem liberam voluntatis creatæ circa conſenſum ſalutarem: immò talis propenſio libera, antecedens, & regulans decretum Dei, non ſolum non eſt compatibilis cum tali decreto, verum etiam in ſe ipſa eſt prorſus implicatoria.* Concluſio tres continet partes. Quoad primam prob. primo ratione deducta ex Doct. in 1. diſt. 39. q. unica: *nam ſi efficatia gratiæ poſſet regulari per decretum, ad quod antecedit, libera propenſio voluntatis creatæ erga conſenſum ſalutarem, ante omnem actum voluntatis divinæ daretur, & intelligeretur libertas, & contingentia in rebus*; ſed hoc eſt expreſſe contra Doct. citat., docentem, primam contingentiam oportere quærere in voluntate divina: ergo eſt contra expreſſam mentem Doct., quod efficatia gratię, &c. Maior eſt certa; nam voluntas, aſſotiata auxilijs, & æquè indifferens in primo ſigno actus primi ad conſenſum, & diſſenſum, & pro ſecundo ſigno eiuſdem actus primi ipſa voluntas ſe ipſam liberè, & contingenter propendet determinatè ad conſenſum, prędiſſenſu, & hoc ante omnem actum divinæ voluntatis: ergo, &c.

127 Prob. 2. Concluſio: ſi efficatia gratiæ regularetur

per

per talem propenſionem liberam, ut prȩcedentem ad decretum Dei, non ſalvaretur in Deo ratio primæ cauſæ, & primi liberi, reſpectu conſenſus ſalutaris, ſeu hoc eſt abſurdum: ergo, &c. Prob. ſequela: nequit ſalvari in Deo ratio primæ cauſæ, & primi liberi, ſi operatur ipſe, ut prȩmotus, ſeu prædeterminatus à creatura; ſed data propenſione libera erga conſenſum ſalutarem, regulante decretũ phyſicè prædeterminans, Deus, relatè ad tale conſenſum, operatur, ut prȩmotus, ſeu prædeterminatus à creatura: ergo, &c. Maior eſt per ſe nota. Prob. minor: data prædicta propenſione, & ſi Deus de potentia abſoluta poſſet non prȩdeterminare potentiam ad actum, tamen, ut connaturaliter operans, non poteſt non prȩdeterminare illam juxta eius propenſionem: ergo Deus, ut connaturaliter operans, concurret, ut prȩmotas, & ut ſecundum liberum. Confirmatur: ſuppoſita illa propenſione, regulativa decreti, & ſi Deus moveat voluntatem ad actum ad quam eſt propenſa, ideó tamèn movet, quia ipſe movetur à propenſione voluntatis prȩviſſa: ergo prima ratio movendi, & cauſandi, connaturaliter loquendo, deſſumitur à propenſione libera creaturę: ergo Deus de facto non eſt prima cauſa, nec primum liberum.

128 Prob. 3. Concluſio: ſtante veritate opinionis contrariæ, ratio meriti, non in actu ſecundo elicito, ſed in propenſione ad ipſum deberet collocari; ſed hoc eſt falſum: ergo & opinio contraria. Prob. mai.: propenſioni liberę in actum moraliter bonum, & ſupernaturalem, nihil deficit, ut ſit meritoria: ergo, &c. Prob. antec., prȩcavendo effugium contrarię opinionis: ideo propenſioni liberæ in actum moraliter bonum, & ſupernaturalem defficeret aliquid, ut eſſet meritoria, quia pactum, neceſſario requiſitum, ad rationem meriti, non cadit ſupra propenſionem, ſed ſupra actum ipſum; ſiquidem Deus non prȩmiat propter propenſionem in opus bonum, ſed propter ipſum opus elicitum; cum ipſe non prȩcipiat, quod propendamus in bonum, ſed quod bonum agamus; ſed data propenſione libera in actum moraliter bonum, & ſupernaturalem, ratio meriti, & pacti de tribuendo prȩmio rationabiliùs debet collocari in propenſione libera, quam in ipſo actu: ergo, &c. Prob. min.: ratio meriti, & pacti de re-

tetribuendo prȩmio rationabilius debet collocari ibi, ubi, ſuppoſita pugna, datur victoria; ſed ſuppoſita tentatione, impellente voluntatem in primo ſigno actus primi indifferentem ad bonum, & malum, & pro ſecundo ſigno eiuſdem actus primi, poſita propenſione libera ad bonum, jam libertas decantat victoriam: ergo, &c. Minor patet: quia ſuppoſita propenſione libera in bonum, præ malo, omnia, quæ reſtant uſque ad elicientiam actus inclusivè, ſunt neceſſaria conſequentèr, & libera tantum in cauſa, id eſt, in propenſione.

129 Prob. iam Concluſio quoad ſecundam part., ſcilicèt, quod talis propenſio, antecedens decretum, phyſicè prȩdeterminans, non ſit compatibilis cum tali decreto. Prob., inquàm, ſic: potentia libera in conſenſum, antecedens decretum phyſicè prȩdeterminans, reddit tale decretum omninò ocioſum, & inutile: ergo, &c. Conſeq. patet; quia, ſi compatibilis eſſet, non redderet decretum, nec ocioſum, nec inutile. Prob. antec.: quȩlibet res cenſetur omnino ocioſa, & inutilis, quando ſemper, & in omni eventu non poteſt non carere ſuo effectu; ſed ſuppoſita libera voluntatis propenſione pro priori ad decretum, tale decretum ſemper, & in omni eventu non poteſt non carere ſuo effectu: ergo, &c. Maior eſt per ſe nota. Prob. min.: effectus decreti, phyſicè prædeterminantis ſemper, & in omni eventu eſt prædeterminare voluntatem v.g.; ad eligendum conſenſum prȩ diſſenſu; ſed ſuppoſita in voluntate propenſione libera ad conſenſum, antecedente decretum prædeterminativum, tale decretum in nullo eventu prædeterminaret voluntatem ad conſenſum prȩ diſſenſu, ergo, &c.

130 Prob. min.: ad hoc, ut tale decretum prȩdeterminaret voluntatem ad conſenſum, præ diſſenſu, erat omninò indiſpenſabiliter neceſſarium, voluntatem ex ſe, & ex ſua natura fore indifferentem, ad elicientiam, tam conſenſus, quàm diſſenſus; ſed, ſuppoſita dicta propenſione libera ad conſenſum prȩ diſſenſu antecedentèr ad decretum, phyſicè prȩdeterminans, voluntas, ex ſe, & ex natura ſua non eſſet indifferens ad elicientiam, tàm conſenſus, quàm diſſenſus: ergo, Maior eſt certa; quia eſt implicatorium in terminis, quod decretum ſit prædeterminativum voluntatis ad actum, & quod præciſivè

à tali decreto, ipſa voluntas non ſit indifferens, tàm ad actum, quàm ad carentiam actus. Prob. min.: voluntas ex ſe, & ex natura ſua non eſt, nec intelligitur indifferens ad elicientiam, tàm conſenſus, quàm diſſenſus pro illo ſigno, pro quo ex ſe, & ex natura ſua intelligitur ita determinata ad elicientiã conſenſus, quod neceſſario, & indiſpenſabiliter conſenſus ponendus ſit in actu ſecundo; ſed pro illo ſecundo ſigno actus primi, in quo, ſecundum opinionem contrariam, ſtat in voluntate, antecedenter ad decretum prædeterminans propenſio libera in conſenſum, præ diſſenſu, jam voluntas eſt ex ſe determinata ad elicientiam conſenſus; ita quod iſte naturaliter indiſpenſabiliter ponendus ſit: ergo, &c. Prob. minor: tunc conſenſus cenſetur neceſſario ponendus, quando ex non poſitione ejus voluntati fieret violentia; ſed poſita propenſione libera in voluntate, iſti fieret violentia, ſi non poneretur conſenſus in actu ſecundo, ut fatetur opinio contraria: ergo, &c.

131 Prob. Concluſio quoad 3. partem: hæc propenſio libera eſt vitalis, vel non? Sed quodcumque dicatur, talis propenſio eſt implicatoria: ergo, &c. Prob. min.: ſi talis propenſio eſt vitalis, voluntas actualiter vivit per actualem propenſionem ad conſenſum, potens antecedenter vivere per propenſionem contrariam; ſed implicat in terminis, voluntatem actualiter vivere per propenſionem actualem, & quod talis propenſio pertineat ad actum primum; cùm actualiter vivere potentiæ, non habeatur, niſi per actum ſecundum: ergo talis propenſio libera, ſi vitalis eſt, eſt prorsùs implicatoria. Deinde: ſi talis propenſio non eſt vitalis, non poteſt dici, abſque manifeſta implicatione, quod ſit formaliter, & poſitivè libera; cum repugnet libertas, formaliter, & poſitivè talis, abſque vitalitate; ſed talis propenſio, juxta ſuos Patronos, eſt formaliter, & poſitivè libera: ergo vel eſt vitalis, vel eſt implicatoria in terminis; ſed ſi eſt vitalis, pertinet, ut iam diximus, non ad actum ſecundum, ſed ad primum: ergo quocumque modo ſumatur eſt implicatoria.

132 Prob. 2. Concluſio quoad eandem partem: ſi daretur talis propenſio libera in rerum natura, daretur aliqua vera entitas, reſpectu cuius nulla eſſet aſſignabilis cauſa, nec mediate, nec immediatè influens; ſed hoc eſt prorsùs implicatorium: ergo, &c. Minor pa-

patet : nam , quæ habent eſſe per veram efficientiam habent cauſam immediatam ſui ; quæ vero habent eſſe per emanationem , habent cauſam mediatam ; v. g. quia homo , & anima habent eſſe per veram efficientiam , habent cauſas immediatè productivas ſui ; riſibilitas vero reſpectu hominis, & potentiæ reſpectu animę, quia habent eſſe per reſultantiam , ſolum habent cauſas mediatè productivas ſui. Maior verò prob. : ſi eſſet aſsignabilis aliqua talis cauſa, vel eſſet Deus vel creatura , ſcilicèt , voluntas creata ; ſed , nec Deus, nec creatura poſſunt aſsignari tales cauſæ : ergo , &c. Prob. min. quoad prim. part. : quamvis Deus ſit cauſa immediata voluntatis , & reliquorum principiorum , tamen , ut diceretur cauſa mediata talis propenſionis , neceſſarium erat, quod talis propenſio reſultaret naturaliter ; ſed non naturaliter , ſed prorſus liberè , ajunt Contrarij , reſultat talis propenſio : ergo , &c. Prob. min. quoad ſecund. part. : ut voluntas eſſet cauſa immediata , aut mediata talis propenſionis, deberet habere aliquam actionem, ſivè productivam , ſivè adductivam erga eam ; ſed antecedenter ad propenſionem nullam habet actionem voluntas , cum in illo priori , nec vellit, nec efficiat , nec determinet : ergo, &c.

133 Arguitur 1. ex Auguſt. lib. de Correctione , & gratia cap. 12. ubi loquendo de elevatione Saulis ad Thronum , ait : *erat in poteſtate Iſraelitarum ſubdere ſe memorato viro , ſive non ſubdere , quod utique in eorum erat poſitum voluntate , ut etiam valerent reſiſtere , quia tamen hoc non fecit , niſi per ipſorum hominum voluntates , ſine dubio habens humanorum cordium , quo placeret , inclinandorum Omnipotentiſsimam voluntatem.* Hoc eſt, ait Adverſarius, habet Deus in ſua Omnipotentia tot , & tam alectiva auxilia , quibus poſsit inclinare voluntatem , ſi ei placuerit , quod licet cum talibus auxilijs ita liberè inclinentur voluntates , ut poſsint reſiſtere , ſi vellint , magis tamen erit in poteſtate Dei , tribuentis auxilia inclinare voluntates hominum , quam in ipſiſmet hominibus eo quod ſine auxilijs nequeant ſe inclinare voluntates , & cum aliquibus inclinantur , cum alijs verò non inclinantur : & cum auxilium unicè ſit in poteſtate Dei , ideò aſſeritur ab Auguſt., quod Deus habet Omnipotentiſsimam voluntatem inclinandorum , &c.: ergo propenſio li-

bera præviſſa ante decretum eſt de mente Auguſtini.

134 Reſpondeo negando conſequentiam; nam juxta Auguſt. hic, & ſæpè alibi talis propenſio libera non denotatur in eius verbis, ſed unicè denotatur ipſemet actus ſecundus voluntatis, ut conſtat ex eius verbis: *voluntatibus eorum, quas ipſe in illis operatus eſt traxit*, id eſt, Iſraelitas exiſtentes traxit voluntatibus eorum Deus, hoc eſt, operationibus liberis eorum, quas ipſe in illis operatus eſt, vel antecedentèr, ſeu prædeterminativè, ut volunt Thomiſtę, vèl purè concomitantèr, ut nos tenemus. Et quidem eſt modus loquendi ſatis frequens in Auguſt., ut per hunc terminum *voluntas* ſignificetur actus ſecundus voluntatis; ut in illis verbis: *nihil magis in poteſtate noſtra, quam ipſa voluntas*; ubi ly *noſtra voluntas* non poteſt alitèr intelligi, quam pro volitione.

135 Ex quibus conſtat, verba Auguſt. adducta minimè poſſe adaptari propenſioni liberæ contrariæ ſententiæ, cum ſemper aſſerat, Deum magis habere in poteſtate ſua voluntates noſtras, quam nos metipſi, quod eſſet falſum, ſi dictum Auguſt. intelligeretur de propenſione libera in ſecundo ſigno actus primi; nam Deus reſpectu talis propenſionis nullum immediatum dominium habet, cum Deo in tantum tribuatur talis propenſio, in quantum ipſe liberè ponit principium indifferens, ſcilicèt auxilium, & indifferenter conjungibile cum quocumque extremo libertatis, ſolumque determinabile per voluntatem noſtram, à qua unicè provenit, tam electivè, quàm determinativè, quod talis propenſio liberè emanet; & ſic huiuſmodi propenſio erit magis in poteſtate noſtra, quàm Dei, quod directè militat contra Auguſt. citat.

136 Arguit. 2. ex eodem Auguſt. lib. 2. ad Simplitianum, ubi ait: *eum cuius miſeretur, ſic vocat, quomodo ſcit, ei congruere, ut vocantem non reſpuat*; ſed hoc nequit Deus cognoſcere niſi præcognoſcendo illam propenſionem liberam, ne libertati noceat: ergo datur talis propenſio libera. Sicut præcedens Auguſt. authoritas eſt unum ex fundamentis pro decreto, aut prędeterminativo Thomiſtarum, aut concomitanti noſtro, ita & prędens authoritas eiuſdem Auguſt. eſt unum ex fundamentis pro ſcientia media. Unde neſcio, quo jure ab Adverſario adducatur pro ſua opinione, compoſita ex Thomiſtica, & Ieſuitica. In for-

forma ergo nego min. ; nam per illa verba Auguſt. ſolum ſignificatur decretum comitans, quia, Deum vocare eum, quomodò ſcit ei congruere, ut vocantem non reſpuat, idem eſt, ac vocare eum ſub illo auxilio, & occaſione, ſub quibus factum eſt decretum condeterminans de eo, quod vocatus non reſpueret vocationem ex eo, quod ſic debebat fieri tale decretum ſecundum continentiam libertatis noſtræ, & modi noſtri liberi agendi ſub illo auxilio, & circunſtantijs.

137 Arguit. 3.: ante omne decretum, tam abſolutum, quam conditionatum ex parte actus, cognoſcit Deus per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ quidquid cognoſcibile eſt independenter ab omni decreto; ſed ante omne decretum abſolutum, & conditionatum ex parte actus ſunt cognoſcibiles per ſcientiam neceſſariam omnes voluntates ſub quibuſcumque auxilijs, occaſionibus, & conditionibus: ergo hæc omnia cognoſcit Deus ante omne decretum: ergò Deus cognovit, Div. Petrum v.g.; in occaſione, & ſub circunſtantijs, in quibus ab eo negatus eſt Chriſtus. Nunc ſic; ſed ante omne decretum, etiam conditionatum, ex parte actus, Deus cognovit per ſcientiam ſimplicis intelligentię voluntatem Div. Petri eſſe liberè propenſam ad negandum, & non ad confitendum Chriſtum; taliter, quod attenta ſua libertate, & quatenùs eſt ex parte ſui illum negabit: ergo datur talis propenſio ante omne decretum. Prob. ſubſumpta: quælibet cauſa in actu primo diſpoſita, in ſequenti ſigno immediato ante actum ſecundum habet propenſionem ad producendum effectum, quem poſtea producit in actu ſecundo; ſed abſque omni decreto ex parte Dei, ad actum ſecundum pertinente, quævis cauſa creata eſt diſpoſita in actu primo: ergo independenter ab omni decreto, eſt propenſa in actu primo ad effectum, quem producit in actu ſecundo: ergo cognita tali propenſione, Deus prædeterminat effectum, ad quem eſt propenſio.

138 Reſp., conceſsis præmiſsis, cum prima, & ſecunda conſequentia, negando ſubſumptam. Ad cuius prob. diſtinguo mai.: quælibet cauſa, in actu primo diſpoſita, habet propenſionem innatam, ſecumque realiter identificatam ad effectum, quem producit poſtea, conc.: habet propenſionem elicitam, vel quaſi elicitam, realiterque diſtinctam ab ipſa cauſa, nego mai.: &

omiſ-

omissa min. ; distinguo consequens : ergo causa independenter ab omni decreto , est propensa in actu primo , propensione innata , realiterque cum ipsa identificata, conc. conseq. : propensione quomodocumque elicita , libera , & realiter distincta ab ipsa entitate causę , nego consequentiam.

139 Unde dicimus, quod, licet Deus per scientiam simplicis intelligentiæ cognoscat antecedenter ad omne decretum in statu possibilitatis Div. Petrum in occasione , & circunstantijs possibilibus , ex quibus postea ex ordine decretorum factus existens , ipse pro sua libertate negabit , tamen tunc , & pro tunc nihil amplius cognovit Deus , nec potuit determinatè cognoscere, nisi Div. Petrum possibilem , occasionem possibilem , auxilia possibilia, & utramque propensionem ad negationem , & confessionem esse possibilem, dato,& non concesso , quod talis propensio ullo modo esset possibilis ; siquidem manifeste implicat , propensionem Petri in negationem Christi esse liberam contingenter, & evitabilem à Divo Petro , & simul cognosci à Deo per scientiam simplicis intelligentiæ, quę est ipsi Deo absolutè necessaria , & ab ipso sine ulla contingentia inevitabilis, quando quidem objectum talis scientiæ est omnino necessarium,& indeflectibile quod nullatenus potest convenire propensioni Div. Petri in negationem, quia vel fatentibus ipsis Contrarijs, talis propensio , ut pote libera potuit non esse,immo propensio cōtraria,scilicet, in confessionē, potuit esse,si voluntati placuisset.

140 Nec obstat , quamlibet causam creatam in actu primo dispositam , habere propensionem ad effectum , q cm postea producit , sivè necessariò , sive libere , juxta naturam causæ ; nam omnis talis propensio cuiuscumque causæ creatæ ad suum effectum nihil est realiter entitativè distinctum ab ipsamet entitate causę, sed quid potius realiter identificatum cum ipsa , & ab ipsa necessariò, & naturaliter fluens per modum proprietatis ab essentia , seu passionis à suo subjecto , quod minimè potest convenire propensioni liberę, de qua in prętenti est quęstio. Unde , in rebus ponere aliam propensionem ; seu appetitum prætèr innatum , & elicitum, est doctrina hactenus innaudita in Philosophia , & omninó gratis , & absque ulla necessitate adinventa, & consequenter omninó releganda.

141 Replicabis : sicut philosophatur in causis naturalibus , ita , proportione servata, philosophari debet in causis

ſis liberis; ſed cauſa naturalis ultimo diſpoſita in actu primo, habet propenſionem naturalem, à ſe realiter diſtinctam, ad effectum, quem poſteà producet: ergo & cauſa libera habet propenſionem liberam, à ſe ipſa realiter diſtinctam, ad effectum liberum, in actu ſecundo producendum. Prob. min.: ignis v. g.; applicatus paſſo, ultimate diſpoſito, quantum eſt in ſe combureret, ſi non indigeret concurſu cauſæ primæ: ergo, &c. Reſp. negando min.: ad cuius probat. nego antec., tanquam implicatorium in terminis; quia ſi ignis in ratione cauſę ſecundæ conſtituitur eſſentialiter, & perſe primo per ſubordinationem, & dependentiam à cauſa prima in ſuppoſitione per impoſsibile, quod non indigeret concurſu cauſę primę, jam ignis per locum intrinſecum non eſſet ignis, nec cauſa ſecunda, ſed prima; ſiquidem ei deficeret id, per quod eſſentialiter, & per ſe primo conſtituitur in ratione cauſæ ſecundæ, ſcilicèt, ſubordinatio, & dependentia à cauſa prima. Ideo, velle inferre propenſionem naturalem in igne in actu primo, realiter diſtinctam ab ipſo igne, ex eo quod ignis quantū eſt ex ſe combureret, ſi per impoſsibile non indigeret concurſu cauſæ primę, eſt velle ſtabilire ſuppoſitionem per locum ab intrinſeco repugnantem, cum per locū ab intrinſeco repugnet, ignem, quantum eſt ex ſe, non indigere eſſentialiter tali concurſu, ex ipſo quod ignis ſit eſſentialiter cauſa ſecunda. Quare, cū defacto non detur id quod ſupponitur per impoſsile, ſcilicet independentia ignis à cauſa prima in comburendo, de facto non dabitur talis propenſio realiter diſtincta ad comburendum, quantum eſt ex ſe.

142 Cauſa igitur naturalis ex ſuo innato pondere propriaque exigentia ſuæ naturæ eſt determinata ad agendum in paſſum diſpoſitum, & approximatū, quare, ut agat in paſſum omnino voluntarie recurritur ad propenſionem antecedentē, realiter diſtinctam ab entitate cauſæ; cum ad hoc, ut effectus immediate egrediatur a cauſa, nulla alia requiratur inclinatio, ſeu propenſio, quam realiter identificata cum virtute ipſius cauſæ completę, & approximatę. Unde, etſi Deus inferret violentiam igni, debitè approximato, ſi non concurreret cum illo ad comburendum, ut accidit in igne Babilonico, hoc ſolū probat propēſionē innatam in igne realiter identificatam cum ipſa virtute ignis combuſtiva. Quod mille exemplis demonſtrari poſsit; nam, ſi ablatis omnibus impedimentis motus lapidis ad ubi deorsùm, Deus non concurreret cum ipſo ad acquirendum tale ubi faceret

ei

ei violentiam, & tamen abſque ullo prorsus fundamento aſſereretur in lapide naturalis propenſio realiter diſtincta ab ipſo lapide ergà centrum ſuum, cum ad hoc ſufficiat propenſio congenita; & conſequenter, cum ex paritate cauſæ naturalis inferant Contrarij propenſionem liberam in cauſis liberis, ab eis realiter diſtinctam, ſi non datur in cauſa naturali, nec in cauſis liberis poterit admitti.

143 Ex quibus patet ad aliud argumentum deductum ex Doct. in 1. diſt. 8. quæſt. 5. in fine, ubi docet, *quod cauſæ naturales, quantum eſt ex parte earum, non poſſunt non cauſare effectus :: ſicut ignis, quantum eſt ex parte ſui, non poteſt non calefacere; tamen poteſt abſolutè non calefacere, Deo non cooperante.* Ex qua propoſitione Doct. Subt. ſic inferunt Contrarij: ergo ſi cauſæ naturales, quantum eſt ex parte earum, non poſſunt non agere; quatenùs eſt ex parte earum habent propenſionem, à ſe realiter diſtinctam ad agendum. Huic inquam argumento reſpondetur negando conſequentiam quia ex Doct. ſolum infertur, quod cauſæ naturales, quantum eſt ex parte earum, habeant propenſionem innatam, & cum ipſis realiter identificatam, ad agendum; ita, ut ſi proximè diſpoſitę non agant, non poteſt tribui ipſis ſed unicè Deo, non cooperanti, ſeu deneganti concurſum ſimultaneum, quod veriſsimum eſt, ſed nihil favens opinioni contrariæ.

144 Arguit. tandem ex Doct. in 1. diſt. 2. q. 2. §. *oſtenſo eſſe de proprietatibus, ℣. item tertio*, ubi ait: *quęlibet cauſa ſecunda cauſat in quantum movetur à prima*: ergo, ne Deus deſtruat libertatem noſtram debet prędividere propenſionem liberam voluntatis ad actum, ad quem movet. Confirmat. ex ipſo diſt. 8. quæſt. 5. §. *ad argumenta principalia*, ubi in fine ait: *ſimiliter nulla cauſa ſecunda cauſat, niſi prima cauſa, cauſante effectum, & hoc prius naturaliter, quàm ipſa cauſa proxima cauſat*; ſed hoc ipſo, quod cauſa prima, prius naturaliter cauſet effectum cauſæ ſecundæ, quam ipſamet cauſa ſecunda, deſtruit eius libertatem, ſi non prędividet cauſam ſecundam, pro priori ad divinam determinationem liberè propenſam in effectum: ergo, ne admittatur hoc abſurdum, admittenda eſt talis propenſio libera, antecedens Dei decretum circa actum ſecundum.

145 Reſp. juxta aliàs dicta, explicando antec.: quęlibet cauſa ſecunda cauſat, in quantum movetur à prima ſecun-

cundum Philoſophos antiquos, contra quos Doct. citat. arguit, concedo: quælibet cauſa ſecunda cauſat, &c., juxta propriam Doct. ſententiam, nego antec., & conſequentiam. Doct. cit. in illo loco nihil aliud intendit, quam demonſtrare ad hominem contra Philoſophos, cauſam primam non movere cauſas ſecundas, nec cum illis operari neceſſario, ſed purè contingentèr; quapropter ſic arguit loco citato: *aliquid cauſatur contingentèr: ergo prima cauſa contingentèr cauſat: ergo volens cauſat.* Probatio primę conſequentię: *quælibet cauſa ſecunda cauſat in quantum movetur à prima: ergo ſi prima neceſſariò movet, quælibet alia neceſſariò movetur: ergo quælibet neceſſariò cauſat: ergo, ſi aliquam ſecundam cauſam contingentèr movet, & prima contingentèr movet; quia non cauſat cauſa ſecunda, niſi in virtute cauſę primæ, in quantum movetur ab ipſa.*

146 Ultimam conſequentiam ſic probat Doct.: *nullum eſt principium operandi contingentèr niſi voluntas, vel aliquid concomitans voluntatem, quia quodlibet aliud agit ex neceſſitate naturæ, & ita non contingentèr.* In quibus verbis intendit Doct. hanc rationem: cauſa prima, per vos neceſſariò agit, & etiam, per vos, cauſa ſecunda contingentèr agit; ſed hæc duo ſunt incompatibilia: ergo unum illorum debitis negare. Probat min.: nulla cauſa ſecunda, per vos agit, niſi in quantum movetur à prima; ſed, per vos, cauſa prima neceſſariò agit: ergò & cauſa ſecunda, quæ, per vos, contingentèr agit, non poteſt non agere neceſſariò; & conſequentèr veſtra dicta ſunt incompatibilia. Prob. conſeq.: implicat, cauſam primam neceſſariò agere, & cauſam ſecundam non poſſe agere, niſi ut motam à prima, & quod cauſa ſecunda non agat neceſſario; aliòquin non in tantum ageret, in quantum præciſſe moveretur à prima, neceſſario agente: ergo, &c.

147 Ad confirmat. eſt brevis reſponſio explicando maiorem: nulla cauſa ſecunda cauſat, niſi prima cauſa, cauſante cauſatum eius, & hoc prius naturalitèr, ſumpto ly *prius naturalitèr* pro prioritate naturali, requiſita ad dependentiam cauſæ ſecundæ à prima, & ſimul compatibili cum ſimultate cauſalitatis, & influxus utriuſque cauſæ, conc. mai.: ſumpto ly *priùs naturalitèr* pro prioritate naturali cauſalitatis cauſæ primę, priùs naturalitèr prioritate naturæ, influen-

tis

tis in causatum causæ secundæ, quam ipsamet causa secunda, nego mai.; & nego absolute minorem; quia, sive causa prima prius natura influeret in effectum causæ secundæ, quàm ipsa causa secunda, sivè non, semper judicamus, propensionis liberæ causæ secundę in suum effectum prævisionem in signo actus primi esse chimericam. Unde Doct. perillud *prius naturalitèr* non significat, causationem causæ primæ esse anteriorem ordinę naturæ, sed solum esse naturaliter priorem modo requisito ad verificandum, quod causa secunda in agendo semper dependet à prima. Quod optimè compatitur cum simultate concursus, & condeterminationis ex parte utriusque causæ. Hęc expositio apertè constat ex eo, quod Doct. ibi subjungit dicens: *quod si ab igne dispositio, & approximato, non sequatur calefactio, hoc idò esse, quia Deus non cooperatur, non tamen quia non prædeterminat, seu promovet.*

QUÆST. SEXTA.

An efficatia gratiæ consistat in vocatione, ita attemperata voluntati, ut ipsam infallibilitèr moralitèr determinet ad positionem actus salutaris.

148 SUpponendum est 1. tanquam quid perse evidens, quod sicut necessitas physica, & physica libertas respectu eiusdem actus interse opponuntur, ita interse opponuntur respectu eiusdem actus moralis: unde, sicut, si voluntas physicè infallibilitèr determinaretur per vocationem aliquam, sivè per auxilium ad positionem actus salutaris, non salvaretur libertas physica, maximè in Scotistarum sententia, circa talem actum, ita pariter, si voluntas determinaretur moraliter, & infallibilitèr per aliquod auxilium ad positionem actus salutaris, non salvaretur libertas moralis circa talem actum. Ratio est; quia, sicut determinatio physica potentię, ab ipsa potentia non proveniens, tollit eius libertatem physicam, ita pariter determinatio moralis voluntatis, ab ipsa voluntate non proveniens, tollit libertatem moralem eius.

Sup-

149 Supponendum eſt 2., quod Scotiſtæ ſtatuentes efficatiam gratiæ, in vocatione, moralitèr determinante voluntatem ad poſitionem actus ſalutaris, conſequentèr dicunt, auxilium efficax in actu primo, & antecedentèr ad ſuum actum eſſentialitèr differre ab auxilio ſufficienti, & hoc, non ſolum in ratione doni, & beneficij, ſed etiam in ratione entis, & efficatię intrinſecè. Ita expreſsè Sendin de Gratia actuali Diſp. 2. quæſt. 4. à num. 64. uſque ad num. 66. Nos verò contrarium ſuprà docuimus in hac Diſputat. quæſt. 1.

150 Supponendum eſt 3., Scotiſtas aſſerentes efficatiam gratiæ conſiſtere in vocatione, ſeu auxilio, ſic moralitèr neceſsitante voluntatem, ad elicientiam actus ſalutaris, varias adducere ſignificationes iſtius termini *neceſsitas moralis* : dicunt ergo, hanc neceſsitatem moralem, qua infallibilizatur conſenſus, conſiſtere in eo, quod ex vi totius collectionis cauſarum, ita propendat voluntas in actum, quod licèt ſit ex ſe poſſibile in ſenſu compoſito omnium illarum cauſarum non elicere actum, tamen illum actum ſemper eliciet. Et, ſi interrogentur hi Authores : unde proveniat huiuſmodi neceſsitas, orta ex vi motivorum, & circunſtantiarum alicientium voluntatem ? Reſpondet pro eis Sendin in præſenti ſect. 1. num. 9. talem neceſsitatem oriri ex natura ipſius voluntatis, quæ, inquit ex ſemetipſa eſt ita propenſa in bonum, in quo momenta omnium motivorum exceſsivè præponderant oppoſitæ parti.

151 Si autem contra hoc replicetur cum Baſilio Legionenſi, talem neceſsitatem debere vocari, non moralem, ſed phyſicam, eo quod fundetur ſupra naturam, & inclinationem phyſicam ipſius voluntatis, & conſequentèr, in ſenſu compoſito horum motivorum fore miraculoſam omiſsionem operis, ad quod voluntas ex vi illorum aliciebatur : ſi inquam ſic replicetur, reſpondet cit. Sendin negando ſequelam : quia tunc caſus, ait, voluntas operaretur ut cauſa naturalis : proindè, ut conſerventur jura libertatis, debet negari neceſsitas phyſica in ſenſu compoſito illarum circunſtantiarum. Verùm neſcio, quomodò talis neceſsitas fundetur ſupra naturam, & inclinationem phyſicam ipſius voluntatis, quin, & ipſa neceſsitas phiſica ſit ; cum omne fundatum ſupponat naturam, & conditionem ſui fundamenti. Reſpondere autem talem neceſsitatem non eſſe phyſicam,

ne libertas lædatur, eſt petere principium.

152 Nec magis placet ratio, quàm Sendin vocat à priori, aſſerens, voluntatem, quamvis non habeat libertatem phyſicam operandi contra illam inclinationem, quæ eſt ita naturalis, quod non ſolum à natura procedat, ſed etiam inclinet ad operationem abſque deliberatione, & dominio ſui, habere tamen poteſtatem operandi contra ſuam naturalem propenſionem, quando ex natura ſua inclinat ad operandum cum dominio, & deliberatione. Non placet, inquam, hæc ratio; quia, licet veritatem aliquam contineat, non tamen eſt ad rem, ut videbimus poſteà, loquendo de diviſione libertatis in moralem, & phyſicam, & de natura utriuſque.

153 Quare ſupponendum eſt 4., libertatem etiam dividi in phyſicam, & moralem. Libertas phyſica dicitur illa, quæ in operante ſupponit cognitionem commodi, vel incommodi naturalis, cuius ratione optimè fiat, quod quis habeat cognitionem, qua judicet, quod aliquid eſt bonum in ordine ad naturam, & delectationē, quamvis diſcernere nequeat: an ſit conveniens in ordine ad honeſtatem; & conſequentèr actio, ſic operantis imputari nequit ad laudem, vel vituperium in genere moris. Patet hoc in pueris, perfectum uſum rationis nondùm habentibus, qui liberè circa cibos, & alia hujuſmodi operantur, antequam conformitatem, vel difformitatem actionum ſuarum ad honeſtatem agnoſcant. Nam, licèt uſu perfecto rationis careant, aliquem tamen habent diſcurſum de obiecto ſibi convenienti.

154 Libertas moralis dicitur illa, quæ ſupponit in operante cognitionem boni, vel mali moralis, ratione cuius cognitionis diſcernunt homines inter bonum, & malum morale: proindeque eorum actus libere dicuntur imputabiles, dignique laude, vel vituperio, ſecundùm quod ad regulas morum accedunt, vel ab eis recedunt. Undè, ut actus dicatur humanus, non ſufficit quęcumque libertas, ſed neceſſaria eſt illa, quę ex ſe ſufficiens ſit ad laudem, vel vituperium fundandum. Quare, ſi in pueris, vel amentibus detur aliqua libertas, ita talis non ſufficit ad conſtituendum actum moralem, qui neceſſariò requirit, ut liberè procedat à voluntate ex cognitione operante, & ſimul ab intellectu cum advertentia circa finem, & circa media, conducentia ad talem fi-

finem. Unde advertendum ex Maſtrio, libertatem, phyſicam, & moralem, non eſſe duas libertates, ex integro diſtinctas, ſed potius eſſe eandem libertatem voluntatis, quę prout ſubordinatur cognitioni commodi naturalis, dicitur phyſica, prout verò ſubordinatur perfectę advertentię rationis, dicitur moralis. Unde ſolum per connotata differunt.

155 Supponendum eſt 5., infallibilitatem moralem auxilij, moralitèr determinantis voluntatem ad conſenſum, eſſe duplicem, prout ſe explicat Bernique in addictione ad litteram Sendin. Una, inquit, eſt conditionalis, altera eſt abſoluta. Conditionalis eſt, quæ non datur in omni eventu, ſed exigit aliquam conditionem ut actualiter exerceatur; ſit, ait, exemplum: tentatio gravis habet connexionem infallibilem cum peccato, ſed non ſemper, & in omni eventu, ſed tantum, quandò deeſt auxilium efficax. Infallibilitas moralis abſoluta eſt illa, quæ infallibiliter, ſemper, & in omni eventu connectitur cum conſequenti: talis eſt, inquit, infallibilitas auxilij efficacis cum conſenſu ſalutari.

156 Supponendum eſt 6. ex mente eiuſdem Bernique, quod hæc infallibilitas moralis, quam habet auxilium efficax reſpectu conſenſus, non eſt adæquata, hoc eſt, auxilium efficax, licet infallibiliter moraliter determinet voluntatem creatam non tamen divinam, reſpectu cuius non habet vim determinandi; propterea que dicitur inadęquata: unde, ut talis infallibilitas ſit omnibus modis adæquata, opus eſt, inquit, quod conjungatur cum decreto præparativo Omnipotentiæ, & ſimul cum decreto intentivo conſenſus, quibus adjunctis, infallibilitas auxilij efficacis omni modo erit adæquata; verùm animadvertè, inquit, quod hoc decretum non requiritur, quia maiorem vim determinandi voluntatem tribuat auxilio, ſed quia ſe habet, quaſi removens prohibens, quatenùs, ait removet decretum, impeditivum conſenſus. Sed fateor ingenuè, me nunquam in noſtra Schola audiviſſe, quod decretum aliquod, impeditivum conſenſus ſalutaris, locum habeat in Deo, antequàm Deus videat per ſcientiam viſionis, voluntatem creatam ſuę vocationi non conſenſuram.

157 Supponendum eſt 7., inquit Bernique, quod intra limites infalibilitatis moralis dantur plures gradus efficacitatis; nam, licet tentatio gravis habeat infallibilitatem moralem, inductivam peccati, ſi

adſit

adſit tamen gratia efficax, vincitur talis tentatio à maiori efficacitate gratię. Unde, ſicut una tentatio gravis eſt activior altera, fortioremque exigit gratiam, ut ſuperetur, licèt omnis tentatio gravis habeat vim determinandi potentiam moraliter; ita ſimiliter aliqua eſt gratia, ita ardenter excitans potentiam ad amorem boni, quod voluntas ſummam pateretur difficultatem in omiſsione amoris; alia verò ſolet eſſe, quæ etſi moraliter infallibiliter determinet voluntatem, non tamen ita intensè, ut voluntas in omiſsione actus æqualem difficultatem experiatur, ut experitur, quando gratia eſt magis intenſa.

158 Supponendum eſt nobis ultimo, quod inter viatores nonulli, & ſi pauci, ſunt confirmati in gratia; unde maior libertas requiritur in non confirmatis in gratia, quam in confirmatis. Confirmati enim in gratia, eo ipſo, quod tales ſint, ſto poſsint proximè venialiter peccare, non tamen mortaliter, cum Deus ſua manutenentia, ſeu ſpeciali quadam providentia illos protegat, atque deffendat, ne in aliquod mortale peccatum labantur, ut fert communis opinio de confirmatis in gratia; qui dicuntur moraliter neceſsitati ad operandum ſalutariter. Unde reliqui viatores, qui tali privilegio non gaudent, non poſſunt dici moraliter neceſsitati ad opus ſalutare; alioquin in modo ſalutariter operandi in nihilo differrent à confirmatis in gratia. Quod ſi inquiras: an confirmati in gratia neceſsitentur? Reſpondetur communiter quod ſic: ideo tamen hoc eſſe, quia Deus confirmans aliquem in gratia, virtute eiuſdem privilegij diſpenſat cũ illo in libertate proxima, ordinariè requiſita ad merendum.

159 Alia hûc ſpectantia; tum de natura libertatis, ad meritum requiſitæ in viatoribus; tum de natura efficatię moralis, quam aliqui Scotiſtæ tribuunt auxilio in actu primo, & pro priori ad conſenſum; tum de infallibilitate, & certitudine metaphyſica Scientiæ Dei circa exiſtentiam, vel non exiſtentiam, conſenſus ſalutaris, cum alijs pluribus, ſcitu dignis, diſcutientur reſpectivè in ſuis locis in progreſſu iſtius quæſtionis, circa quam eſt duplex ſententia. Prima aſſerit, efficatiam gratiæ conſiſtere in vocatione, ſic attemperata voluntati, ut volantatem infallibiliter moraliter deter-

terminet ad poſitionem actus ſalutaris. Hæc vocationis attemperatio ex multis capitibus poteſt oriri, præcipuè tamen ſtat in coexiſtentia vocationis cum affectionibus, & delectationibus indeliberatis ſupernaturalibus, à Deo in voluntate immediate productis, eamque inclinantibus ad proſecutionem boni honeſti. Ita Sendin ſuprà citatus, qui pro ſe adducit ex Exteris Vazquez, Araujo, Caramuel, & Lumbier: & ex noſtris Illuſt. Merinerum Sanchez, &c., quorum aliqui propugnant prędeterminationem moralem, quam ipſe Sendin pro viribus impugnat tract. 4. de Libero Arbitrio Diſput. 3. ſecunda ſententia eſt negativa, & cum ea ſit noſtra.

160 Concluſio: *efficatia gratię non conſiſtit in vocatione, ſic atemperata voluntati, ut iſtam moralitèr infallibilitèr determinet ad poſitionem actus ſalutaris.* Prob. 1. ex aliquibus Scoti teſtimonijs, quæ univerſaliter in omni materia ſubſtineri debent ab Scotiſtis, & ſic ex ipſo in 2. diſt. 1. quæſt. 2.: ſi efficatia gratiæ conſiſteret in vocatione atemperata modo in Concluſione dicto, voluntas intelligeretur determinata, ſaltem moralitèr, antecedentèr, & pro priori ad ſuum actum, ſeu volitionem; ſed voluntas nullatenus poteſt intelligi determinata, antequàm intelligatur ſuus actus: ergo, &c. Maior eſt doctrina Contrariorum. Prob. minor: *in cauſis liberis, cauſam eſſe determinatam, eſt, ipſam habere volitionem, reſpectu volibilis*: ergo voluntas nequit, &c. Antec. eſt Doct. cit. Confirmatur: eo ipſo, quod efficatia gratiæ ſtaret in tali atemperatione, determinatio voluntatis ad conſenſum ſalutarem redduceretur completè ad voluntatem divinam, præparantem illam vocationem, ſic atemperatam voluntati, ipſamque ei conferentem in talibus circumſtantijs, ut ipſam moralitèr neceſsitet, & determinet ad conſenſum; ſed determinatio voluntatis creatæ ad quemcumque ſuum actum, non reducitur completè, niſi in voluntatem creatam: ergo efficatia gratiæ, &c. Maior eſt doctrina Contrariorum. Minor eſt expreſſa Doct. quodlibet. 18. §. de *ſecundo principali*, ubi loquens de differentia voluntatis, in ordine ad præmiabile, & punibile, ait: *iſta indeterminatio ad alteram partem, non poteſt com-*

completè redduci niſi in ſuam voluntatem ; nam voluntas ſola habet indifferentiam ad contradictoria, & talia quod ipſa eſt determinativa ſui ad unum illorum.

161 Roboratur: differentia inter cauſam naturalem, & liberam, ex communi omnium Scotiſtarum calculo, conſiſtit in eo, quod cauſa naturalis, aſſociata omnibus prærequiſitis ad agendum, non ſolum non poteſt non agere, ſed omninò ei repugnat carentia actionis, cauſa verò libera, ſtantibus omnibus prærequiſitis ad agendum, non ſolum poteſt non agere, ſed etiam cum omnibus illis prærequiſitis, poteſt componere carentiam, vel ſuſpenſionem actionis ; ſed hoc principium, adeò indubitatum in Schola Scotiſtarum, non rectè cohæret cum eo, quod auxilium efficax moraliter, & infallibiliter determinet voluntatem ad conſenſum : ergo ipſam non ſic determinat. Maior conſtat ; quia actualis ſuſpenſio actionis ſolum cum ipſa actione eſt incompoſſibilis, non autem cum omnibus prærequiſitis ad actionem; quare nulla eſt implicantia in hac propoſitione : *voluntas, manens ſub omnibus prærequiſitis ad agendum, non agit.* Prob. min.: ſtante auxilio moraliter determinante voluntatem ad conſenſum, non ſtat in voluntate poteſtas proxima ad diſſenſum ; ſed non ſtare in voluntate poteſtatē proximam ad diſſenſum, non cohęret cum eo, quod voluntas in ſenſu compoſito omnium prærequiſitorum poſsit componere cum talibus prę requiſitis carentiam, ſeu ſuſpenſionem actionis ; ergo prædictum principium, &c.

162 Minor eſt per ſe nota in noſtra Schola. Prob. mai.: ad hoc, ut detur in voluntate poteſtas proxima ad diſſenſum, debet eſſe æquè expedita ad diſſenſum, ac ad conſenſum in ſenſu compoſito omnium prærequiſitorum ad conſenſum; ſed ſtante auxilio, certò, & infallibilitèr moralitèr determinante voluntatem ad conſenſum, voluntas non eſt æquè expedita ad diſſenſum, ac ad conſenſum : ergo ſtante, &c. Maior conſtat ; quia poteſtas proxima, æquè expedita ad utramque contradictionis partem ſolū intelligitur, quando exercitium potentię liberæ, nedum ſupponit indifferentiam activam potentię nudę, ſed etiam eiuſdem potentiæ indifferentiam ſub omnibus, neceſſariò requiſitis ad agendum, taliter conſtitutam, & proximè diſpoſitam, ut conſtituta ſub ipſis ad agendum, poſsit æquè proximè re ipſa ſuſpendere actionem, ut rec-

recte ait Maſtrius Diſput. 7. de anima, quęſt. 2. art. 2. num. 19.: ergo ut detur in voluntate, &c. Minor etiam eſt evidens, quia cum determinatione morali voluntatis ad conſenſum, repugnat, quod voluntas ſit æque expedita ad diſſenſum, ac ad conſenſum, cum talis determinatio ad conſenſum pugnet cum diſſenſu, ſaltèm in illa linea in qua eſt voluntas determinata.

163 Prob. 2. alia ratione Doct., ab omnibus Scotiſtis admiſſa, & quam deſumpſit Doct. ex Div. Anſelmo lib. de Concordia cap. 1., & 2., & lib. Cur Deus homo cap. 18. Ratio eſt iſta: neceſsitas antecedens uſum libertatis, tollit libertatem; ſed neceſsitas, orta ex vocatione ſic atemperata voluntati, ut moraliter determinet voluntatem, antecedit uſum libertatis: ergo talis vocatio non componitur cum libertate; & conſequenter efficatia gratiæ conſiſtere non poteſt in vocatione ita atemperata, &c. Maior conſtat; quia ſola neceſsitas conſequens, quę oritur ex ipſo exercitio libero voluntatis, eſt quę ſalvat libertatem indemnem. Minor prob. 1.: quod auxilium, ſeu vocatio conferatur à Deo in talibus circunſtantijs, & non in alijs, eſt ſuppoſitio omninò antecedens omnem uſum libertatis creatę, ſiquidem collatio talis auxilij in talibus circunſtantiis nullatenùs dependet ab exercitio voluntatis creatæ, ut etiam fatentur Contrarij: ergo neceſsitas orta ex vocatione, &c. Prob. 2. eadem minor: quod eſt cauſa libertatis nequit non antecedere libertatem; ſed auxilium moraliter determinans voluntatem, eo ipſo quod ſit determinans, nequit non eſſe cauſa libertatis: ergo, &c.

164 Prob. 3. alia ratione, quam Scotiſtæ, nobis adverſi, urgent contra Scotiſtas, moraliter prędeterminantes: ſtatuta efficatia gratiæ in vocatione, ita attemperata voluntati, &c., non manet libertas proxima ad diſſenſum, nec in ſenſu compoſito, nec in ſenſu diviſo talis determinationis moralis. ergo efficatia gratiæ, &c. Prob. antec.: in tantum voluntas, moraliter determinata ad conſenſum, haberet libertatem proximā ad diſſenſum, in quantum poſſet proximè ponere diſſenſum pro eodem inſtanti, pro quo ponit conſenſum; ſed pro inſtanti, pro quo voluntas eſt moraliter determinata ad conſenſum, non eſt proximè in poteſtate eius ponere diſſenſum: ergo, &c. Prob. min.: diſſenſus nequit exiſtere diviſus

ſus à determinatione morali, nihil exiſtente diſſenſu, & non exiſtente determinatione morali; ſed non eſt in poteſtate voluntatis, quod non exiſtat determinatio moralis; cum iſta, ſecundum ſententiam Contrariorum, unicè veniat à Deo, efficaciter intendente conſenſum pro priori naturæ ad omnem uſum libertatis creatę: ergo, &c. Confirmatur ex ipſomet Sendin Tract. de Libero Arbitrio Diput. 3. ſect. 4. num. 5. ajente: colligitur excluſionem cuiuſcumque prædeterminationis, ſivè intrinſicæ, ſive extrinſecæ eſſe unum ex conſtitutivis, eſſentialiter prærequiſitis, ut intelligatur potentia proximè libera. Et ratio eſt; quia cum prædeterminatio, ſive intrinſeca, ſivè extrinſeca, non relinquat potentiam indifferentem ad actum, conjungibilemque, tam cum actu, quam cum carentia actus, ſed omninò determinatam ad actum; hinc eſt, neceſſariò prærequiri, ut intelligatur potentia proximè indifferens ad actum, quod intelligatur poſitiva excluſio, & carentia cuiuſcumque prędeterminationis ad actum. Declaratur, inquit: nam, in tantum eſt quis potens liberè diſſentire, in quantum non intelligitur alligatus ad oppoſitum alligatione, quam ſolvere nequit. Ita ad litteram Sendin citat., & benè quidem.

165 Subſumo nunc: ſed prædeterminatio moralis, quam ipſe jure optimo reprobat, in nihilo diſtinguitur à determinatione morali, quam pro viribus approbat, & ſtabilire conatur pro ſententia propria, atque hęreditaria, ut ipſe ait, Scotiſtarum: ergo, vel determinatio moralis debet negari, vel prædeterminatio moralis debet admitti. Tota difficultas ſtat in ſubſumpta, quæ ſic prob. 1.: prędeterminatio moralis, juxta ſuos Patronos, quamvis antecedenter moraliter determinet potentiam ad poſitionem actus, relinquit tamen in voluntate poteſtatem phyſicam, & metaphyſicam ad oppoſitum; ſed hoc idem facit determinatio moralis antecedens, qua voluntas determinatur ad poſitionem actus: ergo prędeterminatio moralis in nihilo diſtinguitur à determinatione morali. Maior conſtat; quia moraliter prædeterminantes aſſerunt, libertatem phyſicam ſolum auferri per ſolam phyſicam prædeterminationem Thomiſtarum, non verò per prædeterminationem moralem. Minor eſt doctrina expreſſa Scotiſtarum, moraliter determinantium: immò eſt unicum effugium, quo omnibus ferè argu-

gu-

gumentis reſpondent. Prob. 2. eadem ſubſumpta: prędeterminatio moralis, moraliſque determinatio æquę infallibiliter determinant antecedentèr potentiam, cum utraque, juxta ſuos Patronos, deſcendat à decreto prædiffinitivo Dei, efficacitèr prędefinientis conſenſum: ergo interſe non diſtinguuntur moralis prædeterminatio, & determinatio moralis, & ſic, vel utraque, vel neutra libertatem ſalvat.

166 Prob. 4., præcludendo ſolutionem principalem contrariorum; qui ad rationes, jam adductas, reſpondent, quod quamvis auxilium, quod ipſi ſtatuunt efficax ad ſalutariter operandum, neceſsitet moralitèr voluntatem, & conſequentèr libertatē moralem deſtruat: tamen quia tale auxilium, ſic moralitèr neceſsitans, non deſtruit libertatem phiſicam, & metaphyſicam, ſed potius eas intactas relinquat, propterea componitur libertas requiſita ad meritum cum neceſsitate morali operandi. Exemplificant hoc primo in tentatione gravi, qua poſita, ſemper infallibiliter, liberè tamen, ponitur conſenſus turpis, niſi ſucurratur ſpeciali gratia Dei. Exemplificant 2. in homine juſto, qui aliquo peccato veniali infallibiliter implicabitur, ſi ſpecialis gratia Dei non adſit; & tamen in utroque caſu intelligitur neceſsitas moralis: ergo hoc, inquiunt, ſufficit, ut ſit verum, quod poſita vocatione, moralitèr determinante voluntatem, liberè, & infallibiliter ponatur conſenſus ſalutaris.

167 Prob. inquàm, 4. præcludendo iſtam ſolutionem. Primo ſic: neceſsitas moralis operandi non componitur cum libertate ordinariè requiſita ad meritum: ergo ſi auxilium moralitèr neceſsitat ad actum, actus inde elicitus, non erit meritorius. Prob. antec.: neceſsitas antecedens uſum libertatis non componitur, ſaltem ordinariè loquendo, cum libertate requiſita ad meritum; ſed neceſsitas, ortum ducens ex auxilio moralitèr determinante, antecedit uſum libertatis: ergo neceſsitas, &c. Minor jam ſuprà eſt probata. Nec valet reſpondere, iſtam neceſsitatem moralem antecedere uſum libertatis moralis, non verò uſum libertatis phyſicè. Non valet, inquàm, quia in productione actus meritorij repugnat uſus libertatis phyſicæ, qui intranſitivè, non ſit uſus libertatis moralis: & è contra; nam, ut diximus ex Maſtrio libertas phyſica, & libertas moralis non ſunt duæ libertates, ex integro diſtinctæ, ſed una, & eadem,

dem, quæ prout ſubordinatur verò advertentiæ rationis circa materiam moralem, dicitur moralis.

168 Secundò ſic: neceſſitas moralis, nedùm opponitur libertati morali, ſed etiam libertati phyſicæ proximæ, & expeditæ, ſaltèm mediatè. Dico *ſaltèm mediatè* propter rationem infra ſuo loco aſſignandam: ergo neceſsitas moralis non componitur cum libertate ad meritum requiſita, quia juxta omnes, ad merendum requiritur aliqua libertas, proxima & expedita. Prob. antec. quoad ſecundam partem: non ſtat libertas phyſica proxima, expeditaque ad aliquem actum, quando oppoſitum talis actus, ſeu eius carentia metaphyſicè repugnant; ſed ſtante neceſsitate morali, moraliter antecedenter determinante voluntatem ad actum, oppoſitum talis actus, aut eius carentia metaphiſicè repugnant: ergo, &c. Maior eſt ex terminis nota. Prob. pro nunc min.: ſtante neceſsitate morali, moraliter antecedenter determinante voluntatem ad actum, ſtat in Deo ſcientia metaphyſice infallibilis de exiſtentia, vel futuritione talis actus; ſed carentia exiſtentię, vel futuritionis alicujus actus, à Deo cognoti per ſcientiam, metaphyſicè infallibilem, repugnat metaphyſicè: ergo, ſtante, &c.

169 Tertio ſic: quod eſt moraliter neceſſarium nequit eſſe materia præcepti affirmativi, nec opus obſequioſum, in cuius poſitione mereatur operans; ſed ſuppoſito auxilio, moraliter prędeterminante, vel determinante, & moraliter neceſſarium, quod ponatur actus, ad quem eſt determinatio: ergo, &c. Prob. maior: non minus id, quod eſt impoſsibile, excluditur à materia præcepti negativi: ſeu prohibitionis, ac id, quod eſt neceſſarium, excluditur à materia præcepti affirmativi; ſed id, quod eſt moraliter impoſsibile, nequit eſſe materia præcepti negativi, ita ut illud non evitando, quis peccet: ergo, &c. Minor deducitur ex Div. Iſidoro lib. 5. Ethimologiarum cap. 21. ubi ait: *de natura legis eſt, ut ſit de re, moraliter poſsibili.* Ulterius patet eadem minor experientia; nam, quando occaſio extrinſeca peccandi, in ſui evitatione eſt moraliter impoſsibilis, conſtitutus in tali occaſione, non tenetur eam evitare.

170 Quartò ſic: ideo, juxtà Scotiſtas Contrarios, auxilium moraliter determinans, eſt neceſſarium ad ſalutariter operandum, & cum libertate pro-

proxima compatibile, quia judicant, tale auxilium in actu primo, & omninò antecedentèr ad conſenſum, eſſentialitèr differre ab auxilio ſufficienti, ratione ſuæ entitatis, & efficatiæ intrinſecæ; ſed, hoc eſſe falſum conſtat evidentèr ex quęſt. 2. præſentis Diſput., ubi aſſerimus, omnem gratiam ſufficientem eſſe ſecundum quid efficacem, & quod ponit conſenſum ſalutarem, totiès, quotiès voluntas creata ipſi vult conſentire, & cooperari: ergo, &c. Quartò denique ſic: neceſsitas moralis propterea eſt compatibilis cum libertate, requiſita ad merendum, quia ſtante, inquiunt, potentia moralitèr neceſsitata ad conſentiendum objecto turpi, ſtat in ipſa ſufficiens libertas ad demerendum, ſeu peccandum, alioquin, aiunt, conſentiens objecto prohibito, & malo, non peccaret; ſed hæc doctrina Adverſariorum eſt falſa, quod, ſcilicet, voluntas ſit aliquando moralitèr neceſsitata ad conſentiendum obiecto turpi, vel ſi aliquando eſt ſic neceſsitata, tunc caret libertate, requiſita ad demerendum; & conſequentèr conſentiendo non peccaret: ergo iſtud Contrariorum fundamentum ruit, & cum neceſsitate morali, non ſtat libertas, requiſita ad meritum, vel demeritum.

171 Prob. minor quoad primam part. ex illo Pauli 1. ad Corint. cap. 10.: *fidelis eſt Deus, qui non patietur, vos tentari ſupra id, quod poteſtis.* Ex quibus ſic: vel loquitur Apoſt. de tentatione, ſuperante potentiam phyſicam, vel de ſuperante dumtaxat moralem potentiam? Non primum; quia ſæpènumero per ſugeſtionem Diaboli abſorbetur uſus rationis, in quo caſu nulla eſt libertas, nec potentia phyſica expedita ad oppoſitum; proindeque tentatio tunc caſus foret ſupra id, quod phyſice poſſumus; & conſequenter in talī caſu non imputaretur voluntati, quod tentationi ſucumberet: ergo neceſſariò dicendum eſt ſecundum, ſcilicet, Deum non permittere, nos unquam tentari ſupra id, quod moraliter poſſumus, ut reverà non permittit; ſed implicat, quod aliquandò ſimus moralitèr neceſsitati, ad conſentiendum obiecto turpi, & quod Deus non permittat, nos tentari ſupra id, quod moralitèr poſſumus: ergo nulla eſt gravis tentatio, per quam voluntas moralitèr neceſsitetur, ad conſentiendum obiecto turpi, & prohibito.

172 Prob. eadem ſupra poſita minor quoad ſecund. part.; ſcilicet, quod, ſi voluntas

alī-

aliquandó eſſet moralitèr neceſsitata ad conſentiendum objecto turpi, tunc careret libertate, requiſita ad peccandum: ut detur libertas, requiſita ad demerendum neceſſario requiritur, quod voluntas, conſtituta in occaſione peccandi, habeat ex parte actus primi quidquid requiritur ad peccatum evitandum; ſed, ſi voluntas eſt aliquando moralitèr neceſsitata ad conſentiendum obiecto turpi, non habet tunc quidquid requiritur ex parte actus primi ad peccatum evitandum: ergo, &c. Prob. min.: ut quis, in occaſione peccandi conſtitutus peccatum evitet, ultra entitatem nudam potentiæ, requiritur neceſſariò ex parte actus primi auxilium ſupernaturale Dei; ſed voluntas, moralitèr neceſsitata ad conſentiendum obiecto turpi, & carens auxilio ſupernaturali ſpeciali Dei, non habet quidquid requiritur ex parte actus primi ad peccatum evitandum: ergo, &c. Prob. minor: ſi voluntas moraliter neceſsitata ad peccandum, & ſimul carens auxilio ſpeciali Dei, haberet quidquid requiritur ex parte actus primi ad peccatum evitandum, maximè, quia haberet ex parte actus primi auxilium ſufficiens, realitèr diſtinctum ab illo auxilio ſpeciali Dei, quod quidem auxilium ſufficiens ſemper daret actum primum, ſeu poſſe, numquam tamen operationem, ſeu actum ſecundum: ſed non datur auxilium ſufficiens, ut realiter diſtinctum ab auxilio ſpeciali Dei, quodve tribuat ſemper actum primum, numquam actum ſecundum, juxta ſuperius à nobis ſtabilita: ergo, &c.

173 Ex quibus patet ad illa exempla; nam exemplum tentationis gravis ſolum probat, hominem conſtitutum in tali tentatione, & deſtitutum omni auxilio ſupernaturali divinæ gratiæ, ipſum prævenientis, excitantis, atque moventis ad reſiſtendum, non poſsit non ſucumbere, cum homo in tali caſu ſupponatur derelictus ſuis viribus naturalibus, & carens comprincipio ſupernaturali, conſtitutivo actus primi ad proxime poſſe reſiſtendum. Unde, auxilium ſpeciale Dei, ad victoriam gravis tentationis requiſitum non eſt aliqua entitas ſupernaturalis, intrinſicè, & eſſentialiter diſtincta ab entitate auxilij, quod dicitur ſufficiens; quod quidem eſt etiam efficax in actu primo, ad victoriam gravis tentationis obtinendam, ſi voluntas, utendo jure ſuæ libertatis, eo non abutatur. Et ſanè uſque dum

Con-

Contrarij oppoſitum probent, in vanum laborant.

174 Si autem quæras: an homo, graviter tentatus, deſtitutuſque omni auxilio divinæ gratię operetur imputabilitèr, & demeritoriè? Reſp. negativè: quia cum careat auxilio ſupernaturali, conſtituente poſſe proximum ad reſiſtendum tentationi, hinc eſt, quod non operetur demeritoriè, cum nemo demereatur in eo, quod non poteſt proximè vitare. Si ulterius inquiras: an in caſu, quo Deus denegaret auxilium ſupernaturale homini, conſtituto in gravi tentatione in pœnam alicujus peccati antecedentis, tunc caſus peccaret, ſubcumbendo tentationi? Dico, quod in hoc caſu peccaret in cauſa, non tamen in effectu, ſicut peccaret in cauſa, & non in effectu, qui non poſſet quotidie recitare divinum Officium, eo quod in principio navigationis projecit voluntariè breviarium in mari. Ad ſecundum exemplum reſpondetur eodem modo. Sed de his iterum in ſolutione argumentorum.

175 Prob. 5. Concluſio: ſi efficatia gratiæ conſiſteret in vocatione, ſic congrua, & attemperata voluntati, ut ipſam moralitèr, & infallibiliter determinaret ad conſenſum, haberet hujuſmodi efficatiam, illa vocatio ſic attemperata, vel ratione ſuæ ſpeciei, vel ratione maioris intenſionis intra eadem ſpeciem; ſed utrumque eſt falſum: ergo, &c. Prob. min.: in primis talis vocatio non habet iſtam efficatiam ratione ſuę ſpeciei; ſed aliundè nec ratione maioris intenſionis, intra eandem ſpeciem: ergo, &c. Præmiſſæ prob. ſuo ordine; & primo mai.: quod eſt efficax ſecundum ſuam ſpeciem, relatè ad conſecutionem effectus, ſemper, & ubilibet habebit effectum; ſed vocatio, quę in uno eſt efficax, in alio ſolet eſſe inefficax: immò in eodem ſubjecto poteſt eſſe efficax in una occaſione, & inefficax in alia: ergo, &c. Maior conſtat. Minor, ſi conceditur, probat efficatiam gratiæ excitantis, non ſolum conſiſtere in vocatione, ſic attemperata voluntati, & coexiſtente affectibus indeliberatis, in voluntate excitatis, ſed etiam conſiſtere in diſpoſitione, ingenio, & complexione hominis vocati, quod quidem eſt abſurdum; ſed Contrarij, inter quos eſt Sendin, tenent doctrinam iſtius ultimę minoris: ergo, &c.

176 Doctrina prędiæ minoris conſtat habita ex Patre Sendin, qui in Tract. 5. de Gratia

tia Diſput. 4. ſect. 4. docuit, quod, licet omnis determinatio moralis non habeat vim determinandi eandem, omnis tamen ita alicit, ut, quacumque poſita, infallibiliter ſemper conſequatur actus; & poſt hoc aſſertum ſubjungit dicens: optimè venire poteſt, quod eadem cogitatio, quę in uno eſt efficax, in alio efficax non ſit, eo quod in uno determinat moraliter, & non in alio, quia in uno ſupponuntur aliquæ circunſtantię, quibus alter caret, qua de cauſa aliquando quis reſpondet remiſsiori vocationi, altero intenſiorem reſpuente: quia unus eſt expeditus à Contrarijs, vel habet ingenium, & indolem magis proportionatam. Hucuſque ad litteram Sendin.

177 Quod verò ſit abſurdum dicere, quod efficacia gratiæ ullo modo deſumatur ab ingenio indole, diſpoſitione, aut complexione hominis vocati, patet ex eo, quod illa attemperatio liberi arbitrij cum gratia vocationis, proveniens à quocumque ex relatis, vel ab omnibus ſimul dependet ab influxu Cœlorum, à diverſo ſtellarum aſpectu, à diverſorum alimentorum ſumptione, à temporum viciſitudine, negotiorum eventu, & alijs pluribus, ex quibus provenit, hominem eſſe ſic, vel aliter affectum; in quæ quidem principia nullo modo poteſt revocari efficatia gratiæ; tum primò, quia talis diſpoſitio poteſt provenire à naturali induſtria hominis qui in hac, vel illa materia ſe exercet ſtudioſè. Tum ſecundò, quia hæc diſpoſitio, ſeu attemperatio multoties non provenit ex voluntate hominis, ſed ex principijs, quę non ſubſunt hominis arbitrio: & ſic homines, taliter attemperati tali quadam neceſsitate producerent ſuas operationes.

178 Iam probatur ſecunda pars minoris principalis: ſi vocatio ſupernaturalis ſecundum ſuam ſpeciem non vincit infallibiliter reſiſtentiam voluntatis creatæ, nec illam vincere poteſt ratione maioris intenſionis intra eandem ſpeciem, cum iſta maior intenſio unicè deſerviat ad potentiam magis firmandam, ſeu ut cum maiori fortitudine reſiſtat in ſenſu compoſito vocationis, minimè verò ad potentiam infallibiliter determinandam; experientia namque nos docet, hominem quandoque reſiſtere vocationi magis intenſę, quandoque verò conſentire minus intenſę. Farao enim, Judas, & alij obdurati vocationibus intenſiſsimis, tam interioribus, quam exterioribus reſtiterunt, aliqui minori vocatione non reſtiterunt.

179 Et ſanè Ven. Mater Ma-

Maria de Agreda teſtatur, tantæ excellentiæ, & perfectionis fuiſſe gratiam à Deo collocatam Iudæ in nocte Cœnę, quod, ſi diſtribueretur per partes inter omnes homines, etiam ſceleratiſsimos: ad Deum converterentur, & tamen Iudas noluit cum ipſa converti. Et proinde ſequitur, quod conſenſus infallibiliter ſequatur, vel non ſequatur ad auxilium moraliter movens, & aliciens, non provenit, nec provenire poteſt ex maiori, aut minori intenſione gratiæ.

180 Prob. 6. Concluſ.: ſi efficatia gratiæ conſiſteret in vocatione, ſic attemperata, ut certò, & infallibiliter moraliter atraheret conſenſum, neceſsitando moraliter ad ipſum, Deus cognoſceret futuritionem talis conſenſus vi conexionis moralis, & infallibilis inter auxilium, & conſenſum; ſed hoc eſt falſum: ergo, &c. Prob. min.: cognitio Dei de futuritione conſenſus (loquimur de futuritione abſoluta) eſt metaphyſicè certa, & infallibilis; ſed cognitio, quam Deus poteſt habere de futuritione conſenſus in vi auxilij, moraliter tantum conexi cum conſenſu, non eſt metaphyſicè certa, & infallibilis: ergo, &c. Prob. minor: omnis cognitio metaphyſicè certa, & infallibilis, neceſſario nititur motivo, vel determinativo, habente metaphyſicam conexionem cum obiecto cognito; ſed conexio, quam habet auxilium, moraliter determinans, cum conſenſu, non eſt metaphyſicè certa, & infallibilis: ergo, &c. Maior conſtat; quia maior, vel minor certitudo deſummitur a maiori, vel minori conexione medij, vel determinativi cum obiecto cognito, & conſequenter ſcientia metaphyſicè infallibilis indiget medio metaphyſicè conexo cum re cognita. Minor admittitur, à Contrarijs, qui in auxilio, moraliter determinativo, ſolam concedunt conexionem moralē.

181 Confirm.: eo communiter Theologi ad actum ſupernaturalem fidei exigunt pro motivo authoritatem divinam, impotentem fallere, & falli, quia actus fidei ſupernaturalis eſt omnino infallibilis, non ſolum ſubiectivè, ſeu ex parte habitus, ſed etiam obiectivè, & ex parte motivi; ſed, ſi ad ſcientiam metaphyſicè infallibilem ſufficeret motivum, vel determinativum, habens conexionem, dumtaxat moralem, & non metaphyſicam, cum obiecto cognito, ſine fundamento exigerent Theologi ad actum fidei divinæ, & ſupernaturalis pro motivo authoritatem divinam, impotentem fallere, & falli: ergo non eſt dubitandum, quin ad certitudinem metaphyſicam cuiuſcum actus neceſſariò exigatur mo-

motivum, vel determinativum, metaphyſicè conexum cum conſenſu. Nunc ſic; ſed auxilium, moralitèr infallibilitèr determinativum voluntatis ad conſenſum, non eſt metaphyſicè conexum cum conſenſu: ergo ſcientia Dei de tali conſenſu non eſt metaphyſicè certa, & infallibilis. Minor principalis patet; quia, ſi ad certitudinem metaphyſicam actus fidei divinę, & ſupernaturalis ſufficeret conexio moralis motivi cum actu, tunc fides niteretur authoritate Dei, loquentis verum, potentis tamen, tam phyſicè, quàm metaphyſicè loqui falſum; & ſic numquam daremus dictis Dei aſſenſum, excludentem formidinem, & dubitationem, ne fortè revelationi ſubſit falſitas.

182 Explicatur hoc in actu fidei, habente pro motivo authoritatem humànam: actus fidei, nixus authoritate humana, non eſt metaphyſicè certus, & infallibilis, & ſi actus ſit verus, nam, etſi ſit moralitèr impoſsibile, omnes homines concorditèr mentiri, non tamen repugnat metaphyſicè, omnem collectionem hominum falſum dicere: ergo cognitio, nixa motivo, aut determinativo, tantum moralitèr certo conexum cum conſenſu, non eſt certa, & infallibilis metaphyſicè. Prob. conſeq.: ideò actus fidei humanæ non evadit metaphyſicè certus, & repugnans falſitati, quia motivum, determinans ad talem actum, non habet metaphyſicam conexionem cum obiecto credito: ergo ſimilitèr, & cognitio, objectivè determinata à medio, non habente conexionem metaphyſicam cum objecto cognito, non eſt metaphyſicè infallibilis: ergo cum auxilium, moralitèr determinativum voluntatis ad conſenſum, non habeat, niſi conexionem dumtaxàt moralem cum conſenſu, ſcientia Dei de futuritione talis conſenſus nequit eſſe metaphyſicè infallibilis, ſed ad ſummum infallibilis tantum moralitèr.

183 Noſter Franciſcus Felix reſpondet, quod, quamvis ſcientię Dei de futuritione conſenſus repugnet conſequentèr falſitas, non tamen antecedentèr, quia, licèt in voluntate, moralitèr determinata ad conſenſum, detur potentia antecedentèr ad oppoſitum, non tamen conſequentèr, & in ſenſu compoſito determinationis moralis. Sed contra primò: ſcientiæ Dei de futuritione conſenſus repugnat falſitas, non ſolum conſequentèr, ſed & antecedenter: ergo, &c. Prob. antec.: ſcientia Dei,

an-

antecedentèr ſumpta, vel exiſtit in Deo, vel non? Si primum, dicit ſenſum compoſitum cognitionis, & falſitatis, quæ repugnans eſt ſcientiæ Dei. Si ſecundum, talis ſcientia nequit dici vera, vel falſa; quia quod non eſt, nec verum, nec falſum eſt. Contra ſecundò: dum dicitur, in voluntate, moralitèr determinata ad conſenſum, dari potentiam antecedentèr ad oppoſitum, non vero conſequentèr, & in ſenſu compoſito, vel eſt ſenſus quod voluntas non poteſt ſimul ponere conſenſum, & diſſenſum; & hoc quidem veriſsimum eſt, & à nullo negatur: vel eſt ſenſus, quod voluntas in ſenſu compoſito auxilij efficacis, moralitèr connexi cum conſenſu, nequeat ponere diſſenſum, conjunctum cum tali auxilio, & hoc falſiſſimum eſt; quia nulla eſt repugnantia, nec phyſica, nec metaphyſica, ut diſſenſus actu conjungatur cum auxilio, moralitèr determinante voluntatem ad conſenſum: ergo, cum ſcientia Dei de conſenſu ſit metaphyſicè infallibilis, nequit niti, tamquam motivo, tali auxilio. Alitèr reſpondent alij Adverſarij, quorum fundamenta poſtea examinabuntur.

184 Prob. 7. Concluſ.: de eſſentia auxilij moralitèr determinantis, eſt actualis conjunctio cum conſenſu, vel non? Si primum: ergo tale auxilium per nullam potentiam, adhuc metaphyſicam, poteſt ſeparari à conſenſu. Prob. conſequent.: tam impoſsibile eſt in omni linea, etiam metaphyſica, quod tale auxilium ſeparetur à conſenſu, ac eſt impoſsibile, quod ſeparetur ab eſſentia ſua; cum actualis conjunctio cum conſenſu ſupponatur eſſe de eſſentia talis auxilij; ſed nulla res, adhuc per potentiam metaphyſicam poteſt ſeparari à ſua eſſentia: ergo tale auxilium, &c. Nunc ſic; ſed de eſſentia conjunctionis actualis cum conſenſu eſt repugnantia eſſentialis eſſendi ſine conſenſu, & ſimul neceſſitas eſſentialis eſſendi cum illo: ergo tale auxilium dicit repugnantiam eſſentialem eſſendi ſine conſenſu, & conſequentèr, non ſolum moraliter, ſed & metaphyſicè, & eſſentialitèr neceſsitat potentiam. Si ſecundum: ergo, etiam ſi tale auxilium ſepararetur à conſenſu, adhuc maneret cum ſua eſſentia, & conſequentèr actualis conjunctio cum conſenſu, non eſt de eius eſſentia.

185 Reſpondet Bernique in additionibus ad litteram Sendin, hoc argumen-

tum Patris Aranda, primo aſpectu pulchrum, & ſubtile apparere, ſibi tamen videre fucatum, deſtruereque quod intendit aſtruere; quare diſtinguit ipſe primam partem dilematis: de eſſentia auxilij, &c., eſt conjunctio actualis libera cum conſenſu cum poteſtate phyſica, & metaphyſica ad non conjugi cum illo, concedit: conjunctio actualis non libera, & ſeparata à poteſtate phyſica, & metaphyſica ad non conjungi cum conſenſu, negat, & ſimiliter negat primam conſequentiam, vel melius, inquit, implicat in terminis; quia ſi eſſentia talis auxilij moralis eſt actualis conjunctio cum conſenſu, includendo potentiam phyſicam, & metaphyſicam ad non conjungi cum illo cum nihil poſsit ſeparari à ſua eſſentia, tale auxilium nequibit ſeparari à poteſtate non conjungendi ſecum conſenſum. Unde de eſſentia ſua eſt, quod conjungatur cum conſenſu, ſed non eſt de ejus eſſentia, quod non poſsit ſeparari ab illo. Ad ſecundam part. dilematis diſtinguit conſequens: ergo etiam ſi tale auxilium ſepararetur à conſenſu per potentiam tantum phyſicam, vel metaphyſicam, maneret cum ſua eſſentia, concedit conſequentiam: ſi ſepararetur per potentiam, ſeu indifferentiam moralem, negat conſeq.; nam in hoc caſu deficeret eius eſſentia, quia deficeret determinatio moralis.

186 Verum hæc reſponſio peccat ex duplici capite. Primo ex eo, quod alibi expreſsè militat contra Authorem. Secundo ex eo, quod ſit in ſe falſa. Primum patet ex ipſo Bernique Tract. de Scientia Dei lib. 2. Diſputat. 3. num. 112., ubi eidem argumento, mutatis terminis: *auxilij moralis* in: *prædeterminationem moralem*, in perſona Patris Soxa reſpondet diſtinguendo ſic min.: ſed eſſentia prædeterminationis moralis eſt quod ſemper conjungatur cum actu, & poſsit phyſicè, & metaphyſicè non conjungi cum illo, concedit minorem: actualis conjunctio ſine tali poteſtate, negat minorem; quia eſſentia talis prædeterminationis moralis, ut non deſtruat libertatem, debet includere talem potentiam phyſicam ad oppoſitum: unde conjunctio actualis, & exercita non poteſt illi eſſe eſſentialis, ſed tantum ſignatè, & exigentialiter, & hoc, exigentia non phyſica, aut metaphyſica, ſed tantum moraliter, qua fallibiliter phyſicè petat conjungi cum actu; alias nulla potentia dabitur ad oppoſitum. Nunc ſic; ſed ſi hæc ſolutio

eſt

eſt vera (ipſa namque negat Soxa) opponitur contradictoriè reſponſioni, datæ numero antecedenti, ubi docetur, conjunctionem actualem, & exercitam eſſe de eſſentia auxilij, moraliter determinantis: ergo talis ſolutio militat contra Authorem.

187 Quod verò reſponſio in ſe ſit falſa demonſtratur: nam prorsùs repugnat per quamcumque potentiam, non ſolum, quod res aliqua ſeparetur à ſua eſſentia, verum etiam, & quod retineat poteſtatem ullam ad oppoſitum ſuæ eſſentię. Ad modum quo, quia de eſſentia hominis eſt, quod ſit animal rationale, homo non ſolum non habet ullam potentiam, ut ſeparetur à ſua eſſentia, verum nec ad poſſe ſeparari ab illa poterit retinere poteſtatem. Unde cum de eſſentia auxilij moraliter determinativi ſit actualis coniunctio cum conſenſu, per nullam potentiam poterit ſeparari à conſenſu, nec potentiam ullam retinere adhuc ad poſſe ſeparari. Quomodo ergo poteſt dici, quod in voluntate determinata per principium aliquod, antecedenter conexum cum effectu, de cuius principij eſſentia eſt actualis conjunctio cum effectu, ſiter potentia ulla, ſivè phyſica, ſivè metaphyſica ad oppoſitum effectum?

188 Reſpondet Bernique citat. in additionibus, quod licèt actualis conjunctio cum conſenſu ſit de eſſentia auxilij efficacis, hoc tamen non tollit, quominùs poſsit ſeparari ab illo ſito ſit etiá de eius eſſentia: immò poteſtas, inquit, ut poſsit ſeparari à conſenſu, includitur in eius eſſentia. Hęc reſponſio eſt ratio dubitandi: nam quod vertitur in dubium eſt, quomodo conjunctio actualis, & exercita cum conſenſu ſit de eſſentia auxilij efficacis, & ſimul, quod poteſtas phyſica, & metaphyſica ad non eſſe conſenſus includatur in eſſentia talis auxilij; quia ſemel ſuppoſito, quod per poſſe phyſicum, vel metaphyſicum ponatur in ſenſu compoſito auxilij carentia conſenſus, in quo, juxta Sendin, & ſuos, nulla eſt repugnantia, nec phyſica, nec metaphyſica, tunc ſanè non exiſtit conjunctio actualis, & exercita auxilij efficacis cum conſenſu, & ſic in totum deſtruitur eſſentia talis auxilij; & conſequenter non erit inconveniens aſſerere, quod hæc, vel illa res includat in ſua eſſentia aliquod prædicatum de ſe deſtructivum ſuæ propriæ eſſentiæ, ſeu naturæ, quod bonę philoſophiæ non conſonat: immò eſſet idem, ac, ut fert

ada-

adagium, viperam in ſinu fovere. Ex quibus patet ad reſponſionem datam duplici parti dilematis; nam caſu, quo auxilium efficax ſepararetur à conſenſu, non ſolum per poteſtatem moralem, ſed etiam per poteſtatem phyſicam, aut metaphyſicam, remaneret ſine ſua eſſentia. Unde meliùs foret afferere cum Soxa, auxilium moraliter efficax, connecti metaphyſicè cum conſenſu.

189 Prob. 8. Concluſio: poſsibili poſito in eſſe, nullum ſequitur impoſsibile; ſed poſito in eſſe, quod per potentiam phyſicam, & metaphyſicam omittatur actus, ad quem voluntas eſt moraliter determinata, ſequitur quoddam impoſsibile, ſcilicet, quod ſcientia Dei de tali actu ſit falſa: ergo, vel per nullam potentiam eſt poſsibilis omiſsio talis actus, vel nulla dabitur ſcientia in Deo de eius infallibilitate. Huic rationi reſpondet Sendin diſtinguendo illud commune axioma: poſsibili poſito in eſſe, nullum ſequitur impoſsibile, ſi poſsibile poſitum in antecedenti, ſit poſsibile omni poſsibilitate, concedit mai.: ſi poſsibile poſitum in antecedenti ſit poſsibile phyſicè, & metaphyſicè, non verò moraliter, ſubdiſtinguit; nullum ſequitur impoſsibile phyſicum, aut metaphyſicum, concedit: nullum ſequitur impoſsibile morale, negat. Dicit ergo, quod poſitio actus poteſt eſſe poſsibilis, & moraliter, & phyſicè, & metaphyſicè: & in hoc caſu omiſsio actus in nullo ſenſu eſt impoſsibilis; attamen caſu quo omiſsio actus eſſet poſsibilis tantum phyſicè, & metaphyſicè, & non moraliter, tunc ex poſitione omiſſionis, ſequitur impoſsibile morale. Unde, poſitis auxilijs, moraliter determinantibus voluntatem ad conſenſum, omiſsio conſenſus infert impoſsibile morale, non verò phyſicum, aut metaphyſicum. Ex hoc autem, inquit, minimè ſequeretur fruſtratio ſcientiæ Dei de conſenſu; quia talis ſcientia non affirmat poſitionem actus per negationem poteſtatis phyſicæ, & metaphyſicæ ad illum omittendum; ſed quod ex voluntate cum his circunſtantijs, vel auxilijs infertur infallibiliter actus; quare, ſi voluntas omitteret, dummodò non omitteret virtute indifferentię moralis, ſed tantum poteſtatis phyſicæ, aut metaphyſicæ, minimè ſcientia Dei redderetur falſa.

190 Sed hæc ſolutio impugnanda eſt eodem fundamen-

mento ac ſolutio antecedens P. Bernique ; nam dato , quod per poteſtatem phyſicam , aut metaphyſicam poneretur omiſſio actus , determinati per auxilium efficax morale , non ſolum ſequeretur impoſsibile morale , verum etiam , & plura metaphyſicé impoſsibilia. In primis enim indè ſequeretur dectructio eſſentiæ auxilij moralitèr efficacis ; ſiquidem poſita per quamcumque potentiam omiſsione actus , ad quem determinat auxilium, per nullam potentiam exiſteret talis actus ; alioquin per unam potentiam exiſteret , & per aliam non exiſteret , quod eſt contradictio : & cum conjunctio actualis , & exercita cum actu ſit de eſſentia talis auxilj , & in caſu omiſsionis actus non exiſteret talis conjunctio , planè deſtrueretur eſſentia talis auxilij. Unde cum iuxta veram philoſophiam , metaphyſicè repugnet deſtructio eſſentiæ cuiuſcumque rei , ſivè talis res ſit ens reale , ſivè rationis , aut morale , remanente tali re in ſuo eſſe , inde eſt, quod , ſi per poteſtatem phyſicam, aut metaphysicam omittatur actus , ſit prorsùs indiſpenſabile , quod auxilium moralitèr efficax careat ſua eſſentia metaphyſica , ſcilicèt, actuali conjunctione cum actu. En unum impoſsibile metaphyſicum.

191 Deindè ex omiſsione talis actus ſequeretur falſificatio ſcientię Dei , quod eſt alterum impoſsibile metaphyſicum ; nihil enim impoſſibilibus , quam ſcientiam , in Deo exiſtentem , reddi falſam. Quod verò tunc caſus falsificaretur ſcientia Dei patet ex iam dictis. Immò ipſe Sendin, explanans hanc difficultatem, ait : *igitur omiſsio actus falſificaret ſcientiam Dei : : : quia non daretur illatio moralis actus.* Ubi innuit, certitudinem, & infallibilitatem metaphysicam ſcientiæ Dei de futuritione actus fundari in certitudine , & infallibilitate morali illationis actus ex auxilio, quod ſupra rejectum eſt. Nec magis placet alia reſponſio eiuſdem Sendin ajentis : *vel poteſt addi , quod illa potentia , ſcilicèt , phyſica , non reducitur ad actum : : quia voluntas non vult reducere illam ad actum vi propenſionis, quam habet ad actum oppoſitum medijs auxilijs moralitèr efficacibus.* Non placet , inquam, quia , vel loquitur de propenſione innata voluntatis , & hoc non ; quia ſic efficatia auxilij reduceretur,

ad

ad aliquod naturale ; vel loquitur de propenſione, cauſata in voluntate per auxilia efficatia , antecedentèr determinantia : & ſic deſtrueretur libertas proxima voluntatis , de cuius ratione eſt , non determinari ab alio extrà ſe.

192 Sed jam video, quod Diſput. 4. ſect. 3. num. 48. hic reſpondet Adverſarius : *ex his omnibus ultimò infertur , quomodò divina prædefinitio habeat certitudinem metaphyſicam , etiam ſi ſit componibilis cum carentia conſenſus prædefiniti. Igitur prædefinitio efficax de conſenſu non utcumque conſenſum prædefinit, ſed conſenſum prout ponendum per media , habentia illationem moralem : quapropter , etiam ſi in voluntate ſit poteſtas phyſica, & metaphyſica ad ponendum diſſenſum cum prædefinitione conſenſus , tamen talis poteſtas non poteſt falſificare prædefinitionem; quia , ut dictum eſt , prædefinitio conſenſus liberi eſt prædefinitio per media moralia , moralitèr infallibilizantia conſenſum.* Unde, proſequitur : *dummodo non ſit indifferentia moralis ad ponendum diſſenſum nec liquàm falſificari poteſt prædefinitio ; neque enim in præſenti providentia aliud genus prædefinitionis exigitur : nam in hac providentia prædeſtinatio gloriæ eſt exequenda per media libera ; quapropter , & ſi poſita prædeſtinatione , merita prædeſtinati ſunt infallibiliter extitura , hæc tamen merita ponenda ſunt cum indifferentia , & libertate : hoc autem totum ſervatur , ſi , poſita prædeſtinatione , Deus conferat prædeterminationem moraliter prædeterminantem ; quibus poſitis, ſtabit infallibilis conſecutio gloriæ , & libertas etiam prædeſtinati.* Hæc omnia ſunt formalia verba P. Sendin.

193 Ex quibus liquido conſtat , genuinam iſtius Authoris mentem non eſſe , quod infallibilitas metaphyſica ſcientiæ Dei fundetur in infallibilitate morali illationis , ſeu moralis connexionis auxilij cum conſenſu , ſed in infallibilitate metaphyſica decreti efficacis prædefinitivi conſenſus. Unde , ſi hæc ratio in radicitus fundata doctrina de efficatia intrinſeca gratiæ , ſeu auxilij moralis antecedentèr determinativi voluntatis ad actum, non ſubſiſtit , nec ſubſiſtere poteſt doctrina Contrariorum, in qua fundatur. Quod verò talis doctrina , in qua ſtabilitur exiſtentia decreti efficacis prædefinitivi , ſeu prædeſtinativi in ordine intentivo (& hoc , ſive in ordine ad gloriam antepręviſa merita , ſive in ordine ad alium finem) ; etſi plauſibiliter recepta in Schola Scotiſt. non

ſit

ſit verior, nec probabilior, latè probatum manet Tract. de Prædeſtinatione: & quantum ad præſens attinet, nunc brevitèr reijcitur, & ſimul.

194 Prob. 9. Concluſ.: auxilium, regulatum per decretum deſtructivum libertatis, cum libertate non cohæret; ſed tale eſt auxilium certo, & infallibiliter moraliter efficax, determinans voluntatem ad conſenſum: ergo tale auxilium non datur. Prob. min.: auxilium moraliter efficax, determinativum voluntatis ad conſenſum, regulatur, iuxta Scotiſtas, moraliter determinantes, ſeu prædeterminantes, per decretum efficax prędefinitivum, & intentivum gloriæ ante prævia merita; ſed huiuſmodi decretum deſtruit libertatem: ergo & auxilium, quod per eum regulatur, deſtruit libertatem. In ſola minore ſtat difficultas. Prob.: quod reddit voluntatem inevitabiliter impeditam ad omiſſionem actus meritorij, deſtruit eius libertatem; ſed decretum efficax prædefinitivum, & intentivum gloriæ ante prævia merita, reddit voluntatem inevitabiliter impeditam ad omiſſionem actus meritorij: ergo, &c.

195 Prob. min.: id, quod antecedenter ad omne exercitium liberum voluntatis creatæ concipitur metaphyſicè cum actu meritorio; & aliunde eſt in impedibile à voluntate, reddit voluntatem inevitabiliter impeditatam ad omiſſionem talis actus; ſed ſic ſe habet decretum efficax prædefinitivum, & intentivum gloriæ ante prævia merita: ergo, &c. Minor quoad primam partem conſtat; quia tale decretum efficax prædefinitivum, non minus antecedit requiſita ad actum, ſcilicet, auxilia conferenda voluntati, licèt pro ſigno decreti nondum determinata, ac antecedit exercitium liberum ipſiuſmet voluntatis; ſed tale decretum neceſſariò antecedit media, ſeu auxilia, cum ſit eorum cauſa: ergo tenet prima pars minoris. Equidem minoris pars ſecunda, ſcilicet, quod tale decretum ſit prorſus inimpedibile à voluntate creata; probatur: quia, ſi eſſet impedibile, vel eſſet immediate in ſe ipſo, & hoc non; quia eſt à ſolo Deo, libere decernente: vel eſſet impedibile mediatè, ſeu in alio, quod etiam eſt falſum; quia quod ſuam exiſtentiam unice dependet à ſcientia ſimplicis intelligentię, quæ à nobis non eſt impedibilis: ergo, &c.

196 Confirmatur: decretum efficax prædefinitivum converſionis Petri v.g., independens quoad ſuam exiſtentiam à li-

ſibertate Petri, reddit eius voluntatem inevitabilitèr impeditam ad omiſsionem converſionis ergo lædit ejus libertatem in ordine ad converſionem. Prob. antec.: tale decretum eſt incompoſsibile cum omiſsione converſionis, & ſimul inimpedibile à voluntate: ergo, &c. Prob. antec.: ſtante tali decreto ad converſionem, voluntas caret aliquo ſimplicitèr neceſſario ad omiſsionem converſionis, & ſimùl caret potentia acquirendi illud neceſſarium: ergo, &c. Prob. antec.: voluntas ſic prædefinita non habet carentiam decreti prædefinitivi ad omiſsionem converſionis, nec potentiam acquirendi talem carentiam; ſed carentia iſtius decreti prędefinitivi eſt omninò neceſſaria ad omiſsionem converſionis; cum exiſtentia talis decreti de converſione Petri metaphyſicè connectatur cum converſione, & metaphyſice repugnet carentiæ converſionis: ergo, &c.

197 Variè reſpondent Contrarij huic rationi. Et in primis Sendin de Libero Arbitrio Diſput. 3. num. 29. ait: decretum efficax prędefinitivum conſenſus eſſe antecedentèr componibile cum diſſenſu; quia tale decretum, inſpecta tantummodo natura ipſius, nullam connexionem immediatam habet cum conſenſu, ſicut & nec repugnantiam immediatam cum diſſenſu. Unde, cum decretum prędefinitivum in tantum repugnet diſſenſui, in quantum connectitur cum conſenſu, inde eſt, quod, ſi ex natura ſua non connectitur immediatè cum conſenſu, quod neque ex natura ſua immediate repugnabit diſſenſui. Vult dicere; quod decretu prædefinitivum conſenſus eſt cauſa tantum remota, & mediata conſenſus; cauſa verò proxima, & immediata eſt auxilium efficax. Quarè cum auxilium efficax, ſecundùm iſtum Authorem, & eius ſequaces, relinquat poſſe phyſicum, & metaphyſicum in voluntate ad diſſenſum, idem aſſeritur de decreto efficaci prædefinitivo, per quod regulatur tale auxilium. Huius doctrinæ ratio ab ipſis aſsignata eſt: quia, quando unum extremum connectitur tantum mediatè cum alio, non eſt intelligibile, quod ſit maior connexio inter extremum immediatum, & eiuſdem effectum: ergo omninò implicat, auxilium poſſe componi cum diſſenſu, & quod cum eodem diſſenſu non poſsit componi prædefinitio.

189 Sed contra: ſubſiſtente hac ſolutione, non eſſet, unde poſſemus impugnare decre-

cretum efficax Thomiſticum, illativum, & prædeterminativum conſenſus; nam Thomiſtæ uno ore fatentur, tale decretum non connecti proximè, & immediatè cum conſenſu; omnes enim dicunt, antecedens immediatè connexum cum conſenſu eſſe quandam qualitatem, creatam à Deo in tempore, quæ dicitur *præmotio phyſica*, cum qua conſenſus infallibiliter connectitur. Iſtam qualitatem ex ſuppoſitione decreti efficacis prædefinitivi conſenſus, Deus tenetur conſecutivè producere, & communicare potentię; nam, cum Deus ſit intrinſicè immutabilis, nequit non apponere medium inductivum finis, à ſe ipſo efficaciter pręintenti. Hoc totum, proportione ſervata, verificatur in ſententia, quam impugnamus: nam ſuppoſito decreto prędefinitivo conſenſus, Deus tenetur volens, nolens, communicare voluntati aliquod auxilium efficax moraliter determinans ipſam ad elicientiam conſenſus.

199 Non valet recurrere ad diſsimilem qualitatem medij, dicendo, quod medium Thomiſtarum ſit quædam qualitas phyſica non viva, intrinſecè recepta in potentia, ipſam ita intrinſecè præmovens, quod in ſenſu compoſito talis medij, nulla ſit in voluntate poteſtas proxima ad oppoſitum conſenſus; ſecùs vero accidit in opinione Sendin, ubi auxilium efficax, quia tantum moraliter determinat voluntatem, relinquit in ipſa in ſenſu compoſito ſui poteſtatem phyſicam, proximè, & expeditè talem ad oppoſitum conſenſus. Non valet, inquam, quia, licet ex vi decreti, prædefinitivi conſenſus, voluntas in tempore nihil intrinſecum phyſicum recipiat, quo intrinſecè phyſicè determinetur ad unum, cum hoc tamen componitur, quod ſit determinata unicè ex vi decreti efficacis prædefinitivi conſenſus, omninò antecedenter ad uſum noſtræ libertatis. Eſt ratio: quia longè maior vis ineſt decreto prędefinitivo increato voluntatis divinæ, quam ulli qualitati creatæ, phyſicè prædeterminanti, & voluntati inhærenti: undè, ſi hæc qualitas creata, & motio phyſicè inhærens, juxta Scotum, & Scotiſtas, pugnat cum libertate creata, multò magis cum illa pugnabit decretum efficax prædefinitivum voluntatis divinæ.

200 Præterea dum Sendin citat. num. 57. ait, quod, quando unum extremum connectitur mediatè cum alio, non eſt intelligibile, quod ſit ma-

maior connexio inter extremum mediatum, & eundem effectum, nihil aliud vult dicere, niſi quod inter decretum efficax prędefinitivum conſenſus, & ipſum conſenſum non ſit maior connexio, quam inter auxilium, moralitèr determinans ad conſenſum, & eundem conſenſum. Ex quo infero ſic: ergo, & ſi inter decretum prędefinitivum, quod eſt extremum mediatum, & conſenſum non ſit maior connexio, quam inter auxilium moraliter determinans, quod eſt extremum immediatum, & conſenſum, erit ſaltèm æqualis connexio utrobiquè: nam, ſi non eſt maior, ut ait Adverſarius, neque aliundè poteſt eſſe minor, ſequitur, quod ſit æqualis. Ex quibus ſic arguo: æqualis connexio inter decretum efficax, & conſenſum, ac inter auxilium, moralitèr determinans, & eidem conſenſum; ſed inter decretum efficax prædefinitivum conſenſus, & ipſum conſenſum datur connexio, nedum moralis, ſed etiam metaphyſica; ita ut metaphyſicè repugnet, conſenſum non eſſe, ſuppoſito decreto efficaci prędefinitivo illius: ergo eadem connexio datur inter auxilium moralitèr determinans, & conſenſum determinatum; ſed conſequens eſt contra Sendin, qui unicè admittit connexionem moralem inter auxilium, & conſenſum: ergo & illud, ex quo ſequitur.

201 Reſpondet Adverſarius, argumentum urgere, caſu quo decretum efficax prędefinitivum conſenſus eſſet antecedentèr infruſtrabile; quapropter ipſe docet, decretum efficax prędefinitivum eſſe antecedentèr fruſtrabile à creatura, licèt non conſequentèr. Et explicans huiuſmodi fruſtrabilitatem antecedentem, ait: in alio non conſiſtere, niſi in eo, quod decretum ex natura ſua non ſit principium, immediatè per ſe influens in conſenſum; cum ſe ipſo unice ſit virtus immediatè determinans Deum ad ponenda media, quibus poſitis, conſenſus erit infallibilitèr. Unde decretum nullam aliam connexionem habet cum conſenſu præter illam, quam habent ipſa media, & conſequentèr, cum media ex natura ſua ſint antecedentèr componibilia cum carentia conſenſus, ita ſimilitèr & decretum, & ſic tale decretum eſt antecedentèr fruſtrabile.

202 Verum hęc ſolutio, teſte Bernique in additionibus, eſt contra ipſum Sendin, qui poſtquàm finivit hunc Tractatum re maturius ait, & ſubtilius inſpecta, oppoſitum docuit, ſcilicèt, prædefinitionem in-

ſintentivam, quæ Deus prædefinit poſitionem alicuius actus liberi, eſſe antecedentèr infruſtrabilem, & meritò quidem ſe retractavit; nam & prorsùs repugnat concipere, quod Deus ordine intentivo, ut loquuntur Contrarij, efficaciter prædefiniat converſionem Petri v.g., & quod in Petro detur ulla poteſtas ad fruſtrandam talem prædefinitionem; quia ſemel quod Deus efficaciter prædefineat converſionem Petri, jam velit, nolit, tenetur apponere medium efficax illativum talis converſionis, ſive tale medium inferat liberè, ſivè neceſſariò converſionem, á quo nunc prçſcindimus; quia nihil conducit ad fructrationem decreti, quod medium, ſivè liberè, ſivè neceſſariò inferat converſionem. Ratio eſt evidens; quia, quamvis fuit Deo liberum prçdefinire, vel non converſionem Petri, tamen ſemel ac prçdefinivit ipſam, jam repugnat metaphyſicè negatio talis determinati; alioquin non repugnaret metaphyſicè, Deum mutari; ſed eodem modo, quod repugnat negatio talis decreti, repugnat negatio termini decretati, ſine quo decretum non eſſet: ergo metaphyſicè repugnat negatio converſionis. Ex quibus conſtat, quod eadem ratione, qua decretum eſt antecedentèr infruſtrabile, negatio termini decretati repugnet metaphyſicè.

203 Suppoſita vero infruſtrabilitate antecedenti prædefinitionis, efficacis intentive, converſionis Petri, reſpondet Bernique, talem converſionem eſſe adhuc proximè formaliter liberam quia talis prçdefinitio, vi cuius neceſsitatur Deus ad ponenda media, moraliter alicientia voluntatem ad conversionem, ſolum ponit neceſsitatem moralem conversionis, reiicta libertate physica proxima in Petro, ad non converti: quòd verò non exerceatur iſta libertas physica proxima, provenit ex natura ipſius libertatis, quç eſt libera, & ſemper ponit actum, à cuius obiecto maximè alicitur, & invitatur. Quam reſponſionem fundare connatur in Doct. in 1. diſt. 40. §. *ad queſtionem*: cuius authoritatis examen remittitur ad ſolutionem argumentorum. Hæc ſolutio nihil novi affert ultra jam dicta, & ulterius refutatur etiam ex jam adductis; quia longè maior vis ineſt decreto efficaci prædefinitivo voluntatis divinæ, quàm ulli creatæ præmotioni phyſicç inhærenti: ergo, ſi iſta prçmotio pugnat cum libertate, juxta omnes, qui ſunt extra Schol. Thomiſt.;

mul-

multo magis pugnabit cum illa decretum efficax prædefinitivum voluntatis divinæ.

204 Nec valet dicere, quod tale decretum prædefinitivum converſionis ſolum antecedit ipſam antecedentia æternitatis ad tempus, non verò antecedentia cauſalitatis ad effectum; ſicut antecedit converſionem prædeterminatio Thomiſtica; propterea que talis qualitas pugnat cum libertate, non verò decretum. Non valet, inquam; quia, ideò talis qualitas deſtruit libertatem, quia non eſt in poteſtate voluntatis illam acquirere, nec ſimul poſitam, auferre, nec in ſenſu compoſito ei reſiſtere, & aliunde ipſa, juxta ſuos patronos, eſt indiſpenſabiliter neceſſaria, ut voluntas operetur; ſed, nec eſt in poteſtate voluntatis creatę acquirere decretum prædefinitivum nec illud auferre, ſemel, quod ſupponatur exiſtens, neque ei, in ſenſu compoſito reſiſtere, & aliunde eſt indiſpenſabiliter neceſſarium juxta Adverſarios, ſaltem in præſenti providentia, ut voluntas operetur: ergo, vel qualitas prædeterminans non lædit libertatem, vel ipſam lędit decretum prędefinitivum. Minor conſtat; quia eo ipſo, quod tale decretum ſit antecedenter inimpedibile, ſequuntur omnia poſita in minore. Ex quibus conſtat, non provenire ex natura voluntatis, quod exerceatur, vel non libertas phyſica potentiæ moraliter determinatæ; in nulla enim linea eſt poſsibile, quod voluntas ex natura ſua habeat facultatem operandi contra decretum prædefinitivum, antecedenter infruſtrabile.

205 Alia via procedit Bernique citatus, inquiens: aliter poteſt deffendi hæc infruſtabilitas prædefinitionis; nam prædefinitio, non ſolum habet connexionem cum auxilio efficaci, ſed etiam cum decreto concomitanti ad conſenſum; ſed poſito decreto concomitanti, nulla eſt poteſtas in voluntate, nec phyſica, nec metaphyſica ad ponendum pro eo ſigno diſſenſum: ergo nulla eſt poteſtas ad fruſtrandam prædefinitionem. Maiorem ſupponit., & probat min.; nam decretum concomitans eſt in eodem ſigno, in quo eſt determinatio voluntatis creatę ad conſenſum; ſed in eo ſigno, in quo eſt determinatio voluntatis creatæ ad conſenſum, nulla eſt poteſtas phyſica, aut metaphyſica in voluntate ad ponen-

nendum pro eodem ſigno, nec diſſenſum, nec omiſsionem conſenſus ; alioquin in voluntate eſſet poteſtas ſimultatis odij, & amoris : Hęc reſponſio eſſet bona , ſi prima maior eſſet vera. Sed , quia eſt abſolutè falſa, ſolutio eſt prorſus nulla. Quare ſic impugnatur , & ſimul

206 Probatur 10. Concluſio : ideò auxilium, moraliter efficax , non lædit libertatem, quia decretum efficax, prædefinitivum actus, per quod regulatur tale auxilium , non ſolum connectitur cum ipſo auxilio , ſed etiam cum decreto concomitante ; ſed hoc eſt falſum : ergo , &c. Prob. min. : ut decretum efficax prædefinitivum converſionis , Petri v. g., connecteretur cum decreto concomitanti , erat omninò neceſſarium , quod Deus in ſigno ſubſequente Decretum prędefinitivum , videret actum primum libertatis Petri proximè expeditum ad conſenſum , & ad eius omiſsionem ; ſed pro ſigno , ſubſequente decretum prædefinitivum converſionis , nequit Deus videre actum primum libertatis Petri , proximè expeditum ad converſionem, & eius omiſsionem : ergo : &c. Maior patet : quia decretum concomitans ex natura ſua petit, quod pro ſigno antecedente ad ſui exiſtentiam , videat Deus voluntatem creatam proximè indifferentem , & exparte actus primi ad utramque contradictionis partem. Prob. min.: ut Deus videat actum primum libertatis Petri proximè expeditum ad converſionem, & ejus omiſsionem , neceſſarium eſſet, quod videret decretum indifferenter applicativum ſuæ Omnipotentiæ, nam huiuſmodi decretum eſt eſſentialiter neceſſarium , ad conſtituendum actum primum proximum , indifferentem ad utramque partem contradictionis ; ſed ſtante decreto efficaci prædefinitivo converſionis Petri , pro nullo ſigno ſequenti eſt poſsibile decretum illud indifferens , ſeu indifferenter applicativum Omnipotentiæ : ergo , &c. Prob. min. : pro nullo ſigno eſt poſsibile , dari in Deo decretum aliquod , quod ex ſua natura poſsit deſtruere aliud decretum prius, & abſolutum , in Deo exiſtens ; ſed decretum , indifferenter applicativum Omnipotentiæ ex ſua natura poteſt deſtruere decretum efficax, prædefinitivum converſionis Petri , nam caſu , quo Petrus poſsit ſub illo decreto , indifferenter applicativo.

Om-

Omnipotentiæ ad converſionem, & ejus omiſsionem, ſe determinare; demus, quod eligeret, ut poteſt, omiſsionem præ converſione, deſtrueretur illud decretum prius efficax, & abſolutum: ergo, &c. Et conſequenter repugnat, decretum prædefinitivum, ſi daretur, connecti cum decreto concomittanti. Immò tale decretum excludit decretum, indifferenter applicativum Omnipotentiæ; & conſequenter omnem neceſsitatem decreti concomitantis pro ſalvenda libertate. Unde, cum Scotiſtæ, contra quos agimus, extrenuè defendant, neceſsitatem decreti comitantis pro ſalvanda libertate, planè ignoro, quomodo ex alia parte tuentur decretum efficax, prædefinitivum actus liberi, jure libertatis in infracto, & quin aliundè ex eorum doctrina ſequatur, voluntatem divinam, & ſi numquam mutetur, eſſe proximè expoſitam mutabilitati.

207 Prob. 11. Concluſ.: ſi efficatia gratiæ conſiſteret in prædicta vocatione congrua, & ſic attemperata voluntati, ut ipſam moraliter, & infallibiliter determinet ad perſeverantiam finalem v. g., à qua dependet conſecutio gloriæ, ſequæretur, Deum non velle ſeriò, & efficaciter, quantum eſt ex parte ſui ſalutem finalem reproborum; ſed hoc eſt contra illud Pauli: *Deus vult, omnes homines ſalvos fieri*: ergo, &c. Prob. ſequela: ſi Deus ſeriò vellet perſeverantiam finalem reproborum, ſicut ſeriò, & efficaciter confert illis, quos ipſe prædeſtinat ad gloriam, gratias congruas, ut eliciatur perſeverantia finalis, ab ipſo liberaliter prædefinita, ita etiam negativè reprobis & non electis deberet pariter conferre ſimiles gratias congruas; ſed hoc non facit, immo non electis ſeligit gratias incongruas, ſeu cognitas, ut inefficaces, ne habeant perſeverantiam finalem, quę ipſis non eſt prędefinita: ergo, &c. Minor conſtat: quia, eo ipſo, quod Deus efficaciter prædefineat aliquos ad gloriam ante prævisa eorum merita, reliquis non electis, ſeu negativè reprobis, ante prævisa eorum demerita, ęquè infallibilile eſt negativè reprobos eſſe damnandos, ac electos eſſe ſalvandos; ſed electi ante pręviſa merita non ſalvantur, iuxta Adverſarios, niſi quia Deus confert illis in tempore gratias congruas, quibus gloriam conſequantur: ergo nec negativè reprobi damnantur, niſi quia Deus virtute reprobationis negativæ gratias prævisas,

ut

ut non habituras effectum, dat illis : quod, an bonitati Dei, volentis, omnes ſalvari, quadret? judicet quiſque.

208 Confirm. ab oppoſito : ſemel ſtatuto decreto collativo gloriæ ex prævisione bonorum operum in gratia, & ex gratia elicitorum, nulla eſt neceſsitas auxilij efficacis, moraliter determinantis, neceſsitantiſque potentiam ad conſecutionem gloriæ ; ſed nos in præſenti ſupponimus, decretum efficax, collativum gloriæ eſſe ex pręviſione bonorum operum : ergo, ut conſequenter procedamus, debemus negare auxilium efficax, moraliter determinans, & neceſsitans potentiam ad actum, intuitu cuius confertur gloria. Prob. maior : eo ipſo, quod decretum collativum gloriæ ſit ex pręvisione bonorum operum, non datur locus decreto prædefinitivo efficaciter intentivo gloriæ ante pręviſa merita ; ſed non exiſtente iſto decreto, efficaciter intentivo gloriæ, non exiſtit, immò nec exiſtere poteſt auxilium efficax, moraliter determinans, & neceſsitans potentiam : ergo, &c. Maior conſtat ; quia decretum efficax prædefinitivum, intentivum gloriæ, non ſolum infert, verum etiam excludit omnem neceſsitatem decreti concomitantis. Minor etiam patet ; quia, non exiſtente regulativo, non exiſtit regulatum ; &, juxta Scotiſtas Contrarios, decretum prædefinitivum eſt regulativum auxilij efficacis, moraliter determinantis.

209 Prædictæ probationi reſpondet Authores Contrarij, aſſerentes, in Deo dari voluntatem ſeriam, & efficacem, quantum eſt ex parte ſui, ſalvandi reprobos, quamvis iſtis non præparet gratias congruas, quibus re ipſa ſalutem conſequantur. Et huius dicti rationem aſsignantes, dicunt, Deum non conferre negativè reprobis gratias congruas, ut inde oſtendat, ſe eſſe Dominum ſuorum donorum, eſſeque magis liberalem erga prędeſtinatos. Quarè Deus non electis præbet auxilia, quæ non ſunt ſortitura effectum, ita tamen ea præbet, quod ad eorum collationem duo concurrant affectus. Quorum primus eſt ille generalis, quo vult, omnes homines ſalvos fieri : ſecundus verò eſt ille affectus ſpecialis, reſpiciens liberaliter prędeſtinatos : & iſte affectus ſpecialis, quo pure gratuito reſpicit prædeſtinatos, ſupponit pręviſionem mali uſus illorum auxiliorum in non electis : quo ſuppoſito, Deus malum

lum uſum ordinat ad finem illum ſpecialem maioris glorię prædeſtinatorum. Ita Sendin Tract. de Gratia Diſput. 5. num. 39.

210 Hęc ſolutio plura continet creditu difficilia: quid enim creditu difficilius, quam quod Deus ſerio exoptans ſalutem omnium, nemine dempto, ex motivo oſtenſionis ſui ſupremi dominij ſuper ſua dona, & ex fine manifeſtationis ſuę liberalitatis erga prædeſtinatos, reliquos omnes, qui pro ſigno prædeſtinationis non ſunt electi excludat à gloria? Non enim eſt credibile, prędeſtinatos, ſeu beatos poſſe judicare, Deum eſſe magis liberalem erga ipſos, aut aliquid glorificationis eis accreſcere ex eo, quod alios ſuos confratres, ipſis omninò ęquales antecedenter ad ſignum prędeſtinationis, ab eorum conſortio ęternaliter ſecludat. Immò magis liberalis judicaretur Deus ab eis, maiorque glorificatio eis accreſceret, ſi nullus omninò damnaretur. Unde Deum ex affectu illo ſpeciali erga prædeſtinatos prędevere reliquis auxilia erga conſecutionem gloriæ, quæ auxilia numquam ſunt ſortitura effectum, ex deametro pugnat cum illo affectu ſerio, &, quantum eſt de ſe, efficaci, quo Deus vult ſalutem omnium.

211 Nec juvat ratio contrariorum, dicentium, illum affectum ſpecialem erga prędeſtinatos; ſupponere malum uſum auxiliorum, prævium in non electis, & conſequenter, Deum ordinare, talem malum uſum ad finem glorificationis prædeſtinatorum. Non juvat, inquam, quia abſolutè falſum eſt, adhuc in ſententia Contrariorum, quod Deus pro ſigno intentionis efficacis conferendæ gratiæ, & gloriæ electis, prævideat demerita in non electis; cum adhuc pro tali ſigno, Deus; juxtà ipſos, nullum actum poſitivum habeat circa non electos, nam pro tunc merè negativè ſe habet. Quod totum docet Scotus in 1. diſt. 41. quæſt. unica; nam ibi reſpondens cuidam replicę, & tenens probabiliter, prædeſtinationem ante prævia merita eſſe, ait: *dici poteſt, quod in iſto primo inſtanti, in quo vult Petro gloriam, nihil vult Iudę, ſed tantum eſt ibi negatio volitionis gloriæ: & ſimiliter, quaſi in ſecundo inſtanti naturæ, quandò vult Petro gratiam, adhuc nullus actus poſitivus voluntatis divinæ eſt circa Iudam, ſed tantum negativus. In tertio inſtanti, quando vult permittere Petrum eſſe de maſſa perditionis, ſive dignum perditione, & hoc, ſive propter peccatum originale,*

ſivè actuale, tunc vult Iudam ſimili modo eſſe filium perditionis; & hic eſt primus actus poſitivus uniformis circa Petrum, & Iudam, ſed ex iſto actu eſt iſtud verum: Iudas erit finaliter peccator, poſitis illis negationibus, ſcilicèt, quod non vult ſibi dare gratiam, nec gloriam. In quarto inſtanti offertur Iudas, ut peccator finaliter voluntati divinæ, & tunc ipſe vult juſtè punire, & reprobare Iudam.

212 Ex quo textu duo notatu digna inferuntur. Primum eſt, quod Deus non prævideat malum uſum auxiliorum in non electis, nec in primo inſtanti, in quo electos efficacitèr prædeſtinat ad gloriam, nec in ſecundo inſtanti, in quo eos efficacitèr prædeſtinati ad gratiam: & conſequentèr Deus, nec ordinat, nec ordinare poteſt huiuſmodi malum uſum ad finem illius affectus ſpecialis, quem gerit erga prædeſtinatos; cum nihil ſit ordinabile ad aliquem finem pro ſigno, pro quo non eſt, nec futurum eſt, uti eſt malus uſus auxiliorum in non electis pro omni ſigno prędeſtinationis completę, & adæquatè in ordine intentivo; nam, ſecundum litteram Doct. cit., non prævidetur malus uſus auxiliorum in Iuda uſque ad quartum inſtans; Petrus autem in ſecundo inſtanti eſt completè prædeſtinatus in ordine intentionis. Quod dicitur de Petro, & de Iuda, intelligendum eſt proportionaliter, in omnibus prædeſtinatis, & reprobis.

213 Secundum, quod infertur eſt, quod data prædeſtinatione ante pręviſa merita, reliqui omnes, non ſolum negativè, ut volunt Contrarij, ſed & poſitivè excluduntur à gloria ante prævisa eorum demerita; nam demeritum, ſeu peccatum finale Iudę non offertur voluntati divinæ uſque ad quartum inſtans, in quo juſtè decernit, ipſum reprobare: & tamen pro tertio inſtanti, quando Deus vult, Petrum, & Iudam eſſe æqualiter filios perditionis, nihil prævidet Deus ex parte Petri, ut ſit finaliter ſalvus, niſi ſuam gratuitam electionem ad gloriam, & gratiam, nec ex parte Iudæ prævidet aliquid, quo ſit finaliter peccator, ſeu damnandus, niſi voluntariam negationem gratuitæ electionis Iudæ ad gloriam, & gratiam. Quibus ſuppoſitis ſic arguo: ſtante illa duplici gratuita electione Petri ad gloriam, & gratiam pro primo, & ſecundo inſtanti, erit verum dicere pro tertio inſtanti, quod Petrus, eſto pro tali inſtanti videatur in maſſa perditionis, erit poſitivè electus ad

gloriam : ergo ſimiliter , ſuppoſita illa duplici voluntaria negatione electionis Iudæ ad gloriam , & gratiam pro primo, & ſecundo inſtanti , erit verum dicere pro tertio inſtanti, quod Iudas ſimiliter exiſtens in maſſa perditionis , ſit poſitivè excluſus à gloria. Nunc ſic : ſed pro tertio inſtanti , pro quo, juxta Doct. , iſtud eſt verum : Iudas erit finaliter peccator, non prævidetur peccatum finale Iudæ ; cum hoc non prævideatur uſque ad quartum inſtans : ergo attenta littera textus Iudas eſt poſitivè excluſus à gloria ante prævisionem peccati finalis.

214 Prætereà patet ratione nam , qui abſolutè , & efficaciter vult aliquod totum, coalèſcens ex certis partibus, tantummodo in individuo cognitis , hoc ipſo efficaciter excludit omnes alias partes , ſi illa voluntas eſt infallibilis determinatio ; ſed Deus ita ſe habet, juxta Authores, ponentes prædeſtinationem independentem à meritis , ut quotquot eligit ad gloriam , eos efficaciter , & in individuo eligat : ergo reliquos poſitivè excludit. Declaratur familiari exemplo Architecti , mente concipientis , & determinantis aliquod ædificium conſtruendum: nam ſi iſte conſtructionem ædificij , quod intendit aliquos in individuo, & certos numero lapides , & non plures determinatos ad id eligit , eo ipſo cenſetur reliquos lapides in eorum cumulum electos , poſitivè reſpuere à conſtructione ædificij cum lapides neglecti ædificio ſervire nequeant , quin ab Architecto ſeligantur. Sic paritèr diſcurrendum eſt in ſententia contraria de Architecto divino, reſpectu ædificationis illius Cœleſtis Urbis Ieruſalem, ex vivis,& electis lapidibus conſtructæ , reliquis lapidibus ejuſdem naturæ, & perfectionis rejectis.

215 Prob. denique Concluſio : ſi efficacia gratiæ conſiſteret in vocatione congrua, & ſic attemperata voluntati, ut eam certò , & infallibiliter moraliter determinaret , & neceſſitaret ad conſenſum , non eſſet unde poſſemus impugnare hoc axioma Ianſenij de auxilio gratiæ prolatum ; *quod amplius nos delectat , ſecundum id operemur, neceſſe eſt* ; ſed hoc axioma impugnatur , & meritò ab omnibus Theologis cuiuſcumque Scholæ ; ergo , &c. Prob. mai.: ſenſus prædicti axiomatis, iuxta mentem Ianſenij non eſt, quod ſit neceſſarium neceſsitate phyſica , nos operaturos ſecundum inclinationem illius gratiæ, quæ magis nos delectat , ſed ſolùm , hoc eſſe neceſ-

ſa-

ceſſarium moralitèr : ergo, &c. Prob. antec. : juxta mentem Ianſenij, immò & iuxta veritatem, nequit intelligi neceſsitas phyſica operandi in potentia libera, abſque principio, vel forma phyſica, phyſicè determinante, ſeu prędeterminante potentiam ; ſed Ianſenius pro viribus defendit, gratiam efficacem, à ſe ſtabilitam, non eſſe, nec ſecum ferre talem formam phyſicam phyſicè prædeterminantem : ergo, &c. Minor prob. ex ipſomet Ianſenio lib. 8. de Gratia Chriſti cap. 2., ubi inter certa diſcrimina, quæ ibi ſtatuit inter ſuam gratiam efficacem, & auxilium efficax Thomiſt., ait: *tertium diſcrimen eſt iſtud : prædeterminatio phyſica talis eſſe dicitur, ut in quibuſcumque circunſtantijs voluntas collocetur ſemper faciat facere, & operetur effectum ſuum, omnemque ſuperet reſiſtentiam; Chriſti adjutorium nullo modo hoc facit, nam delectatio victrix, quę ab Auguſtino eſt efficax, adjutorium relativum eſt, &c.*

216 Ex quibus conſtat probatio minoris ; nam Ianſenius hic docet, gratiam, à ſe ſtabilitam non eſſe talem, ut in quibuſcumque circunſtantijs collocetur voluntas ſemper faciat facere, & operetur effectum ſuum, omnemque ſuperet reſiſtentiam ; ergo loquitur Ianſenius in illo ſuo axiomate de neceſsitate morali. Hæc ultima conſequentia patet ex illis verbis : *Chriſti autem adjutorium nullo modo*, id eſt : facit facere in quibuſcumque circunſtantijs, ſicut facit gratia phyſicè prædeterminans, quia tale adjutorium, quod communiter vocatur *victrix delectatio*, & in fraſi Auguſtini *adjutorium efficax*, eſt relativum, hoc eſt, aliquandò ſuperat, & aliquandò ſuperatur. Tunc talis delectatio, ſeu gratia dicitur *victrix*, quandò in uno, vel altero gradu ſuperat, ſeu excedit concupiſcentiam, quam ratione talis exceſſus vincit. Si verò contingat, concupiſcentiam in aliquo gradu ſuperare gratiam, tunc voluntas cum tali gratia non operabitur meritoriè : immò tota efficacia talis gratiæ neceſſariò diſsipabitur à quolibet ardentiori motu concupiſcentiæ, ſi iſta in uno intenſionis gradu delectationem gratiæ ſuperaverit. Hic eſt genuinus ſenſus verborum Ianſenij, à qua doctrina parum, vel nihil diſtant Scotiſtæ Contrarij.

217 Ex moralitèr prædeterminantibus teſtimonium de ſe peribeat Pater Soxa multis in locis ſuę phyſicę contingentium ; nam quæſt. 1. prędeterminationem moralem, moralemque neceſsitatem ſic definit:

nit: *eſt ſuavis fortis, & efficax tractio, ſeu allectio paſsiva voluntatis creatæ, à ſolo obiecto regularitèr proveniens, ad eliciendũ actum liberum ſemper, & in omni eventu cum infallibilitate morali, & impotentia morali ad oppoſitum, cum potentia tamen phyſica ad non eliciendum.* Sed, quia hęc deſcriptio neceſsitatis moralis infert neceſſario moralitèr poſitionem effectus in quibuſcumque circunſtantijs collocetur voluntas, quod negat Ianſenius, propterea Souſa paulò ante in eadem quæſt. præmiſsit, motionem moralem, prout talis motio pręſcindit, tam à gratia invitante ad bonum, quàm à concupiſcentia, invitante ad malum poſſe tripliciter conſiderari. Primò ut talis motio non adæquet totam exigentiam voluntatis ad ponendum actum bonum, vel malum moraliter, & in hoc ſenſu voluntas ſemper movetur ineficaciter, & numquam elicit actum, quia vincitur à ſua propria indiſpoſitione.

218 Secundo poteſt conſiderari talis motio, quatenús purè adęquat exigentiam voluntatis, ut ſi ſtante in voluntate concupiſcentia aliciente, ut quatuor, conferat ei Deus gratiam efficacem, ut quatuor, tunc voluntas non ſemper, & neceſſariò moralitèr vincet tentationem, ſed ſolum contingentèr, fallibiliter, & aliquandò, & hoc cum maxima difficultate, quatenus voluntas propter æqualem reſiſtentiam hinc, inde exiſtentem, ſub gratia movente ut quatuor ad bonum vincitur aliquandò à concupiſcentia, inclinante ut quatuor ad malum. Tertio poteſt conſiderari talis motio, prout excedit exigentiam voluntatis, ut ſi aliciatur voluntas ad malum per concupiſcentiam, ut ſex, & Deus ei conferat gratiam excitantem, ut octo, hic ſemper, infallibiliter, & neceſſariò moralitèr de tentatione victoria reportabitur, ſecus è contra ſi concupiſcentia eſt, ut octo, & gratia tantum eſt, ut ſex, vel ut ſeptem tunc tentatio neceſſariò moralitèr triunfabit de gratia. Hæc Noſtri Souſa Doctrina, maximè, ſi circa motionem moralem, tertiò modo conſideratam, comparetur cum doctrina Ianſenij, proximè explicata, & clarè conſtabit, nullam videri eſſe differentiam inter utramque.

219 Ab hac doctrina, licèt non ita expreſsè, ac Souſa, loquatur, Sendin ipſe non recedit. Ipſe enim Souſa Tractatu de Prędeſtinatione, relata fidelitèr, & ad litteram ſententia Complutenſis Sendin, ſubdit: *& huic ſententiæ ego etiam ad-*

adhæreo, eamque latè propugnare curabo in ſecunda editione phyſice contingentium, ut revera facit. Et ut manifeſtè appareat mens N. Souſa circa ſuam prædeterminationem moralem, moralemque efficatiam gratiæ, notentur ſequentia, quæ in citato Tractatu de Prædeſtinatione, num. 116. leguntur: *ex quibus omnibus infertur primò, quod auxilia efficatia in diverſis hominibus, & in eodem rariſsimè aſsimilantur propter ſummam varietatem recipientum, & circunſtantiarum, quę in eis occurrunt, v.g. ex parte corporis, bonę, vel malæ complexionis, indolis, humorum, valetudinis, ætatis, naturalis inclinationis: ex parte intellectus boni, vel mali ingenij: ex parte voluntatis benè, vèl malè habituatæ: ab extrinſeco ratione occaſionis, loci temporis, &c. Infertur ſecundò, quod idem auxilium, quod reſpectu unius eſt ſimplicitèr efficax, non eſt tale reſpectu alterius, quia variatio unius circunſtantię impedit congruitatem, ſeu attemperationem vocationis. Infertur tertiò, quod idem omninò auxilium poteſt nunc eſſe efficax ſimplicitèr reſpectu Petri, & poſteà ineffícax, aut nullum, reſpectu ejuſdem, propter diverſam circunſtantiam temporis, quæ impedit vocationis congruentiam.* Hucuſque Souſa

Solvuntur argumenta.

220 EX varijs capitibus connantur Adverſarij noſtram evertere concluſionem: & quidem primo ex doctrina Doct. Subt.; nam, licèt Sendin nullum locum adducat pro ſe ex Scoto, tamen eius diſcipulus Bernique in ſuis additionibus hic num. 18. ait: *quia tamen Scoti authoritas hic deſideratur, ut hęc concluſio* (id eſt contraria noſtræ) *aliena à mente ipſius non judicetur, operæ prætium erit, rationibus ex Doctore deſumptis illam fulcire.* Quibus præmiſsis, arguitur 1. ex Doct. ſic: iuxta Scoti principia omnis prędeterminatio, ſivè intrinſeca per qualitatem, ſivè extrinſeca per decretum, evertit libertatem; ſed gratia efficax, ſecundum Concilia, & PP., non deſtruit libertatem: ergo in nulla harum prędeterminationum ſtare poteſt efficatia gratię. Sed nullus alius modus excogitabilis eſt præter hunc modum infallibilitatis moralis: ergo, &c. Reſp. concedendo totum ſyllogiſmum, & negando min. ſubſumptam, nam ſatis hucuſque innuimus, & in ſequenti quęſt. tanquam in proprio loco declarabitur, quod efficatia gratiæ, non aliundè regula-

latur, & desumitur, quam ex Dei decreto æterno concomitanti.

221 Arguitur 2. ex Doct. in 4. dist. 49. quæst. 6. §. *contra hoc*, ℣. *respondeo*, ubi loquendo de impeccabilitate beatorum, docet, eos esse ab extrinseco impeccabiles, hoc est, à voluntate divina, quę per decretum suæ manutenentię tollit potentiam proximam peccandi. Et paulò post ℣. *ad secundum* assignat alium modum impeccabilitatis beatorum, asserendo, esse semper contingens, quod beatus non peccet, numquàm tamen peccabit; quia causa superior semper præservabit. Et cum sibi obiecisset: ergo in potestate voluntatis beati est, ut eveniat peccatum, respondet: *posset dici, quod non ideò est minùs beata si in potestate ejus sit quod eveniat, quod tamen numquam eveniet, quia voluntas divina semper præveniet.*

222 Ex quo textu sic formatur ratio: in primo modo impeccabilitatis beatorum, quã assignat Doct., non est simpliciter contingens, quod beatus non peccet: ait enim ibi: *non repugnat sibi, id est voluntati beati, quod contingentia eius non ponat contingentiam ex parte effectus simpliciter*; sed in secundo modo impeccabilitatis, ibi assignato, est simpliciter contingens, quod beatus non peccet: ergo contingentia simpliciter, quę per primum modum impeccabilitatis beatorum evertebatur, per modum secundum adstruitur. Nunc sic: sed primus modus impeccabilitatis beatorum, assignatus à Doctore tollit proximam potentiam ad peccandum illamque reddit impossibilem: ergo secundus modus, assignatus à Doct., non destruit potentiam peccandi, nec illam impossibilem reddit; nam si uterque modus impeccabilitatis auferret potentiam proximam peccandi, nescio, inquit Bernique, qua ratione assereret Doctor, quod in primo modo non erat simpliciter contingens, quod beatus non peccaret, in secundo autem modo erat simpliciter contingens, quod beatus non peccet.

223 Progredior nunc, subdit Bernique: in secundo modo impeccabilitatis, quem Scotus assignat in beatis, est simpliciter contingens, quod beatus non peccet, & relinquitur potentia proxima ad peccatum; & in potestate voluntatis est, ut peccatum eveniat, quin ob hoc sit minas beata, quia peccatum numquam eveniet, & ideò non eveniet, quia voluntas divina semper præveniet: ergo

iuxta

iuxta Scotum posſibile eſt, quod Deus talitèr prę veniat voluntatem creatam, quod, relinquendo potentiam proximam ad oppoſitum actus, ſitque actus ſimpliciter contingens, tamen nunquam eveniat oppoſitum illius, & ſemper ponatur actus; ſed hoc eſt formaliſsimè infallibilitas moralis, in qua conſiſtit gratia efficax; videlicèt, quod, licèt detur poteſtas phyſica, & metaphyſica ad oppoſitum actus, nunquàm tamen ponetur eius oppoſitum, ſed ſemper ponetur actus: & conſequenter iſta infallibilitas moralis eſt ſummè conformis menti Doct. Minor ſanè Adverſarium adducere hunc locum Doct. pro infallibilitate morali auxilij efficacis, cum nec verbum ibi habeatur favens ſuæ oppinioni; alias Sendin, qui præ manibus habuit P. Sanchez, cui fatetur Bernique, debere præiactam rationem, non omitteret authoritatem, ſic favorabilem ſuæ ſententiæ.

224 Reſpondeo ergo ad argumentum diſtinguendo maiorem: in primo modo,&c.,non eſt ſimpliciter cōtingens contintia omnimoda, quod beatus non peccet, conc. mai.: non eſt ſimpliciter contingens, ſi contingentia ſimpliciter alicuius effectus poteſt deſumi ab aliquo uno comprincipio concurrente, quod ex ſua natura ſit contingens, etſi reliqua comprincipia eiuſdem effectus contingentia non ſint, nego mai.; & diſtinguo min.: ſed in ſecundo modo impeccabilitatis eſt ſimpliciter contingens omnimoda contingentia, quod beatus non peccet, nego min.: eſt ſimpliciter contingens, quod non peccet, ſi ad contingentiam ſimpliciter alicuius effectus, ſufficit contingentia intrinſeca alicuius comprincipij, eſtò reliqua concurrentia contingentia non ſint, conc. min. Et diſting. conſequens: ergo contingentia ſimpliciter, quæ evertebatur per primum modum adſtruitur probabilitèr per ſecundum, conc. conſequentiam: adſtruitur abſolutè, & aſſertivè, nego conſeq.; concedo minorem ſubſumptam, & nego conſequentiam.

225 Unde reliqua quæ adducit in illo ſuo progreſſu ſunt ſic intelligenda: *in ſecundo modo impeccabilitatis eſt ſimpliciter contingens, quod beatus non peccet*, diſtinguitur, ut indiſtinctione minoris. Dum addit: *relinquitur in beato potentia proxima peccandi*, negatur; nec ullibi invenitur in Scoto. Dum poſteà ſubdit: *in poteſtate voluntatis eſt, ut peccatum eveniat*, diſtinguitur: in poteſtate remo-

mota, conc. : in poteſtate proxima, negatur ; & ſimul negatur conſequentia, quàm infert. Et dum ſubinfert : *ſed hoc eſt formaliſsimè infallibilitas moralis, &c.* ; dico, quod ſic poſita efficatia gratiæ, nos habemus ex mente Doct. noſtrum intentum, ſcilicèt, infallibilitatem moralem gratiæ efficacis deſtruere potentiam proximam ad utramque contradictionis partem ; quia juxta Doct. hic, tam in primo, quàm in ſecundo modo impeccabilitatis nulla eſt potentia proxima peccandi.

226 Itaque in textu allato nihil habetur in favorem opinionis contrariæ ; nam, licèt in primo modo impeccabilitatis beatorum, aſsignato à Doct., non ſit ſimpliciter contingens, beatum peccare, & in ſecundo modo ſit ſimpliciter contingens, quod peccet, hoc non oritur ex eo, quod in primo modo impeccabilitatis evertatur in beatis potentia proximè peccandi, quæ in ſecundo modo non evertitur, ſed provenit ex eo, quod contingentia ex parte voluntatis in ſuo ordine cauſantis, quin ſit intrinſecè neceſsitata, ſit ſufficiens, vel non, ad refundendam contingentiam ſimpliciter, ſeu omnimodam in effectum ; propterea Doct. in ſecundo impeccabilitatis judicat eſſe omnino ſufficiens ad refundendam omnimodam contingentiam in effectu illud ipſum, quod in primo modo impeccabilitatis non judicabat eſſe ſufficiens ad talem contingentiam refundendam. Unde Doct., loquendo de primo modo impeccabilitatis, ſic ait: *reſpondeo, quod voluntas ſuo ordine cauſandi hoc cauſat ; hoc eſt proprium huius cauſæ, quod ulterius cum contingentia ex parte eius ſit omnimoda contingentia ex parte effectus, hoc requirit contingentiam omnium aliorum, concurrentium ad effectum.* Ubi Doct., ut effectus ex parte ſua ſit ſimpliciter contingens, requirit ultra contingentiam ex parte voluntatis, contingentiam ex parte aliorum, concurrentium ad effectum ; ideòque tribus lineis interpoſitis, ait Doct. : *non repugnat ſibi* (id eſt voluntati) *quod contingentia eius non ponat contingentiam ex parte effectus ſimpliciter.*

227 In ſecundo autèm modo impeccabilitatis beatorum, quem aſsignat Doctor, judicat, eſſe valde probabile, quod ad contingentiam ſimpliciter ex parte effectus, nulla alia contingentia requiratur, ultra contingentiam propriam, & intrinſecam ipſiuſmet voluntatis. En ejus verba : *aliter poteſt dici, quod contingentia volun-*

luntatis in ſuo ordine concludit contingentiam ſimplicitèr effectus; quia cuiuſcumque contingentia concludit contingentem effectum. Ubi advertatur, quod illa cauſalis Doct. : *quia cuiuſcumque contingentia* ponitur per oppoſitum ad rationem aſsignatam in primo modo illis verbis : *requirit contingentiam omnium aliorum, concurrentium ad effectum*: ergo diſcrimen unius modi impeccabilitatis ab alio, ad mentem Doct., non conſiſtit in eo, quod in primo modo evertatur potentia proxima peccandi, & non evertatur in ſecundo, ut volunt Adverſarij : ſed unicè in eo, quod contingentia voluntàtis in ſuo ordine cauſandi, non videtur, juxta primum modum ſufficiens, ad refundendam contingentiam, ſimplicitèr talem, in effectum; benè verò videtur ſufficere, iuxta ſecundum modum. Hæc eſt genuina intelligentia textus Scoti. Immò, qui ait, quod in primo modo impeccabilitatis non ſtet potentia proxima peccandi, benè verò in ſecundo modo, expreſsè contradicit litteræ Doct.; nam ideo in primo modo aſsignato non ſtat potentia proxima peccandi, quia dicitur in littera : *neque etiam eſt in poteſtate voluntatis propinqua, peccare; quia non eſt in poteſtate eius, quod impediens* (id eſt, Deus præveniens) *ceſſet*; ſed in ſecundo modo impeccabilitatis non dicitur, quod ſit in poteſtate voluntatis, quod impediens ceſſet, quinimmo dicitur, quod Deus ſemper præveniet: ergo deffectus potentiæ proximæ ad peccandum æquè ponitur à Doct. in utroque modo.

228 Huius doctrinæ rationem univerſalem aſsignat Doct. in eadem diſtinctione, & quæſt. §. *dico ergo*, ubi loquens de potentia proxima, & remota peccandi in beatis, apponit exemplum in potentia viſiva, & obiecto viſibili his verbis: *& ſi habens viſum habeat potentiam intrinſecam videndi quodcumque corpus, tamen poteſt per aliquam cauſam extrinſecam fieri perpetuò impoſsibilis ad videndum de potentia propinqua, utpote ſi illa cauſa faciat perpetuam diſtantiam viſus ab illo corpore, ſicut ſi eſſet obſtaculum perpetuum inter Cœlum Empyrium, & oculum damnati, ille oculus non poterit videre Cœlum Empyrium de potentia propinqua, poſſet tamen videre potentia remota, & intrinſeca.* Et contrahens Doctor hoc exemplum ad impeccabilitatem Michaelis in Patria, ait: *non eſt autem cauſa intrinſeca, prohibens iſtam potentiam intrinſecam* (id eſt, Michaelis ad peccandum) *omninò reduci ad actum, ſed per cauſam extrinſe-*

cam eſt impoſsibilis potentia illa propinqua ad peccandum, videlicèt, per voluntatem Dei prævenientem illam voluntatem, ut ſemper continuet actum fruendi, & ita numquam poteſt potentiam ſuam remotam peccandi reducere ad actum; ſiquidem numquam cauſa ſecunda, præventa à cauſa ſuperiori, agente ad unum oppoſitum, poteſt potentia propinqua exire in alium oppoſitum. Hucuſque Doct. In cuius verbis eſt evidenter manifeſtum, quod in nullo beatorum reperitur potentia propinqua, ſed tantum remota peccandi.

229 Arguit. 3. ex Doct. 2. diſt. 29. quæſt. unic. §. *poteſt dici*, ex cujus verbis, poſteà adducendis, ſic format argumentum Bernique: in ſtatu innocentiæ, & juſtitiæ originalis voluntas retraheret ſe ab omni delectatione inordinata, numquam ſe averteret à Deo, ſemper adhæreret ipſi, tamquàm ultimo fini, & ſi poſſet uti inordinate delectabilibus ſenſuum exteriorum numquam tamen ineſſent tales delectationes, ſed ſemper bene uſus fuiſſet homo illis, eſſetque perfecta ſubiectio potentiarum inferiorum; ſed modus aſsignatus à Doct.; ut voluntas ſemper ſic ordinatè procederet, non eſt per phyſicam prædeterminationem, nec per imperium, aut decretum extrinſecum Dei, ſed per maximam delectationem, in voluntate exiſtentem; & à dono ſupernaturali provenientem, qua Deus ultimus finis delectabilior eſſet voluntati, quam quodlibet ſenſibile appetitui, & per delectationem, ſimul cum cognitione ex parte intellectus vinceret ſemper rationabiliter ſuavitèr, & fortitèr omnes motus appetitus ſenſitivi circa propria obiecta: ergo præciſè per hanc maximam delectationem circa ultimum finem, ſupernaturaliter in voluntate exiſtentem, &c. Subſumit nunc Adverſarius: ſed talis maxima delectatio non auferret à voluntate libertatem proximam, qua tunc liberè, & meritoriè ageret: ergo relinqueret in voluntate potentiam phyſicam ad oppoſitum; ſed aliàs oppoſitum numquam eveniret, ſeu numquam poneretur: ergo erit præciſè per infallibilem determinationem moralem, ortam à maxima delectatione circa ultimum finem, voluntatem ſemper dulciſsimè, & fortiſsimè inclinante ad Deum, & ad ſequendum rationis ductum. Conferatur, quæſo, inquit Bernique, Doctrina Div. Auguſt. circa munera, & effectus gratiæ, cum hoc textu Scoti, & apertè conſtabit, quod modus determinandi voluntatem

tem ſuavitèr, & fortitèr in ſtatu juſtitiæ originalis, idem eſt ac modus, quo, media gratia, Deus alicit, & determinat voluntatem ſuavitèr ad bona.

230 Et, ne vim argumenti ſubterfugere videamur, Scoti verba prout ab Adverſario producuntur, & nos producamus. Scotus ergo citatus ſic ait: *ad hoc, quod voluntas poſſet ſe retrahere delectabiliter ab omni delectatione inordinata cum aliqua vi interiori, oportet aliquid fuiſſe in voluntate ſupernaturale, quo fieret finis ſibi delectabilior, quam aliquod delectabile appetitus ſenſitivi :: Si igitur in primo homine fuit ille effectus, ſcilicèt, perfecta tranquilitas, & erat effectus originalis iuſtitiæ, illa iuſtitia fuit donum ſupernaturale, quia fecit Deum delectabiliorem voluntati, quam aliquod appetibile ſenſibile, quod non potuiſſet eſſe ex aliquo dono naturali ipſius voluntatis.* Et ſexdecim lineis interpoſitis, proſequitur: *per illud enim donum voluntas quaſdam delectationes appetitus ſenſitivi præveniſſet, ne umquam illi ineſſent, puta, adulterandi cum puella aliena; quaſdam importaſſet, & benè eis uſus fuiſſet homo, puta, cognoſcendi ſuam obediendo præcepto divino*, illi, ſcilicèt: *creſcite, & multiplicamini, &c.: ita, quod iſtas delectationes illicitas, quandoque habendas pro tunc, quando infuiſſent, non habuiſſet voluntas pro fine, ſed ad finem debitum retuliſſet.*

231 Et, paucis interpoſitis: *quodcumque iſtorum, ſivè prevenire delectationes, ſivè benè uti habitis delectabilibus, ſive avertere ſe ab habendis delectabilibus, voluntas delectabiliter faceret per donum illud ſupernaturale, quod delectabilius fuit ſibi, fini ultimo inhærere, & omnibus ordinatis ad illud, quam ab illo ſeparari.* Et quinque lineis interjectis, addit: *potuit enim niſus tunc* (hoc eſt, in hypoteſi, quod in quodlibet ex ſenſibus non eſſet donum ſupernaturale particulare, impediens reſultantiam delectationis immoderatæ ſenſitivæ circa ſuum objectum, cuius doni ſupernaturalis neceſsitatem pro ſenſibus ſingulis in ſtatu innocentiæ in pro, & contra deffendit Doct.) *videre turpe viſibile, & audire turpe audibile :: ſed voluntas tunc benè uſa fuiſſet iſtis triſtitiis :: ſicut benè uſa fuiſſet delectabilibus eorum, non immoderatè delectando.* Licèt neceſſarium non ſit ad ſolutionem argumenti, attamen conducit, quod ante reſponſionem ſupponatur, quod Doct. in citato loco inquirit: an juſtitia originalis na-

nalis in Adam fuerit aliquod donum ſupernaturale, ſeu quod idem eſt: an juſtitia originalis, qua caro ſubijciebatur ſpiritui, & ſpiritus Deo pro ſtatu innocentiæ ultra habitus infuſſos fidei, ſpei, & chariratis; & habitus, qui dicuntur per accidens infuſi, importet aliquam qualitatẽ ſupernaturalem, a qua proveniat illa duplex ſubiectio? Et, ſi ſic: an iſta qualitas ſit una, vel multiplex?

232 Cui dubio reſpondet Doct. juſtitiam originalem diſtingui realitèr à reliquis virtutibus ſupernaturalibus, & meritò quidem, quia nunc in ſtatu naturæ lapſæ infunduntur virtutes ſupernaturales, non tamen infunditur juſtitia originalis; ſed nullum maius ſignum diſtinctionis realis, quam ſeparatio, vel ſeparabilitas aliquorum: ergo, &c. Præterea hæc aſſertio Doct. videtur expreſsè definita in Trident. his verbis: *ſi quis non confitetur, primum hominem, cum mandatum Dei in Paradiſo fuiſſet tranſgreſſus, ſtatim ſanctitatem, & juſtitiam, in qua conſtitutus fuerat, non amiſsiſſe; anathema ſit.* Ubi per ly *ſanctitatem* intelligit Concil. gratiam, & per ly *juſtitiam* donum juſtitię originalis. Ultra iſtum habitum juſtitiæ originalis, reſidentis in voluntate, medio quo voluntas ſubjicitur Deo, docet Scotus probabiliter ℣. *quod ſi dicatur*, num. 5., quod in potentijs inferioribus tot ſunt ponendæ qualitates ſupernaturales, quot ſunt ipſę potentiæ, eo fine, ut tales potentię ſine difficultate, aut triſtitia relinquerent, voluntate præcipiente, obiectum ſibi gratum. Dixi *probabiliter*; quia ibidem ℣. *iſta omnia* docet, ſufficere unicum donum in voluntate ad utrumque effectum; quia tunc caſus voluntas, ratione iſtius doni bene uteretur difficultate, & triſtitia appetituum inferiorum, ut conſtat ex littera Doct. nuper adducta. His prælibatis.

233 Reſpondeo diſtinguendo mai. quoad ſuas partes ſic: in ſtatu innocentiæ, & juſtitiæ originalis voluntas retraheret ſe ab omni delectatione inordinata, cauſata ab intrinſeco, hoc eſt, ex interna rebellione, concedo; quia in illo ſtatu nulla foret talis rebellio: cauſata ab extrinſeco, hoc eſt, per ſugeſtionem Dæmonis, mediante perſuaſione Evæ, ſubdiſtinguo: ſe retraheret, ſi vellet, concedo: ſi nolet, nego mai. Unde Adam defacto potens proximè reſiſtere tale ſugeſtioni, volens eſt conſenſit. Et dum prolequitur mai.: *nunquam ſe averteret à Deo*, eiſdem terminis diſtingua-

guatur. Et dum ait : *ſemper inhæreret ipſi, tanquam ultimo fini*, diſtinguo : quatenus pro tali ſtatu non daretur impedimentum aliquod intrinſecum reſultans ex rebellione carnis ad ſpiritum, concedo : quatenus pro tali ſtatu non daretur aliquod impedimentum extrinſecum, uti defacto extitit ex fugeſtione Dœmonis, &c., nego mai.

234 Et dum additur in maiori : *& ſi poſſet uti inordinatè delectabilibus ſenſuum exteriorum, numquam tamen ineſſent tales delectationes*, pro illo ſtatu, conc. mai. : numquam tales delectationes ineſſent ſenſibus ; ſubdiſtinguo : ex ſuppoſitione opinionis probabilis, quod in quolibet ſenſu eſſet ſuum peculiare donum ſupernaturale, conc. : ſed nego tunc ſuppoſitum illius ſecundæ clauſulæ : *poſſet uti inordinatè delectabilibus ſenſuum exteriorum, &c.* Ratio eſt ; quia poſito peculiari dono ſupernaturali in ſenſu, v.g. in viſu, ne videret turpe viſibile, tunc nullum delectabile inordinatum ineſſet viſui ; voluntas vero, nec benè utitur, nec poteſt inordinatè uti illo, quod non exiſtit, niſi loquamur de poſſe, reſpiciente terminum duntaxat poſsibilem, quod non eſt ad rem. Et ſupoſitione alterius opinionis, quam in littera dubitativè proponit Doct., videlicèt, quod in illo ſtatu non ineſſent ſenſibus dona particularia ; non ineſſent ſenſibus tales delectationes, nego maiorem ; quia juxta iſtam problematis partem, viſus poſſet videre turpe viſibile, & auditus audire turpe audibile: voluntas tamen benè uteretur tali obiecto, non immoderatè delectando.

235 Denique, dum dicitur in maiori: *eſſetque perfecta ſubjectio, &c.*, diſtinguo : ſubiectio, proveniens ab illa qualitate ſupernaturali, realiter diſtincta à gratia ſanctificante, media qua ſubjiceretur caro ſpiritui, & ſpiritus Deo, concedo mai. : ſubjectio proveniens ab alia forma diſtincta ab illa qualitate, nego mai. ; & conceſſa min. quoad primam, & ſecundam partem, ipſam diſting. quoad tertiam : per maximam delectationem, in voluntate exiſtentem, & à dono ſupernaturali proveniẽtem, ſumpto tali dono pro forma purè ſubjicienti carnem ſpiritui, & ſpiritum Deo, conc. : ſumpto tali dono pro forma ſupernaturali, movente, & determinante potentiam ad ſalutariter operandum, neg. min.

Et

Et dum additur in minore: per hanc delectationem ſimul cum cognitione ex parte intellectus, vinceret ſemper rationabiliter ſuaviter, & fortiter omnes motus appetitus ſenſitivi, diſtinguo: vinceret tamquam per formam purè, & perfectè ſubjicientem tales motus rationi, conc. min.: tamquam per formam habentem rationem auxilij, ſeu principij immediatè influentis in actum libertum, & meritorium, nego minorem, & conſequentiam.

236 Ad minorem ſubſumptam reddeo ſic diſtinguendo: ſed talis maxima delectatio non auferret libertatem à voluntate, nec aliunde poneret, nec ad libertatem pertineret, conc. min.: non auferret libertatem, & aliundè ipſam poneret, aut ad ipſam pertineret, nego min. Et diſting. probationem imbibitam: quia liberè, & meritoriè ageret in virtute alterius principij, diſtincti realitèr ab illa delectatione, conc.: in virtute ipſiuſmet delectationis, nego; quia, ut jam diximus talis maxima delectatio pro illo ſtatu ſolum haberet pro effectu ſubjectionem ſenſuum rationi, & rationis Deo, ut inde voluntas promptè, & abſque ulla omnino difficultate ſe exerceret in materia virtutum. Quòd verò voluntas in illo ſtatu ageret liberè, & meritoriè, proveniret, ſicut nunc, ab ipſa voluntate, mediante gratia habituali, ipſam, & eius opera condigniſicante; necnon mediante gratia actuali, eam excitante, & adjuvante, cum ſolo diſcrimine jam ſupra poſito inter gratiam ſanitatis, & medicinæ. Ad primam conſequentiam, in qua dicitur: *ergo relinqueret illa delectatio in voluntate potentiam phyſicam ad oppoſitum*, patet ex ſolutione, data ſubſumptæ; quia talis delectatio, nec poneret, nec auferret libertatem.

237 Ad aliam ſubſumptam, in qua immediatè dicitur: *ſed aliàs numquam oppoſitum poneret voluntas*, diſting. ut ſuprà: numquam oppoſitum poneret in illo ſtatu ratione alicujus intrinſeci, hoc eſt, ex rebellione carnis adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus Deum, conc.: numquam oppoſitum poneret in eo ſtatu ratione alicuius extrinſeci, ſeu ex ſugeſtione Dæmonis, ſubdiſtinguo: non poneret neceſſario, & infallibiliter, conc.: contingenter, ſeu, ſi vellet, nego minorem; nam de facto Adam in illo felicisſimo ſtatu potens proximè peccare, peccavit mortaliter, & non ex ulla interna rebellione, licèt talis rebellio immediatè ſuſequuta ad illud peccatum, ſtatum innocentiæ deſtruxerit. Et nego tandem ultimam conſequentiam;

tiam ; quia, ut patet ex dictis, nulla determinatio moralis, & infallibilis oriebatur ex juſtitia originali ſemper inclinans voluntatem ad meritorie agendum : tum primo, qui aliàs Adàm in illo ſtatu numquam peccaſſet, peccavit tamen defacto : tum ſecundò, quia juſtitia originalis non fuit, nec umquam fuiſſet principiu agendi : tum tandem, quia ſi determinaret infallibilitèr voluntatem, non moralitèr, ſed phyſicé hoc faceret, cum ipſa fuerit forma phyſica, phyſicè permanens in voluntate.

238 Intentum igitur proprium, & peculiare Doct. cit. eſt indagare : an juſtitia originalis, quantum ad principalem effectum comprimendi ſomitem, & rebellionem carnis pro ſtatu innocentiæ, conſiſtat in gratia ſanctificante ; alijſque virtutibus, quę ſimul cum ipſa collatæ ſunt primis parentibus: an in aliqua qualitate, ei ſuperadita : an verò in externa protectione, & favore Dei, non permittentis, tales motus inſurgere in illo ſtatu ? Et reſolvit Doct., talem effectum provenire à juſtitia originali, prout dicit qualitatem quandam ſupernaturalem, ſivè iſta ſit una tantum, ſivè plures, modo ſuprà explicato ; realitèr tamen diſtinctam à gratia ſanctificante, & reliquis virtutibus. Undè Doct. nullibi docet, talem juſtitiam originalem eſſe gratiam, ſivè ſanctificantem, ſivè auxiliantem.

239 Quod talis forma non ſit gratia ſanctificans, patet ex ipſo citat. §. *ad quartum dico*, ajente : *ſi fuerit aliquod donum ſupernaturale* (id eſt, juſtia originalis) *non tamen oportet, quod ſit principium merendi. Se enim habet ad gratiam, quæ eſt principium meriti, ſicut excedens ad exceſſum.* Ubi duo dicuntur. Primum eſt, quod juſtitia originalis non eſt principium merendi de condigno ; cum tale principium ſit ſola gratia ſanctificans. Secundum eſt, quod, ſi gratia ſantificans, & juſtitia originalis adinvicem comparentur, ſe habent inſtar excedentis, & exceſsi ; quia ſine dubio juſtitia originalis magis facilitaret hominem ad non peccandum, quam gratia, cum qua defacto ſtat difficultas ad bonum. Si verò conſiderentur prędictæ formæ ſecundum modum attingendi finem, gratia eſt perfectior, quam juſtitia originalis, nam gratia eſt principium attingendi Deum meritorie, quod non competit juſtitię originali.

240 Quòd verò juſtitia originalis non ſit gratia actualis, & auxilians eſt per ſe notum,

tum, attenta littera Doct. Iuſtitia originalis, iuxta Doct., eſt quidam habitus ſupernaturalis, unus, vel multiplex, juxta ſuperius dicta: gratia verò actualis in Doct., & omnium ſententia, eſt quædam qualitas tranſiens, & citò fluens ex natura ſua; quamvis per accidens poſsit dici permanere. Ex quo conſtat, falſum eſſe, talem iuſtitiam eſſe gratiam auxiliantem, ut aſſerit Bernique hic num. 23., nec eſt magis verum, quod ibi ſubdit dicens: *Verum dato, quod tale donum non habeat denominationem gratiæ auxiliantis, quod ęgrè poteſt ſalvari, non deſtruitur noſtrum intentum*; quia, ſi poſsibile eſt, quod ſecundum Doct., aliquod donum ſupernaturale per delectationem cauſatam in voluntate, ſic ipſam determinaret ſuavitèr, ut numquam ab ultimo fine recedat, ſed ſemper illi inhęreat, cur hoc non fiet per ſanctam cogitationem? Non eſt, inquam, magis verum; nam eius fundamentum ſic diſtinguitur: quia, ſi poſsibile eſt, &c., ut numquam recedat ab ultimo fine, ſed ſemper illi inhæreat, tamquam bono convenienti, & delectabili, conc.: tamquam bono ſupernaturali meritorie attingendo, ſivè de congruo, ſivè de condigno, nego. Solutio eſt expreſſa Doct. in loc. citat. §. *ad quartum dico.*

241 Arguitur 4. ex eodem Bernique, qui de mente Doct. in 1. diſt. 40. quęſt. unic. §. *ad iſtam queſtionem*, ſic diſcurrit: Doct. citat. ſic ait: *iſte, qui eſt prędeſtinatus, poteſt damnari, non enim propter eius prædeſtinationem eſt voluntas eius confirmata, & ita poteſt peccare, & ita pari ratione in peccato ſtare finaliter, & ita juſtè damnari.* Et infra in reſponſione ad ſecundum ait: *ad ſecundum dico, quod voluntas creata non poteſt impedire ordinationem voluntatis divinæ. Nam impedire eſſet, ſi ſtaret propoſitum voluntatis divinę, & oppoſitum eveniret per voluntatem creatam, hoc autem eſt impoſsibile.* Ex qua doctrina ſic formatur argumentum: in doctrina Scoti hæc eſt mala conſequentia: prędeſtinatus poteſt damnari: ergo poteſt impedire ordinationem divinam: ergo à fortiori hæc erit mala illatio: ſtante prędefinitione ad conſenſum, voluntas poteſt ponere diſſenſum: ergo poteſt impedire prædefinitionem. Prob. conſequentia: eadem connexio datur inter prædefinitionem conſenſus, & ipſum conſenſum; ac inter prędeſtinationem, & conſecutionem gloriæ; ſed prędeſtinatus, licet poſsit damnari, tamen abſolutè non poteſt impedire prædeſtinationem di-

divinam : ergo, ſto poſita prędefinitione, poſsit voluntas ponere diſſenſum, non tamen poteſt fruſtrare prędefinitionem. Poſteà deſcendit Bernique explicando modum, quo cum prędefinita voluntate ad conſenſum, remanet libertas phyſica, & metaphyſica ad oppoſitum, & adeſt tantum moralis neceſsitas ad conſenſum.

242 Huic argumento reſpondeo diſtinguendo antec. : in doctrina Scoti, hæc eſt mala conſequentia : prædeſtinatus, &c.; ſi prædeſtinatio in tali antecedenti intelligatur facta independenter à meritis, conc. antec.; quia tunc caſus prædeſtinatus nullo modo, nec indirectè poteſt impedire ordinationem voluntatis divinę, ipſum prædeſtinantis : ſi prædeſtinatio in antecedenti intelligatur facta ex pręviſione meritorum, nego antec.; quia in hac ſententia prædeſtinationis ex meritis, ſuppoſitio prædeſtinationis dependet à voluntate prædeſtinati. Et dum infertur : *ergo à fortiori, &c.*, conc. conſequentiam, & nego ſuppoſitum. Supponit enim conſequens, voluntatem prædefinitam ad conſenſum habere proximam poteſtatem ad diſſenſum, quod falſum eſt, maxime in ſententia Adverſarij, afferente, prędefinitionem conſenſus, etiam antecedenter eſſe infruſtrabilem. Ad probat. iſtius conſequentię, diſtinguo mai.: eadem connexio datur inter prędefinitionem conſenſus, & ipſum conſenſum, &c.; ſi prædeſtinatio eſt ante prævisa merita, conc. : ſi eſt ex prævisione eorum, nego mai. Et diſt. min. : ſed prædeſtinatus independenter à ſuis meritis, eſto poſsit damnari, &c., nego ſuppoſitum, ſcilicèt, quod prædeſtinatus independenter à ſuis meritis poſsit damnari; nam, ſi poſſet, poſſet utique impedire prędeſtinationem divinam: prędeſtinatus dependenter à meritis ſubdiſting.: licèt poſsit damnari, non ob hoc poteſt impedire prædeſtinationem divinam, in ſenſu compoſito prædeſtinationis, conc. : in ſenſu diviſo, nego min.

243 Itaque, ſicut in nullo vero ſenſu poteſt voluntas creata impedire prædeſtinitionem efficacem intentivam voluntatis divinæ, eo quod talis prædefinitio antecedat omne ejus exercitium liberum, ita nec poteſt impedire prędeſtinationem efficacem intentivam ad gloriam, à Deo liberalitèr factam, independenter á meritis pręviſis. Ex ſuppoſitione autem, quod prędeſtinatio ſit ex prævisis meritis, rectè conciliatur cum eo, quod vo-

luntas cuiuſcumque prædeſtinati poſsit impedire ſuam prædeſtinationem, non quidem in ſenſu compoſito, quia in hoc ſenſu involvitur condeterminatio ſimultanea utriuſque voluntatis, divinę, & creatæ; ſed in ſenſu diviſo, quatenus ſi voluntas creata, ſupernaturalitèr adjuta, nolet benè agere, non exiſteret in Deo Decretum prædeſtinativum: & quod electio efficax, ſeu prædeſtinatio ad gloriam ſit ex meritis prævisis, ſuo loco in Tract. de Prædeſtinatione manet fuſsè probatum.

244 Arguitur 5. ex Div. Auguſt. lib. 2. contra Fortunatum Manicheum, ajente: *liberum voluntatis arbitrium, in illo homine fuiſſe dico, qui primus fundatus eſt; ille ſic factus eſt, ut nihil omninò voluntati eius reſiſtere poſſet, ſi vellet præcepta Dei ſervare: poſtquam autem ille libera voluntate peccavit, nos in neceſsitatem peccandi præcipitati ſumus.* Idem habet lib. de Perfectione juſtitię cap. 4. his verbis: *pœnalis vitioſitas, ſubſecuta ex libertate, geſsit neceſsitatem*; ſed hæc neceſsitas, de qua utrobique Auguſt., nequit intelligi de neceſsitate phyſica: ergo de morali: ergo, dum quis peccat, neceſsitatur moralitèr ad peccandum: ergo cum eadem libertas requiratur ad merendum, & demerendum, ſequitur, quod dum quis meretur, neceſsitatur moralitèr ad merendum; ſed hæc neceſsitas moralis merendi non aliundè poteſt provenire, quam à gratia congrua, ita attemperata voluntati, ut ipſam certò, & infallibiliter moraliter determinet ad merendum: ergo, &c.

245 Reſp. explicando Auguſt.: liberum voluntatis arbitrium, &c.; nos in neceſsitatem peccandi præcipitati ſumus, ſumpta neceſsitate peccandi pro illis motibus indeliberatis concupiſcentiæ, qui poſt lapſum Adami in nobis neceſſariò inſurgunt, conc.: ſumpta neceſsitate peccandi pro actibus deliberatis turpibus, & cum advertentia elicitis, nego. In eodem ſenſu explicatur in ſecunda auctoritate, ut ait: *geſsit neceſsitatem, &c.*: & conceſſa min., diſting. prim. conſequens: debet intelligi de neceſsitate morali, ſumpta neceſsitate morali ſecundum quid, & pro difficultate in operando honeſtè, conc. conſequentiam; ſumpta neceſsitate morali pro principio certò, & infaliibiliter moraliter determinante potentiam ad operandum, nego conſequentiam, & ſimiliter ſecundam. Et diſting. tertium conſequens ſicut primum, & nego ſuppoſitum ultimæ minoris,

ſcilicet, quod detur talis gratia ſic de ſe congrua, & voluntati attemperata, determinante voluntatem ad agendum.

246 Ut mens Auguſt. circa prędictas, & ſimiles auctoritates innoteſcat, ſciendum eſt, quod Sanctus Doct., tam in locis citat., quam alijs ſuorum operum, per nomen peccati ſeu per neceſsitatem peccandi intelligit motus quoſdam indeliberatos, & inordinatos concupiſcentiæ, qui in nobis, ſine nobis lidere operantibus, inſurgunt neceſſariò, ut ipſemet expreſsè habet lib. 3. de Libero arbitrio cap. 18., ubi poſtquam dixit: *ſunt quædam facta improbanda neceſsitate*, ſtatim ait: *nam undè ſunt illę voces: non quod volo bonum facio, ſed quod nolo malum hoc ago.* Quæ verba Apoſtoli omnes intelligunt de motibus indeliberatis. Quarè, dum dicit Auguſt., nos habere neceſsitatem peccandi, intelligi debet de illis peccatis, quæ in nobis experimur ante conſenſum. Dicunturque peccata, quia ſunt effectus peccati primi parentis, & à peccato ſunt, & in peccatum inclinant. Tale autem peccatum in nobis non eſt culpa, ſed vitium.

247 Quam diviſionem peccati in peccatum, quod eſt eſt culpa, & in peccatum, quod non eſt culpa, ſed dumtaxàt vitium, admittunt Theologi, & pro ceteris noſter Antiquiſſimus Ricardus de Mediavilla in 2. diſt. 21. quæſt. 3., dicens: *in omni tentatione carnis, licèt ſemper ſit peccatum, quod eſt vitium, non tamen ſemper eſt peccatum, quod eſt culpa; cum ſæpè huiuſmodi tentatio non ſit in poteſtate voluntatis.* Neceſsitamur ergo ad peccatum, quod tantummodò eſt vitium, ſcilicet ad motus indeliberatos concupiſcentiæ rebellis; minimè verò neceſsitamur ad peccatum, quod eſt culpa, qua homo verè conſtituitur reus, & ſuplicio dignus, niſi ſumatur neceſsitas moralis pro neceſsitate ſecundum quid, impropria, & imperfecta, ſcilicet, pro difficultate, quam in nobis metipſis experimur ad benè ſupernaturalitèr operandum, & etiam ad meritoriè omittendum id quod nobis eſt prohibitum. Quo ſenſu locutus eſt Anſelmus lib. de Concordia cap. 20. dicens, impoſsibile nobis eſſe, quod ſine difficultate perficere non valemus. Quo etiam ſenſu locutus eſt Chriſtus: *neceſsè eſt, ut veniant ſcandala*; ac ſi dixiſſet: difficile eſt, ut ſcandala non veniant.

248 Undè, dum dicit Auguſt., quod nos neceſſariò peccamus propter lapſum Adami,

mi, non intelligitur de neceſſitate ulla abſoluta; alioqui non diceret lib. 2. de peccatorum meritis: *ſi nolumus, non peccamus.* Sed intelligitur ita, quod concupiſcentia, ita ad peccandum nos inclinat, quod vix diù ſubſiſtere poſsimus, tentatione urgente, quin in peccata prolabamur: hoc tamen non impedit, quin cuilibet tentationi, quantumcumque gravi, reſiſtere valeamus, & immediate bonum operari per auxilium præſens, vèl ſaltèm mediatè implorando ulteriora auxilia, iuxta illud: *Deus impoſsibilia non jubet, ſed jubendo manet, & facere, quod poſsis, & petere, quod non poſsis, & adjuvat, ut poſsis.* Et de jeiunio ait idem Auguſt. de Natura, & Gratia cap. 6.: *orationis, & jeiunij exercitio, peccatum poſſe vitari.* Quod verò Auguſt. citat. non ſit intelligendus de neceſsitate ulla abſoluta, ſed tantum de quadam maxima difficultate, quę voluntati ineſt ad peccatum vitandum, in conſpectu tentationis gravis, patet evidenter ex eo, quod loco citato in argumento hanc neceſsitatem peccandi comparet illi neceſsitati, quę contrahitur per habitum vitioſum, in quo non eſt neceſsitas, ſed tantum difficultas, quæ, mediante gratia, poteſt ſuperari.

249 En eius verba: *poſtquàm ipſe*, ſcilicet Adam, *libera voluntate peccavit, nos in neceſsitatem peccandi præcipitati ſumus; poteſt enim quiſque invenire, quod dico, hodie namque in noſtris actionibus tamquam conſuetudine aliqua implicemur, liberum habemus arbitrium faciendi aliquid, vel non faciendi; cum autem tota libertate fecerimus aliquid, & facti ipſius tenuerit animum pernitioſa dulcedo, voluntas ipſa conſuetudine, ſic implicatur, ut vincere poſteà non poſsit, &c.* Ex quibus verbis clarè conſtat, Auguſt. ſolum intendere, concupiſcentiam ex peccato Adami ortam, talem dumtaxat afferre neceſsitatem, qualem affert conſuetudo, ſeu habitus vitioſus; ſed nullus eſt habitus, quantumcumque vitioſus, cui voluntas cum gratia reſiſtere non poſsit: ergo nec ulla eſt concupiſcentia, cui reſiſtere non poſsit, mediante auxilio ſupernaturali gratiæ, quod Deus omnibus concedit, & maximè tentatis, cum Deus neminem permittat tentari ultra id, quod moralitèr poteſt. Eodem modo intelligitur Auguſt. de Natura, & Gratia dicens: *eſt quædam in natura lapſa peccandi neceſsitas.* Et lib. 3. de Libero arbitrio cap. 18.: *juſtum eſt, ut qui benè agere noluit, dum potuit, amit-*

amittat poſſe cum velit. Nam, vel hic loquitur de actibus indeliberatis, quos non poſſumus impedire, etiam ſi velimus, vel loquitur de actibus bonis deliberatis, quos non poſſumus elicere in hoc ſtatu naturę lapſæ, adhuc mediante auxilio gratiæ ſine difficultate vincenda: vel tandem loquitur, quia non ſemper, ac conamur, habemus poſſe, & ſufficientiam proximam, licèt ſemper habeamus remotam, qua poſsimus proximam acquirere.

250 Arguitur 6. ex eodem Auguſt. lib. de Correctione, & Gratia, ubi docet illa duo adjutoria *ſine quo*, & *quo*, & ait: *Ita ſubentum eſt infirmitati per gratiam, ut indeclinabiliter, & inſuperabiliter.* Item ex eodem ſuper illud Pauli: *non eſt volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei.* Tertiò ex eodem ſuper illud Apoſtoli: *quis te diſcernit*, in quem textum multa dicit Auguſt. Quartò, nam libro 1. ad Simplicianum quæſt. 2. docet, ad conſenſum ſalutarem requiri cogitationem ſupernaturalem in intellectu, & delectationem victricem in voluntate, ex quibus coaleſcit auxilium, quo infallibiliter convertimur: ergo, &c. Reſpondeo, quod prioribus auctoritatibus jam fuit alibi adhibita ſolutio. Et ad ultimam dicatur per diſtinctionem: infallibiliter infallibilitate conſequenti, conc.: infallibilitate antecedenti, nego. Et dum dicitur, quod delectatio eſt victrix, ſic diſtinguatur: eſt victrix victoria, à ſola gratia proveniente, nego: à gratia & voluntate ſimul, conc.

251 Arguitur 7. ex illo axiomate, quod Ianſenius judicat eſſe clavem in Auguſt. videlicet: *neceſſe eſt, quod operemur, ſecundum id, quod magis nos delectat*; ſed aliquando magis nos delectat motus ſupernaturalis indeliberatus in bonum, quam motus indeliberatus contrarius in malum, & contra aliquando magis nos delectat motus indeliberatus in malum, quàm in bonum: ergo quotieſcumque accidit, delectationem indeliberatam gratiæ erga bonum eſſe maiorem delectatione, ſeu motione indeliberata concupiſcentiæ erga malum, neceſſe eſt, ut benè operemur; & per oppoſitum: ſi motus indeliberatus concupiſcentię erga malum fuerit maior delectatione indeliberata erga bonum, neceſſe erit, ut nos malè operemur; ſed neutro modo eſt neceſſarium neceſsitate phyſica: ergo utroque modo eſt neceſſarium neceſsitate morali.

Reſ-

Reſpondeo, Ianſenium decipi in intellientia Auguſtini, quando illud ſuum principium, *quod amplius nos delectat, &c.* judicat, eſſe verum de motibus indeliberatis. Magn. Par. Aug. ſuper Epiſt. ad Galatas, loquens de delectatione deliberata, de libero voluntatis conſenſu, ait: *neceſſe eſt, ut operationes, & potentiæ ceteræ, imperio voluntatis ſubditę, ſequantur ejus imperium.* Quam propoſitionem transfert Ianſenius ad delectationes indeliberatas, tam gratiæ, quam concupiſcentiæ, & cuicumque obtigerit arctiorem eſſe, tribuit victoriam neceſſariam, non quidem neceſsitate phyſica, ſed tantum morali, moraliter determinante voluntatem.

252 Auguſt. itaque, nec loco citato, nec alibi umquam docuit, neceſſe eſſe, ut animus ſequatur maiorem delectationem indeliberatam, ſivè iſta ſit in bonum, ſive in malum, hoc enim longè diſtat ab eius catholica mente; ſed docet, neceſſe eſſe, quod ſecundum quod magis delectat operemur, hoc eſt, ut potentiæ inferiores voluntatis imperio ſubiectæ exequantur, quod animus, ſeu voluntas liberè, & efficacitèr faciendum elegerit quę electio, ut patet, maior ſimul, & deliberata voluntatis delectatio eſt. Hoc pacto intellecta maiori, diſt. min.: ſed aliquando magis nos delectat, &c., & illa maior delectatio in bonum nos ullo modo neceſsitat, aut determinat, nego min.: & illa maior delectatio nos movet juvat, & excitat, ut noſmetipſos determinemus, conc. min., & nego conſequentiam. Item, Ianſenius fallitur imputando delectationi ſolæ vim inclinandi voluntatem; nam fidelis Sancti Auguſt. diſcipulus Sanctus Proſper lib. contra Collatorem cap. 7. varios, ac multiplices affectus, quibus Deus homines ad ſe invitat, ponit per hęc verba: *trahit timor :: trahit lętitia, trahit deſiderium :: trahunt delectationes. Et quis perſpicere poſsit per quos affectus viſitatio Dei animum ducat humanum, ut quæ fugiebat ſequatur, quæ oderat diligat, quæ faſtidiebat exuriat; ac ſubito commutatione mirabili, quæ clauſa ei fuerant, fiant aperta, quæ oneroſa ſint levia, quę amara ſint dulcia, &c.* Ex quibus conſtat manifeſtè alias affectiones, à delectatione diſtinctas, pertinere ad gratiam actualem.

253 Arguit. 8. ex eodem Auguſt. ſuper Pſalm. 106.: *Deo deſiſtente ab adjutorio, labo-*

borare poteſt , vincere non poteſt. Et ſuper Pſalm. 89. : *ſine Dei adjutorio tentationes huius vitę ſuperare non poſſumus.* Et Epiſt. 106. contra Pelagium: *fateatur Pelagius , quando contra tentationes , concupiſcentiaſque illicitas dimicamus , quamvis illic habeamus propriam voluntatem , non tamen ex illa , ſed ex adjutorio Dei provenire victoriam* ; ſed hæc authoritates Auguſtini neceſſariò adaptandæ ſunt ad caſum gravis tentationis, quia ſine illo adjutorio gratiæ poſſumus vincere aliquas tentationes leves , ut patet ex damnatione propoſitionis 30. Baij : ergo ad vincendas graves tentationes , requiritur adjutorium ſpeciale. Nunc ſic : ſed adjutorium Dei ſpeciale in conſpectu tentationis gravis infallibiliter moraliter determinat voluntatem ad reportandam victoriam : ergo talis ſpecialis gratia neceſsitat certò moraliter ad conſenſum.

254 Reſp. concedendo totum præter ſubſumptam, cum ſua conſequentia : & nunc breviter prout ad præſens attinet explicatur ſenſus verborum Auguſt. Dum dicit : *deſiſtente Deo , &c.* diſtinguo : & non peccatur incidendo in tentationem abſente adjutorio Dei, conc. : & deindè incidendo peccatur, nego. Eodem modo explicatur ſecunda auctoritas. Ultima authoritas non eſt ad rem; quia ibi diſputat contra Pelagium , qui victoriam tentationis gravis in poſſe naturali voluntatis ponebat , & conſtituebat ; quæ tamen victoria non habetur , inquit Auguſt., ſine Dei adjutorio ſupernaturali. Itaque voluntas preſſa gravi tentatione , & deſtituta ſupernaturali adjutorio Dei , neceſſario conſentiet tentationi, etiam neceſsitate metaphyſica , ſeu phyſica proxima, & tamen non peccabit formaliter. Ratio eſt ; quia , ut quis formaliter peccet , ſeu demeritorie agat , neceſſario requiritur, quod actus primus proximus ſit adæquatè conſtitutus in ordine ſupernaturali ad poſſe proximè reſiſtere tentationi ; quod ſanè non verificatur de voluntate , conſtituta ſub gravi tentatione , & deſtituta ſupernaturali Dei auxilio. De hoc iterum redibit ſermo.

255 Arguitur 9. ex eodem Auguſt. de Prædeſtinatione cap. 8. ajente : *hæc autem gratia , quę occultè humanis cordibus divina largitate tribuitur à nullo duro corde reſpuitur; ideò quippè tribuitur , ut cordis duritia primitus auferatur.* Ex qua auctoritate ſic formatur ratio : juxta Auguſt. , quæ à nullo duro corde reſpuitur, &

qua

qua cordis duritia primitùs aufertur, nequit non eſſe efficax tam in actu primo, quam in actu ſecundo; ſed talis eſt gratia, quam Deus largitur humanis cordibus: ergo talis gratia eſt ſic efficax. Num ſic: ſed talis gratia non eſt ſic efficax phyſicè, quia aliàs phyſicè prædeterminaret: ergo determinat certò, & infallibiliter moraliter, & conſequenter in tali morali determinatione conſiſtit efficatia gratiæ. Explico Auguſt.: hęc itaque gratia, &c., a nullo duro corde, intús audiente doctrinam Patris, ſeu ejus doctrinę conſentiente reſpuitur, conc.: à nullo duro corde, intus non audiente, ſeu nolente conſenſum dare doctrinę Patris, reſpuitur, nego. Auguſt. tractat illud Ioann. 6.: *omnis, qui audivit à Patre, & didicit, venit ad me.* Et immediatè ad verba argumenti addit: *quando ergo Pater intus auditur, & docet, ut veniatur ad filium, aufert cor lapideum, &c.* Ubi, ut videtur, requirit Auguſt. ad hoc, ut gratia non fruſtetur ſuo effectu, quod conſenſus ei internus præſtetur à corde, ſeu à voluntate; alioquin non diceret: *quando Pater intùs auditur*; nam ſufficeret ei, dicere, quando homo audit, aufertur cor lapideum. Immo ipſe textus Evangelicus iſtam ſolutionem indicat, dùm dicit: *qui audivit ei didicit à Patre.* Ubi per ly *didicit* ſignificatur cooperatio voluntatis, alioqui falſum eſſet, hominem, audientem à Patre, id eſt, gratia motum didiciſſe. Ex hac explicatione authoritatis Auguſt. patet reſponſio ad argumentum, cuius mai. conceſſa, diſt. min.: ſed talis eſt gratia, &c. ut humana corda ei liberè, & contingenter cooperentur, conc. min.: neceſſariò phyſicè, aut moraliter, nego min.; & conceſſa ſubſumpta, nego utramque conſequentiam.

256 Arguitur 10.: hæc propoſitio: homo deſtitutus auxilio efficaci, & gravitèr tentatus, infallibiliter ſuccumbet tentationi; eſt propoſitio certa, & infallibilis; immò, & de fide; ſed inter, tentationē gravē, & conſenſum, ei infallibiliter præſtandum ab homine deſtituto auxilio efficaci, non datur, niſi connexio moralis: ergo cum auxilium efficax non ſit minus potens ad inferendum conſenſum ſalutarem, ac tentatio gravis, ad inferendum conſenſum turpem, ſequitur, quod, ſicut tentatio gravis moraliter neceſsitat voluntatem ad

ad conſenſum turpem, ita & auxilium efficax moraliter neceſsitet ipſam ad conſenſum ſalutarem: & conſequenter gratia efficax ſtat in tali cum voluntate attemperatione, ut ab ea determinetur moraliter. Urgetur ex illo Pauli ad Rom. 7., dicentis: *video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati; quæ eſt in membris meis; infelix ego homo! Quis me liberabit à corpore mortis huius? Gratia Dei per Jeſum Chriſtum.* Ex quibus ſic arguit Sendin: Div. Paulus, dum exigebat gratiam, ad vincendam legem peccati, & eius captivitatem rumpendam, proculdubio exigebat gratiam efficacem; ſed legem peccati, & eius captivitatem vincebat Paulus per ſupernaturalem cogitationem, ſic ejus voluntatem alicientem, ut fuerit moraliter determinata ad proſequendum honeſtum: ergo hanc exigebat Paulus, & in hac ſtat efficacitas gratiæ. Maior, inquit, eſt certa; quia lex, & captivitas peccati ſolum vincuntur per gratiam efficacem. Minor probat.: lex peccati in tantum captivat voluntatem, in quantum ipſam alicit in bonum delectabile proſequendum: ergo, ſi detur alia cogitatio efficatius aliciens voluntatem, in ordine ad bonum honeſtum, per illam vincetur lex, ſeu captivitas peccati. Nunc ſic: ſed in voluntate moraliter determinata, ſive ad bonum honeſtum, ſive ad obiectum delectabile prohibitum, datur libertas phyſica ad utrumlibet: ergo in illa cogitatione, ita ſuavi, & forti per moralem determinationem, ſtat efficatia gratiæ.

257 Priuſquam reſpondeamus argumento genuinus, & litteralis ſenſus verborum Apoſtoli præmittendus eſt. Apoſt. loco cit. ad Romanos à ℣. 15. ubi ait: *quod enim operor, non intelligo; non enim quod volo bonum hoc ago; ſed, quod odi malum illud facio*, uſque ad finem capitis totus eſt in explicandis motibus indeliberatis appetitus ſenſitivi, qui in ipſo inſurgebant, quotiès volebat, vel facere bonum, vel evitare malum; & fatetur talem eſſe vim rebellionis, & concupiſcentiæ carnis adverſus ſpiritum, quod, quamvis condelectetur ipſe legi Dei præcipienti bonum, quantum ex ſe eſt, & ex ſuis proprijs viribus amet, & aprobet, ipſi tamen deficere vires, quibus concupiſcentiam vincat, niſi gratia Dei ipſum adjuvet. Unde, dum ait: *video aliam legem in membris meis:: captivantem me*, non intelligit per captivitatem ullam coactionem, aut neceſsitatem, ſed quandam ſolicita-

tionem provenientem à concupiſcentia cui non ſatis, ſeu numquam meritoriè, & prout oportet ad ſalutem reſiſtere valemus, niſi ſupernaturale divinæ gratiæ ſubſidium acceſſerit. Quarè lex peccati, de quà hic Apoſt., eſt, iuxta Auguſt. lib. 8. confeſsionum, quædam vis habitus, quo anima captiva tenetur. En eius verba: *ex perverſa voluntate facta eſt libido, & dum ſervitur libidini, facta eſt conſuetudo, & dum conſuetudini non reſiſtitur, facta eſt neceſsitas*, id eſt, difficultas benè operandi, ut ſupra diximus in reſponſione ad 5. argum. Quibus præmiſsis.

258 Reſpondeo ad argumentum diſtinguendo mai.: hæc propoſitio: homo deſtitutus, &c., ſumpto auxilio efficaci pro forma realitèr indiſtincta ab auxilio, quod dicitur ſufficiens, conc. mai.; ſed nego ſuppoſitum, ſcilicet, Deum non conferre homini gravitèr tentato auxilium aliquod ſupernaturale, quo tentationem vincere poſsit ſi velit; nam Deus neminem deſſerit, ut docet Trid. Concil. ex Auguſt., niſi prius deſſeratur: ſumpto auxilio efficaci pro forma, realitèr diſtincta ab auxilio ſupernaturali, quod ſufficiens dicitur, nego ſuppoſitum, quia auxilium ſufficiens, & efficax, non diſtinguuntur realitèr entitativè, nec formaliter ex natura rei, ſed ſolum penes diverſa connotata, hoc eſt, penes habere effectum, non eodem, ſed diverſo modo, quatenùs ſcilicèt auxilium efficax ſemper, certò, & infallibiliter obtinet conſenſum, & auxilium ſufficiens habet obtinere conſenſum fallibiliter, & aliquandò. Nego min.; quia inter tentationem gravem, & conſenſum ei infallibiliter præſtandum in abſentia auxilij ſupernaturalis, ſimul ſufficientis, & efficacis in actu primo, datur connexio metaphyſica; nam in iſta ſuppoſitione decretum Dei comitans terminatum eſſet ad materiale conſenſus, quod ſubſiſtere nequit ſine connexione metaphyſica. Et nego ſuppoſitum conſequentis, ſcilicet, aut tentationem gravem, aut auxilium efficax moraliter neceſsitare voluntatem.

259 Ad urgentiam, formatam ex verbis Apoſt., conc. mai., & nego min. Ad probationem diſtinguo antec.: in tantum lex peccati captivat voluntatem, hoc eſt, ipſam ſolicitat, in quantum ipſam alicit, ad proſequendum bonum delectabile, alicientia, quam, mediante gratia, poteſt pro ſuo libito reſpuere voluntas, conc. antec.: alicientia, quæ ſic non poteſt reſpui, nego antec., & diſtinguo con-

ſe-

ſequens: ergo, ſi detur alia cogitatio, efficatius aliciens voluntatem in ordine ad bonum honeſtum, per illam vincetur lex peccati, accedente determinatione voluntatis tali cogitationi, conc. conſeq.: determinatione propria voluntatis non accedente, nego conſequentiam. Eſt ergo certum, legem peccati, in tantum ſolicitare voluntatem, ad proſecutionem boni delectabilis, in quantum ipſam alicit ad amorem talis boni: hæc tamen alicientia non eſt talis naturæ, ut voluntas, mediante gratia, non poſsit pro ſuo libito eam abjicere. Immò, & ſi ſtante concupiſcentia, aliciente voluntatem ad proſecutionem boni delectabilis, ſuperveniat cogitatio ſupernaturalis vividius ſuadens voluntati, ut bonum honeſtum amplectatur, adhuc voluntas utendo jure ſuæ libertatis, poteſt abjecere illam vividiorem cogitationem, quia illa maior alicientia, qua gratia in conſpectu obiecti delectabilis proponit obiectum honeſtum oppoſitum nullo modo determinat voluntatem ad proſecutionem boni honeſti, præ proſecutione obiecti delectabilis; alioquin voluntas nihil tunc elective ageret. Unde illa maior delectatio indeliberata, invitans ad honeſtum; ex ſua natura ſolum habet magis inclinare voluntatem in bonum, quam tentatio, orta ex concupiſcentia, in malum oppoſitum, non tamen habet ex ſua natura ipſam activè determinare, cum voluntas, adhuc ſub illa maiori alicientia, retineat integram ſuam indeterminationem activam ſeſe vertendi ad extremum, quod voluerit.

260 Quæ doctrina videtur adeò certa in noſtra Schola, ut vix, aut ne vix quidem detur ambigendi locus: nam, ſicut in qualibet Schola philoſophatur, ita ſimiliter, ut conſequenter procedatur theologizandum eſt. In Schola Scotiſt. eſt principium inconcuſſum, quod tolleretur uſus libertatis, ſi voluntas determinaretur in ſuis actibus ab aliquo, ex prærequiſitis ad agendum. Hinc docent omnes Scotiſtę, radicem intrinſecam voluntatis eſſe in ſola ipſa, & quod voluntas non determinatur ab ultimo judicio practico intellectus, eo quod tale judicium, ut pote unum ex prærequiſitis ad agendum actione ſeria, antecedat cooperationem voluntatis, nec ſit in manu voluntatis, ne ponatur tale judicium. Conformiter ad hæc principia, nos dicimus, quod nullum auxilium habet determinare voluntatem creatam, nec phyſicè,

nec moralitèr. Ratio, quia ſi ideo judicium practicum intellectus, juxta Scotiſtas, non eſt determinativum voluntatis, quia eius operationem antecedit, nec eſt in eius manu, ne ponatur tale judicium, pariformitèr gratia attemperata, ſecundum Contrarios, antecedit operationem voluntatis, ipſamque determinat ad operandum, & aliunde non eſt in manu voluntatis, ne ponatur tale auxilium; cum, juxta Contrarios deſcendat à Deo efficacitèr prędefiniente conſenſum, inconſulta voluntate: immò nec in poteſtate voluntatis eſt auferre tale auxilium, ſemel ac conferatur.

261 Dices: defacto ſtat neceſſitas moralis cum libertate, & contingentia phyſica: ergo ruunt hucuſque dicta. Prob. antec.: Deus defacto clarè viſus in Patria, licèt phyſicè contingentèr agat ad extra, tamen ob infinitatem ſuę bonitatis, neceſſario moralitèr movet voluntatem beati ad fruitionem ſui: ergo, &c. Reſp. negando antecedens utrumque, quia objectum beatificum, ſeu Deus clarè viſus, non ſolum neceſſariò moralitèr, ſed etiam neceſſario phyſicè concurrit ad fruitionem beatam. Unde, licèt Deus ad extra phyſicè contingenter agat, tamen, ſemèl ac decrevit concurrere cum voluntate beati concurſu præciſsè determinato ad fruitionem, decernendo negationem omnis concurſus ad oppoſitum; tunc voluntas beati non ſolum moralitèr, ſed etiam phyſicè proximè eſt neceſsitata ad fruendum, non quidem neceſsitate proveniente ab intrinſeco, quia hoc eſt contra eius naturam, ſed neceſsitate proveniente ab extrinſeco, ſcilicèt, ex negatione concurſus parati ad utrumlibet.

262 Dices adhuc: ſolutio ſolùm probat, quod voluntas beati ſit neceſsitata, non ſolum moralitèr, ſed etiam phyſicè ad fruendum Deo, non tamen, quod Deus, manens phyſicè, ſeù contingentèr liber, non ſit moralitèr neceſsitatus ad movendam voluntatem beati ad fruitionem ſui. Contra: Deus non eſt moralitèr neceſsitatus ad movendam voluntatem beati, erga fruitionem ſui, niſi eo modo, quo etiam eſt phyſicè neceſsitatus, ſcilicet ex ſuppoſitione ſui decreti: ergo vel non eſt moralitèr neceſsitatus ad ſic movendum, vel eſt etiam phyſicè neceſsitatus; vel, ſi eſt phyſicè libèr, eſt etiam moralitèr liber. Confirmatur hoc ex ipſomet uſu libero voluntatis divinæ; nam omnes Theologi docent, Incarnationem Verbi fuiſ-

ſe

ſe optimum remedium ad redemptionem Generis humani, idque Deum neceſſariò cognoviſſe, priuſquàm illam vellet: quo non obſtante, *Deus* poterat, non ſolum phyſicè, ſed & moraliter non velle Incarnationem Verbi, ſed aliud medium valdè diſtinctum pro redimendis hominibus. Et quamvis non deſint Theologi, inter quos aliqui Scotiſtę, docentes, Deum fuiſſe moraliter neneſsitatum ad decernendam Incarnationem per modum medij ad redimendos homines, tamen eadem facilitate, qua hoc aſſeritur, negatur.

263 Ex quibus patet ad alias plures prepoſitiones, quibus Contrarij neceſsitatem moralem inducunt in operibus, tam meritorijs, quàm demeritorijs; nam dum dicunt, quod tentatio gravis contra caſtitatem abſque ſpeciali gratia vinci non poteſt, iuxta illud Sapientiæ 8.: *nemo poteſt eſſe continens, niſi Deus dederit*, hoc libenter fatemur, quia fide certum eſt, omnem victoriam noſtram contra tentationes graves, prout oportet ad ſalutem eſſe per gratiam Dei; cum non ſimus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis quaſi ex nobis. Negamus tamen huiuſmodi gratiam neceſſitatem ullam adhuc moralem nobis imponere, cum liberrimè, & abſque ulla omninò contradictione eam poſsimus abjicere; immo & non raró, abjicere ſolemus, tentationi ſuccumbentes. Præterea, dum dicunt ex Trid. ſeſ. 6. can. 23., ut legit Souſa, ſi homo juſtus ſpecialiſsima gratia deſtituatur, aliquod peccatum veniale commitet. Et addit Sendin: quia plures ſunt occaſiones peccandi, & eſt ſumma fragilitas humana. Quandó, inquā, hunc canonem allegant, poterant Concilium legiſſe, ubi talia verba non habentur: nam integra verba prædicti canonis ſunt iſta: *ſi quis, hominem, ſemel juſtificatum, dixerit, amplius peccare non poſſe, neque gratiam amittere :: aut contra : poſſe in tota vita peccata omnia, etiam venialia vitare, niſi ex ſpeciali Dei privilegio, quemadmodum de B. V. tenet Eccleſia; anathema ſit.* In quo canone ſolum definit Concilium, ſpeciale Dei privilegium eſſe omninò neceſſarium ad immunitatem ab omnibus peccatis, mortalibus, & venialibus collectivé ſumptis, quod veriſsimum eſt, ſed quid valde diverſum à difficultate, quam modo examinamus.

264 Nec in eadem ſeſſione can. 22. habetur aliquid, favens opinioni contrariæ; nam ibi dicitur: *ſi quis dixerit, juſtificatum, vel ſine ſpeciali auxilio Dei in accepta juſ-*

juſtitia perſeverare poſſe, vel cum eo non poſſe; anathema ſit. Siquidem in prima parte illius canonis dicitur anathema illi, qui docuerit, hominem juſtificatum per gratiam habitualem poſſe perſeverare in eadem gratia ſine ſpeciali auxilio Dei, & in ſecunda parte anathematizatur ille, qui dixerit, hominem, ſemèl juſtificatum, per gratiam habitualem, non poſſe perſeverare in tali ſtatu mediante auxilio ſpeciali Dei. Ubinam igitur in uno, vel altero canone dicitur: *ſi homo juſtus ſpecialiſsima gratia deſtituatur*? Nullibi ſanè; quarè judico, hos Auctores legiſſe ſpecialiſsima gratia, ut per ly *ſpecialiſsima* quod ſuperlativum eſt, alios facilius inducerent in ſuam opinionem. Undè per auxilium ſpeciale, ſine quo juſtus non poteſt perſeverare in gratia, & cum quo in gratia perſeverare poteſt, non eſt auxilium ſpecie diſtinctum ab auxilijs, communiter conceſsis hominibus juſtificatis, immò & peccatoribus, ut iuſtificentur pro ſtatu naturæ lapſæ.

265 Sed quia in uno ex his canonibus, ſcilicèt, 22. fit mentio auxilij ſpecialis Dei ad poſſe perſeverare in juſtitia, & in altero, ſcilicèt 23., fit mentio ſpecialis privilegij Dei ad poſſe vitare pro tota vita omnia peccata, etiam venialia, quemadmodum tenet Eccleſia de Dei Genitrice, deſiderabitur ſcire, in quo conſiſtit hoc ſpeciale Dei privilegium ad vitanda omnia prorsús peccata? Et quomodò differat ab auxilio ſpeciali (quod poteſt dici ordinarium, relatè ad illud ſpeciale privilegium) quo vitiantur mortalia, & venialia ſeorſim ſumpta? Reſpondent aliqui, illud privilegium ſpeciale vitandi omnia prorsús peccata, conſiſtere in aliqua maiori intenſione graduali illius privilegij ſuper alia auxilia. Sed hoc non admittimus, quia multotiès contingit, vel ſaltem contingere poteſt, quod quis ſit cautior alio ad vitanda peccata cum æquali, aut cum minori auxilio gratiæ in ſua entitate intrinſeca. Reſpondent alij conſiſtere in quadam perfectione ſpecifica ſuperiori, & intrinſeca, quam non habent alia auxilia. Sed hoc dictum refutatur eadem ratione, ac præcedens reſponſio. Præterea refellitur; quia ſine ulla urgente ratione fingitur talis diſtinctio ſpecifica intrinſeca in auxilijs, ut pluries manet dictum. Nos verò dicimus, tale ſpeciale privilegium conſiſtere in quadam maioritate extenſiva, relate ad alia auxilia eiuſdem ordinis; quatenús nimirùm

rũm in hominibus, qui ab omni culpa, etiam leviſsima, per totum longioris vitæ curſum abſtinerent auxilia eſſent abundantiora magiſque continua; nam ſic homo redderetur attentior, magiſque continuè excitaretur ad bonum, & hoc abſque ulla diſtinctione ſpecifica intrinſeca horum auxiliorum ab illis, quibus vitantur, aut vitari poſſunt, & ſi aliquando non vitentur peccata mortalia, aut venialia, diſtributivè accepta. Inter puros homines ſoli Deiparæ creditur conceſſum hoc privilegium.

266 Deveniendo ad ſecundum, quod inquiritur: quomodo ſcilicèt differat auxilium illud ſpeciale, quo vitantur omnia peccata, collectivè ſumpta, ab auxilio ſpeciali, quo vitantur, accepta diſtributivè, ſupponendum eſt, maiorem, ſeu magis ſpecialem gratiam requiri ad vitanda omnia venialia, collectivè ſumpta, pro toto tempore vitæ, quam ad vitanda mortalia, eo quod longè difficilius ſit cavere venialia collectivè ſumpta, quam mortalia. Ratio eſt: quia non ſolum occaſiones venialium ſunt magis familiaria, & delectabilia cum exigua, aut ferè nulla remurmuratione conſcientiæ: ſed quia auxilia, & motiva, quæ retrahunt homines à mortalibus, ſunt fortiora illis, quę retrahunt illos à venialibus; nam à comiſsione mortalium retrahuntur homines per naturalem horrorem turpitudinis, & deordinationis eorum, per repugnantiam rationis, per metum pœnarum Inferni; & conſequentèr per timorem amiſsionis gratiæ, & gloriæ: quæ quidem motiva non militant pro venialibus, cum omnia iſta ſecundum ſe, etiam collectivè ſumpta nullum horum effectum cauſent.

267 Ex quo facilis eſt ad dubium ſolutio, dicendo, quod illa gratia, qua vitantur omnia venialia collectivè ſumpta, ex una parte ſit ſecundum quid maior, illa qua vitantur mortalia, ſive collectivè, ſive diſtributivè ſumpta; ex alia verò parte ſit ſecundum quid minor tali gratia. Quod ſit ſecundum quid, ſeu extenſivè maior patet ex dictis: immò talis gratia, prout importat ſpeciale privilegium vitandi omnia prorsùs venialia, uti fuit gratia Deiparæ, dicit quandam ſuperabundantiam charitatis, ingentem perfectionem virtutum, & cumulum omnium donorum, & auxiliorum ad vincendas quaſcumque, & cuiuſcumque peccati occaſiones, ſive tale peccatum graveſit, ſive leve. Quod autem

ſit

ſit ſecundum quid minor eadem gratia patet; nam illa gratia eſt ſecundum quid maior, quæ eſt magis ſalutaris, magiſque neceſſaria; ſed gratia, qua vitantur mortalia eſt magis neceſſaria, magiſque ſalutaris, quam gratia qua vitantur venialia; quia per illam ſervatur innocentia, vitatur damnatio, perveniturque ad vitam æternam, & tandem talis gratia eſt magis gratuita, magiſque indebita creaturę: ergo gratia, qua vitantur venialia, comparativè ad gratiam, qua mortalia vitantur, eſt ſecundum quid minor. Notetur, iſtas gratias, quomodocumque conſideratas, nequaquàm entitativè, & ſpecificè diſtingui.

268 Arguitur 11. ex Innoc. I., qui ad Concilium Carthaginenſe ſecundum, ita ſcribit: *Deus quotidiana præſtat remedia, quibus, niſi confiſsi nitamur, nullatenus humanos vincere poterimus errores; neceſſe eſt enim, ut quo auxiliante vincimus, & iterum non adjuvante vincamur*; ſed hic non eſt ſermo de neceſsitate phyſica: ergo tantum de morali: ergo gravitèr tentatus, & non adjutus, neceſſariò neceſsitate morali peccat. Reſpondeo concedendo mai.; quia ſicut certum eſt, quod, Deo nobis auxiliante, victuri ſumus tentationem; ita quoque certiſsimum eſt, quod, tentatione gravi nos pulſante, ſuperandi ſumus, ſi Deus nos non adjuvat, quia Deo non adjuvante, nihil agimus meritoriè. Negatur verò minor; quia ad libertatem phyſicam proximam, requiſitam ad actum ſalutarem, requiritur indiſpenſabilitèr, quod potentia libera ſit in actu primo proximo inſtructa omnibus prærequiſitis ad agendum ſalutaritèr & cū ſit unum requiſitū auxiliū ſupernaturale excitans, & movens potentiam, hinc eſt, quod deficiente tale auxilio, deficit libertas phyſica proxima ad ſalutarem actum. Unde, cum libertas phyſica, & phyſica neceſsitas inter ſe opponantur, hinc eſt, quod, non ſtante in voluntate libertate phyſica, ſtabit in ipſa phyſica neceſsitas. Patet à ſimili: Chriſtus Dñs., ſaltem in actibus præceptis, fuit neceſsitatus etiam phyſicè, ita quod libertate phyſica proxima caruerit ad tales actus, non aliā de cauſa, quam ex carentia concurſus parati ad utrumlibet, qui ſanè concurſus eſt unum ex phyſicè prærequiſitis ad potentiam, ſeu libertatem proximam agendi, & non agendi: ergo cum auxilium ſupernaturale ſit unum, ex phyſicè prærequiſitis ad agendum, & non agendum meritoriè, requi-

quiritur ad libertatem phyſicam proximam.

269 Pro aliorum ſolutione eſt advertendum primò, quod in ſententia contraria latentes contradictiones docentur. In ipſa namque docetur, libertatem phyſicam, & moralem interſe realitèr, & adęquatè diſtingui, tamquam ſpecies, condividentes aliquod genus, quod quidem aſſertum non cohæret principijs contrariorum; nam, ſi verum tenet opinio contraria, nec datur, nec dabilis eſt libertas moralis, quod, ut vides, deſtruit ſupradictam diviſionem. Quod verò in ſententia contraria non detur locus libertati morali, ut contradiſtinctę libertati phyſiſicę, maximè in iſta controverſia, in qua ſolum agitur de actibus meritorijs, vel demeritorijs, patet evidenter ex eo, quod actus ſupernaturalis, & meritorius, dum elicitur, elicitur, juxta Contrarios, neceſſario moraliter; & cum neceſſitas moralis, moraliſque libertas, reſpectu eiuſdem repugnent, conſequens eſt, libertatem moralem repugnare actui meritorio. Similitèr, dum quis, aliqua tentatione gravi preſſus, peccat, neceſſariò moraliter peccat juxta Contrarios: ad quid ergo diviſio libertatis in phyſicam, & moralem, ſi libertas moralis repugnat in actibus meritorijs, & demerijs?

270 Advertatur 2., videri nimis duram opinionem contrariam, nam ea ſuppoſita, manifeſtè ſequitur, Deum poſſe pręcipere Petro aliquid, quod tantum eſt in poteſtate ejus phyſica, minimè verò in poteſtate eius morali, nec proximè, nec remote, quod quidem ſonat crudelitatis ſpeciem: quid enim crudelius, quam Deum obligare aliquem ad aliquid faciendum, aut evitandum, ad quod habet impotentiam moralem? Hoc ſanè foret contra illud Trident. Concilij ſeſſ. 6. cap. 11.: *Deus impoſsibilia non iubet, &c.* In quibus verbis ſolum eſt ſermo de impoſsibilitate morali, docetque Sancta Synodus, Deum non pręcipere hominibus, quod ſit eis moralitèr impoſsibile. Advertatur tandem ex dictis, quod eo ipſo, quod actualis coniunctio cum conſenſu ſalutari ſit eſſentialis auxilio moralitèr determinanti, ſeu prædeterminanti, ut fatentur Contrarij, non minus deſtruitur libertas per huiuſmodi auxilium, moralitèr determinans, aut prædeterminans, quam per quamcumque prædeterminationem, ſivè intrinſica ſit, & phyſica, ut eſt Thomiſtica, ſive extrinſeca,

& per imperium; & conſequentèr omnia argumenta, quæ congerunt noſtri Adverſarij contra prædeterminantes, ſivè intrinſicè per qualitatem, ſivè extrinſecè per imperium, omnino irrita, & nullius roboris redduntur.

271 Reſpondet Souſa, quod ex auxilio, moralitèr determinante, aut prędeterminante potiùs infertur libertas conſenſus, quam eius carentia. Eſt ratio ipſius, quia quando aliquod conſequens infertur legitimè ex præmiſſis, ſi in iſtis affirmatur libertas, nequit non reperiri libertas in conſequenti; ſed ſic ſe habet res in præſenti, ut patet in iſto ſyllogiſmo: *quilibet prędeterminatus moralitèr conſentiet liberè; ſed Petrus eſt prędeterminatus moralitèr: ergo conſentiet liberè.* Ubi conſequentia eſt legitima, & neceſſaria, & conſequens aſſerit, conſenſum eſſe liberè eliciendum. Sed contra; quia, etiam phyſicè prædeterminantes, à quibus diſcordant Adverſarij, ajunt, ſuam prędeterminationem per legitimam conſequentiam inferre libertatem conſenſus, quæ tamen reſponſio refutatur eodem modo, ac nunc adducta: nam circa maiorem talis ſyllogiſmi, Petrus nullam habet poteſtatem liberam; talis maior, juxta Contrarios, eſt metaphyſicè certa. Nec circa minorem habet poteſtatem liberam; quia prædeterminatio, ſive phyſica, ſive moralis unicè venit à Deo; & conſequentèr nullam habebit poteſtatem liberam circa illatum; nam, ſi pręmiſſę ſunt omninò neceſſarię reſpectu Petri, & conſequens legitimè, & neceſſariò inferatur ex præmiſſis, quomodò tale conſequens poterit eſſe liberum Petro? Immò Thomiſtæ magis conſequentèr procedunt, quàm moralitèr determinantes, aut prædeterminantes; quia, quamvis Thomiſtæ dicant, ſuam prædeterminationem connecti eſſentialitèr cum actu libero, non admittunt tamen potentiam phyſicam proximam, ad carentiam actus prædeterminati, in ſenſu compoſito prædeterminationis: at Scotiſtæ, nobis adverſi, admittentes connexionem metaphyſicam inter prędeterminativum morale, & actum liberum, dicunt nihilominùs, dari potentiam phyſicam proximam ad carentiam actus in ſenſu compoſito ſuæ prædeterminationis moralis, quod eſt æquè repugnans, ac, ſi quis diceret: homo eſt metaphyſicè, & eſſentialitèr animal rationale, & poteſt non eſſe animal rationale.

272 Arguitur deniquè ex Souſa, multa adducente Scriptu-

turę loca, in quibus, ait, non poteſt haberi litteralis ſenſus, niſi admittatur neceſsitas moralis, & moralis impoſsibilitas ad oppoſitum. Et primò eſt illud 2. Machab. 3. : *decipi verò eos, qui credidiſſent loco, & Templo, quod per univerſum mundum honoratur, omninò impoſsibile eſſe.* Secundò illud Marci 12. : *facilius eſt, camellum per foramen acus tranſire, quam divitem intrare in Regnum Dei.* Tertiò illud Pauli ad Hębreos 6. : *impoſsibile eſt, eos, qui ſemel ſunt illuminati, guſtaverunt donum cœleſte, & participes facti ſunt Spiritus Sancti, & prolapſi ſunt, rursùs renovari.* Quartò illud Marci 6., ubi loquens de Chriſto, ait : *non poterat ibi virtutem ullam facere* ; & cap. 7. : *& ingreſſus domum non potuit latere* ; ſed hę, & ſimiles locutiones, quæ paſsim in Scriptura reperiuntur, non poſſunt aliter intelligi, nec explicari, quam de neceſsitate, & impoſsibilitate morali: ergo datur talis moralis neceſsitas. Negando minorem reſpondeo. Ad textus alegatos dico, nihil convincere. Non primus, quia, ut ait Calmet in eius expoſitione, ly *impoſsibile* ibi idem omninò eſſe ac injuſtum, ad quod adducit Juriſconſultos dicens : *Juriſconſulti ajunt, aliquid eſſe impoſsibile, quando eſt contra juſtitiam.* Ad ſecundum ex Marco reſpondet idem Interpres, dum ait, impoſsibile eſſe, divitem ſalvari, intelligitur quid arduum, & quod ſola naturæ vi fieri nequaquam poteſt.

273 Ad tertium reſpondeo cum eodem Calmet, ſenſum litteralem illorum verborum : *impoſsibile enim eſt*, eſſe hunc : abſolutè impoſsibile eſt ut peccata, ſemèl remiſſa per baptiſmum aquæ, & iterum commiſſa, eadem facilitate expientur, qua primò deleta ſunt per baptiſmum, quo prębetur additus in Eccleſiam; non enim poteſt iterari tale remedium. Non tamen excludit Paulus baptiſmum pœnitentię ad expianda illa peccata, in quæ poſt regenerationem, aqua factam, cadere ſolemus : ergo Paulus non loquitur de baptiſmo pœnitentię, ſed de baptiſmo aquæ, poſt cujus ſuſceptionem, minimè ſperandum eſt, ut à peccatis iterum commiſsis poſt baptiſmum mundemur: relinquitur tamen nobis baptiſmus pœnitentiæ. Ad ultimum reſpondet idem Calmet ſic: *non poterat Chriſtus, quia nolebat, nolebat autem eo quod ſuorum concivium peccata impędiebant.* Et dum cap. 7. dicitur : *non potuit latere*, hoc fuit, vel quia aliquis Diſcipulorum ipſum dete-

xuit

xuit, vel quia ipſi Phenices illum ex facie cognoverunt: ergo nulla moralis neceſsitas, moraliſque impoſsibilitas importatur in his textibus.

QUÆST. ULTIMA.

An efficatia gratiæ regulanda ſit per decretum concomitans Scotiſtarum?

274 ULTRA ſententias hucuſque impugnatas circa efficaciam gratiæ divinæ, adhuc ſuperſunt aliæ, nam fuit Nominalium ſententia, quod pro ſtatu iſto non ſit à nobis naturaliter demonſtrabile, quod Deus habeat præſcientiam certam, & evidentem de futuris contingentibus, quamvis indubitata fide credere teneamur, Deum ea certò, & evidenter præſcire; cum paſsim hoc ſit in Scriptura revelatum. Quod ſi Nominales aliud non intendunt, quam quod præſcientia Dei de futuris nequeat probari rationibus à priori, in quo ſenſu eos intelligunt Maſtrius, & alij, verum dicunt, quia à priori non eſt aſsignabilis ratio, qua demonſtretur concordia libertatis noſtræ cum efficatia decretorum, & auxiliorum Dei.

275 Non tamen propterea negandæ ſunt rationes, quibus, præeunte fide, poſsit demonſtrari talis concordia, & maximè his temporibus, in quibus cum hæreticis accerrimè controvertitur præſens difficultas, ne Catholicis improperetur ab hoſtibus Eccleſiæ, quod concordia libertatis noſtræ cum gratia efficaci, & decretis divinis, ſi ad ſolam confugientes fidem omittamus rationes probabiles. Magnus Parens Auguſt. in hac profundiſsima difficultate fatetur, ſe cum tota ſui intellectus ſubtilitate premi inter liberum arbitrium, & efficaciam gratiæ: nam lib. de Peccatorum meritis, & remiſsione, ſic ait: *ipſa enim ratio quemlibet noſtrum vehementèr anguſtat, nec ſic defendamus gratiam, ut liberum arbitrium auferre videamur. Rursùs, ne liberum ſic aſſeramus arbitrium, ut ſuperba impietate ingrati Dei gratiæ judicemur.*

276 Ex quibus, & alijs dictis Sancti Doct. occaſionem ſumpſit Iulianus hæreticus eum calumniandi, ac ſi dixiſſet, gratiam eſſe incompoſibilem cum libero arbitrio: à qua calumnia ſe liberat Auguſt. lib. 4. contra Iulianum cap. 8. dicens: *tu autem vir honeſtus, & verax abſtuliſti verba, quę dixi, & dixiſti, quæ ipſe finxiſti. Ego enim dixi, iſta quæſt. ad diſcernendum eſſe difficilem, non autem dixi, non poſſe diſcerni, &c.* En ergo re-

refutatam eſſe ſententiam Nominalium, quibus eorum Princeps Ochan prębibit in 1. diſt. 38. quæſt. unica, & quos ſequitur noſter Perez Lopez, dicentium, non eſſe rationibus ſuadendam efficatiam gratiæ cum libero arbitrio, ſed unicè eſſe fide divina credendam. Manet, inquam, ex Auguſt. refutata; cum S. Doct. dicat, quod fide prębeunte, iſta concordia non eſt impoſsibilis, ſed tantum difficilis.

277 Eſt etiam aliquorum opinio, quod efficatia gratiæ deſſumitur à decreto moralitèr efficaci. Circa hanc opinionem non eſt, cur liceat multum immorari; nam omnia, quæ in præſenti opinione pro utraque parte problematis poſſunt adduci, ſatis hucuſque manent excuſſa per totam quæſt. 6. præcedentem, ubi prabatum manet, quod efficatia gratię non conſiſtit in vocatione, ita congrua, & attemperata voluntati, ut ipſam moralitèr determinet, & neceſsitet ad poſitionem actus; quod eſt idem, ac dicere, quod non deſſumitur à decreto moralitèr efficaci, quo Deus decernit dare homini auxilia moralitèr efficacia, cum quibus voluntas non poteſt non operari, licèt phyſicè, & metaphyſicè poſsit in oppoſitum. Videantur ibi dicta, & hic applicentur.

278 Eſt ergo ultima ſententia in præſenti quæſt. tractanda, quę efficatiam gratiæ regulat per decretum concomitans. Et ſanè caſu, quo detur decretum concomitans, ſcotiſticè explicatum, eſt certiſsimum, quod efficatia gratię debet regulari per ipſum; quia, ſuppoſito tali decreto, ſalvatur in Deo ratio cauſę primæ, & in voluntate creata ratio cauſæ ſecundæ cum omnimoda ſubordinatione ad cauſam primam, tam in eſſendo, quam in operando abſque ulla prioritate cauſalitatis in cauſa prima, relatè ad ſecundam; nec in ſecunda, relatè ad primam; ſimulque reconciliatur efficatia gratiæ cum infruſtrabilitate decreti, quæ, ſi vera ſunt, evitantur omnia incommoda, quæ nos, & Ieſuitæ objicimus contra prædeterminationem phyſicam Thomiſt.; nec non & illa, quæ Thomiſtæ nobiſcum opponunt decreto ſubſequenti Ieſuitico, dicto *ſubſequenti*, quia ſupponit conſenſum ſalutarem, conditionatè futurum prævisum per ſcientiam mediam. Unde eſt neceſſe recurrere pro intelligentia iſtius quæſtionis ad dicta in Tract. de Scientia Dei, ubi ſenſus iſtius decreti concomitantis aperitur, ratione, & auctoritate ſtabilitur, & tandem

dem à Contrariorum jaculis defenſatur. Quibus peractis, facile parebit, quàm meritò debet regulari per tale decretum efficatia gratiæ. Sit ergo noſtra

279 Concluſio : *efficatia gratiæ regulanda eſt per decretum concomitans, ſcotiſticè explicatum.* Scotiſticè explicatum, inquam. Iſtud enim in eo conſiſtit, quod voluntas divina non determinet voluntatem creatam, nec creata divinam, ſed quod utraque ſimultaneè ſe determinet ad actum, ita quod in nullo ſigno intelligatur, determinationem voluntatis divinę præcedere determinationem voluntatis creatæ; nec è contra, determinationem voluntatis creatæ præcedere determinationem voluntatis divinę. Unde iſta condeterminatio utriuſq. voluntatis ad eundem actum nihil aliud eſt, quam quod ſuppoſita indifferentia utriuſque voluntatis, reſpectu volitionis creatæ, ita utraque voluntas ab illo ſtatu indifferentiæ, quam habet in actu primo reducatur ad ſtatum determinationis, ut nec ad hunc ſtatum reducatur indifferentia divina, quin ad eum ſimul reducatur indifferentia creata: & è contra, abſque ulla prioritate naturę, vel cauſalitatis in determinatione voluntatis divinæ reſpectu determinationis voluntatis creatę, ſed potiùs omnimoda ſimultanea concomitantia, & condeterminatio, eo quod una voluntas, divina ſit, vel creata, cum ſuam exercet virtutem per ſuam determinationem, pro eodem ſigno, & inſtanti alia exerceat ſuam.

280 Adverti autem debet, quod, licèt determinatio voluntatis divinæ non habeat prioritatem cauſalitatis reſpectu determinationis voluntatis creatę, non tamen inde infertur, Deum non habere aliàs plures prioritates, reſpectu talis determinationis creatæ; quia in primis eſt prior prioritate remota naturę determinatione creata, quatenus produxit voluntatem creatam, quæ eſt principium proximum operationis creatę. Secundo eſt ſic prior, quatenùs per decretum ſuę voluntatis prępparat, & offert ſuam Omnipotentiam ad concurrendum cum creatura, quæ oblatio, & præparatio dicitur concurſus paratus, & ſe habet ex parte actus primi. Eſt etiam prior eadem prioritate in quantum voluntatem creatam applicat ad operationem, mediante cognitione objecti, medijſque auxilijs ſufficientibus, ſi operatio eſt ſupernaturalis, & meritoria.

281 Pro ulteriori intelli-

ligentia iſtius mutuæ concomitantiæ in utraque voluntate Dei, & creaturæ quoad ſuas condeterminationes, eſt advertendum, quod in productione cuiuſcumque effectus reperitur duplex principium, unum *quod*, & aliud *quo*. Principium *quod* eſt ipſa virtus productiva effectus. Principium *quo* eſt id, quo ultimo determinatur virtus productiva ad dandam exiſtentiam effectui. Sit exemplum in productione conſenſus liberi, nam principium *quod* talis conſenſus eſt ipſa voluntas ſimul cum alijs comprincipijs, ad conſenſum concurrentibus: principium verò quo eſt actio productiva volitionis, nam per talem actionem ultimo determinatur voluntas ad dandam exiſtentiam conſenſui tranſitque per talem actionem, quaſi mediam inter potentiam, & eius effectum, de potente proximè producere, ad actu producere. Idem dicendum eſt de cauſa prima, ubi principium *quod* eſt omnipotentia; principium verò *quo* eſt ipſe divinus concurſus, qui in tempore comitans concurſum cauſæ ſecundæ, producit effectum communem utriuſque cauſæ, increatę ſcilicet, & creatæ. Per hoc ſatis denotatur, actionem, ſeu concurſum in noſtra ſententia non recipi niſi in agente. De quo videri potet in Tract. de Angelis Diſp. 1. quod aſſeritur de actione creativa, dicendo, ut ibi dicitur, eſſe ſolum virtualitèr tranſeuntem, formalitèr autem eſſe permanentem.

282 Advertendum eſt ulterius, quod, licèt decretum habeat prioritatem reſpectu conſenſus creati, quatenus eſt principium *quo* illius, reſpectu tamen actionis productiæ, qua voluntas creata producit talem conſenſum, nullam habet prioritatem cauſalitatis; quia decretum reſpectu talis actionis productivę non eſt principium *quo*. Patet à paritate, deſſumpta ad hominem: nam ſicut in ſententia contraria, ponenti in eadem indiviſibili actione identificatos interſe Dei, & creatura concurſus, cuius identitatis ratione repugnat, concurſum divinum habere aliquam prioritate cauſalitatis reſpectu concurſus creati; ita paritèr in noſtra ſententia, quæ ponit realem diſtinctionem inter determinationem Dei voluntatis, & determinationem voluntatis creatæ ratione libertatis repertæ in determinatione, ſeu actione productiva, qua voluntas creata producit ſuum terminum ſcilicèt, volitionem, repugnat, determinationem volun-

luntatis divinę habere aliquam prioritatem cauſalitatis, reſpectu determinationis creatę, licèt eam habeat, ut dictum eſt, reſpectu effectus, ſeu termini, per talem actionem producti.

283 Ex quibus infertur, volitionem creatam dependere à voluntate divina, ut à principio *quod* productivo, & ſimul, tamquam à principio *quod* determinativo; & hanc eandem volitionem dependere à concurſu Dei, ut à principio *quo* determinativo: attamèn actionem illam creatam, veluti mediam, qua voluntas creata producit volitionem minimè dependere ab ipſa, tamquam à principio *quo* determinativo, licèt dependeat ab ipſa, ut à principio *quod* productivo; voluntas enim eſt, quæ ſe ipſam determinat: & ratio eſt, quia hęc actio, productiva volitionis creatę ſolum dependet ab illo, ut à principio quod determinativo, reſpectu cuius eſt determinatio: ergo cum talis actio reſpectu voluntatis divinæ non ſit determinatio, ſed ſolum reſpectu voluntatis creatę, hinc eſt, quod talis actio productiva tantum reſpiciat voluntatem creatam, ut principium *quo* determinativum, minimè verò voluntatem divinam. Itaque hæc actio creata egreditur immediatè à voluntate creata, & à divina, ſed in quantum reſpicit voluntatem divinam, non accipit denominationem determinationis, quia Deus per illam non determinatur, ſed per ſuum decretum æternum, ratione cujus tranſit de potente determinare ab æterno, ad actu determinare in eodem ſigno ęternitatis. Unde talis actio, prout reſpicit voluntatem creatam, ſortitur denominationem determinationis; proptèr quod ſolum reſpicit voluntatem creatam, ut principium *quo* determinativum.

284 Et ſi inquiras: quomodo actio, egrediens à duplici principio, accipiat diverſam denominationem, in quantum reſpicit unum principium, ab illa, quam accipit, ut reſpicit aliud principium? Si hoc, inquam, inquiras, reſpondeo, exemplum ſtare in ipſamet actione, productiva volitionis. Hęc enim actio, juxta omnes, eſt vitalis, & immediatè procedit à voluntate creata, & divina, & nihilominus talis actio reſpectu Dei non habet denominationem vitalis reſpectu, inquàm, Dei; quia Deus media tali actione, non tendit vitaliter in objectum, quę tendentia eſſentialiter requiritur ad hoc, ut actio ſit vitalis; habet tamen denominationem vitalis, reſpectu voluntatis crea-

creatæ; quatenus iſta per illam actionem vivit.

285 En ergo quomodò eadem actio, proveniens immediate à duplici principio, accipit denominationem vitalis in quantum reſpicit unum principium, ſcilicet, voluntatem creatam, quam denominationem non ſortitur, prout connotat aliud principium, ſcilicet, voluntatem divinam. Ita in præſenti: actio, in quantum egreditur à voluntate creata, accipit denominationem determinationis, & voluntatem creatam reſpicit, tamquam principium *quod* determinativum: hæc verò eadem actio, prout reſpicit voluntatem divinam, nec accipit denominationem determinationis, nec illam reſpicit ut principium *quod* determinativum, quia Deus ratione talis actionis non determinatur in linea determinandi; cum in tali linea unicè determinetur per ſuam volitionem, ſeu decretum, & non per actionem voluntatis creatæ.

286 Contra hoc dices: Deus non ſolum vult conſenſum creatum, ſed etiam vult actionem productivam talis conſenſus; ſiquidem non ſolum vult, voluntatem noſtram velle, ſed etiam vult, eam producere volitionem: ergo ſi volitio divina eſt formalis determinatio divinæ voluntatis, jam voluntas divina ſe determinat immediatè ad determinationem creatam. Confirmatur: determinatio creata ſubeſt dominio Dei: ergo debet concipi, ut dependens à determinatione divina. Reſpondeo diſtinguendo antec. quoad ſecundam part.: ſed etiam vult volitione concomitanti actionem productivam talis conſenſus, conc.: vult ipſam volitione antecedenti, nego antec. Explicatur: Deus vult actionem productivam conſenſus, non volitione, quæ habeat prioritatem cauſalitatis, reſpectu talis actionis, benè verò, reſpectu termini ſeu effectus talis actionis, qui eſt conſenſus. Unde volitio divina, & actio creata productiva conſenſus habent prioritatem cauſalitatis reſpectu talis conſenſus, non tamen habet volitio divina talem prioritatem, reſpectu actionis productivæ, ſe tenentis ex parte voluntatis creatæ, quia cum talis actio ſit libera, non poteſt provenire ab aliquo antecedenti, cum ipſa connexo; alioquin deſtrueretur natura actionis liberæ.

287 Nec ex eo, quod Deus velit actionem meam, productivam conſenſus, benè infertur decretum, ſeu volitionem Dei habere aliquam prioritatem cauſalitatis reſpectu

tu talis meæ actionis, & conſequentèr non ſequitur, eſſe cauſam, & principium illius. Patet hoc in noſtra voluntate, quæ dum ſeipſam immediate determinat ad ſuos actus, per eandem volitionem, qua vult obiectum, vult etiam ſuam volitionem; & tamen, licet eadem ſimpliciſsima volitio ſit intranſitivè volitio objecti, & ſimul volitio ſui ipſius, ita quod concipiatur tamquàm determinatio qua determinat ſuam exiſtentiam, ſeu ſeipſam exiſtere, numquam tamen poteſt concipi cum aliqua prioritate cauſalitatis, reſpectu ſui ipſius. Ita ſimiliter volitio divina, licèt ſit volitio determinationis voluntatis creatę, non tamen reſpectu illius habet prioritatem cauſalitatis, quia libertati creatæ repugnat, quod aliquid, habens infallibilem connexionem cum ipſa, ipſam antecedat. Patet ulterius in exemplo de habitu charitatis, & voluntate, ipſum determinante ad productionem actus charitatis, quin verificetur de voluntate, quod habeat prioritatem cauſalitatis reſpectu habitus in productione actus, qui actus charitatis non intelligitur prius egredi ab habitu, quam à voluntate, alioqui non eſſet liber; nec prius intelligitur egredi à voluntate, quam ab habitu, aliquin voluntas ſe ipſam exerceret in linea ſupernaturali ex viribus naturæ. Solum ergò quod determinat in vi cauſalitatis, habet prioritatem reſpectu rei determinatæ; non tamen, quod tantum determinat in vi purę connexionis, ſeu concomitantiæ, ut contingit in præſenti, ubi volitio divina ęterna, quæ eſt formalis determinatio divina, fert ſecum actionem, qua noſtra voluntas ſe determinat.

288 Neque obeſt, quod volitio divina ſit abæterno, & determinatio voluntatis creatæ ſit in tempore; quia huiuſmodi antecedentia ęternitatis ad tempus, quam habet divinum decretum ad determinationem voluntatis creatæ, non exigitur à determinatione creata ratione alicuius influxus, quem habeat dectetum in ipſam, ſed tantum ratione perfectionis Dei decernentis, qui non poteſt habere nova decreta, neque aliquid in tempore decernere, quod ab æterno non decreverit. Unde talis antecedentia purè per accidens ſe habet: ad modum quo, licèt ſcientia viſionis per totam æternitatem antecedat meum conſenſum exercendum, tamen, reſpectu conſenſus mei, nullam habet prioritatem cauſalitatis, quia, ut tenent omnes Scotiſtæ, & manet probatum in

Tract.

Tract. de Scientia Dei, res non cauſantur à divina ſcientia viſionis.

289 Ut hæc omnia facilius penetrentur, præoculis habendum eſt, quod res non alitèr comparantur inter ſe in ſtatu futurionis, quam in ſtatu exiſtentiali; quia futuritio nihil aliud eſt, niſi determinatio paſsiva certa, & infallibilis cuiuſcumque rei ad ſtatum exiſtentialem, à Deo facta ab æterno: ergo ſi in ſtatu exiſtentiali comparentur res aliquæ ita ut non habeant prioritatem cauſalitatis, ſed concomitantiam puram, hanc eandem puram concomitantiam habebunt in ſtatu futuritionis; ſed determinatio voluntatis divinæ, & creatæ in tempore, reſpectu mei conſenſus v.g., ita interſe comparantur, ut divina determinatio, & determinatio creata neutra aliam præcedat, ſed potius habeant omnimodam concomitantiam: ergo hanc eandem concomitantiam habebunt in ſtatu futuritionis. Undé, ſicut conſenſus meus in tempore producitur à voluntate divina, & mea, tamquam á principio *quod*, & dicit talis conſenſus ordinem ad determinationem utriuſque voluntatis, ut ad principium *quo*, ita conſenſus meus in ſtatu futuritionis prævidetur cum eodem ordine. Et ſicut actio productiva Dei in tempore, & actio productiva ſe tenens ex parte voluntatis meæ omnino concomitantér ſe habent; ita determinatio Dei æterna, & mea determinatio, virtualitér contenta in divina, omnino concomitantér ſe habent in ſtatu futuritionis, in quo prævidetur, & à Deo interné exequuntur futura, non alitèr, quam producuntur in tempore. Quaré cum concomitantia conſiſtat in hoc, quod divina indifferentia non redducatur ad ſtatum determinationis, quin in eodem ſigno indifferentia voluntatis creatæ etiam redducatur, inde eſt, quod in ſtatu futurionis ſimul etiam utriuſque voluntatis indifferentia ſit ad determinationem reducta, quin inter redductionem unius, & alterius indifferentiæ aliqua prioritas cauſalitatis ſit.

290 Ad confirmationem replicę concedo antec., & diſtinguo conſequens: ergo determinatio creata debet concipi, ut quid dependens à determinatione Dei, dependentia mutuæ, & neceſſariæ connexionis & ſocietatis inter utrãque determinationem, conc.: dependentia effectus à cauſa, & principiati á principio, nego conſequentiam. Determinatio vo-

voluntatis creatæ eſt ſub dominio voluntatis divinæ abſque ulla prioritate! cauſalitatis in iſta, reſpectu illius; nam, cum Deus poſsit impedire determinationem ſuæ propriæ voluntatis, inde eſt, quod poſsit impedire determinationem creatam ratione mutuæ connexionis ſocietatis inter utramque, & ſic ſalvatur dominium Dei, quatenus datur in voluntate divina poteſtas, directè impeditiva ſuæ determinationis, & eſt ſimul indirectè impeditiva determinationis creatæ, quæ non poteſt eſſe ex propria indigentia, non ſtante illa. Similiter in voluntate creata eſt poteſtas directè impeditiva determinationis ſuæ, & iſta poteſt eſſe indirectè impeditiva determinationis divinæ, quatenùs ſecundum leges ſtatutas, neutra poteſt eſſe ſine alia in vi mutuæ connexionis, non cauſalitatis, ſed concomitantiæ, inter utramque repertæ.

291 Ex quibus infertur, hanc propoſitionem: quia Deus vult, me conſentire, & ad conſenſum meum cooperari, ego conſentio: eſſe veram in ſenſu decreti concomitantis, non tamen in ſenſu decreti antecedentis, habentis influxum, cauſativum, & prævium in determinationem creatam voluntatis, ut volunt, quicumque conſtituunt gratiam efficacem antecedenter, & in ſenſu diviſo à cooperatione voluntatis. Similiter hæc altera propoſitio; *quia ego volo, & conſentio, Deus vult conſentire, & velle*; eſt vera in noſtris principijs, non tamen poteſt admitti, ut illam intelligunt Ieſuitæ quia, in horum principijs, determinatio voluntatis creatæ, conditionatè futura prævisa per ſcientiam mediam, antecedit determinationem voluntatis divinæ. Utraque tamen propoſitio eſt vera in noſtris principijs, iuxta quæ nequit Deus habere decretum concomitans circa meum conſenſum, quin ſimul ad talem conſenſum detur determinatio voluntatis meæ: nec è contra, mea voluntas ſe poteſt determinare ad conſenſum, niſi Deo ſe condeterminante ad illum; aliàs talis conſenſus non eſſet perfectè voluntarius, tam divinæ, quam humanæ voluntati. Et, ut iſta perfecta voluntarietas, & libertas conſenſus creati ad utramque voluntatem ſalvetur, debet eſſe ex immediata determinatione Dei, & creaturæ ad eum.

292 Etiam eſt advertendum, quod, dum dicimus, determinationem voluntatis creatæ ergà conſenſum ſtare pro omni ſigno, pro quo ſtat determinatio voluntatis divinæ ad eundem conſenſum, non loquimur de determinatione creata

ta formaliter, prout in tempore elicitur, quia, ut ſic, eſt temporalis, & determinatio divina eſt æterna; ſed loquimur de determinatione creata, virtualiter contenta in determinatione divina, quatenùs ſcilicèt noſtra voluntas, eiuſque libertas cum omnibus modis ſuis, quibus hic, & nunc pro qualibet occaſione, & ſub quibuslibet auxilijs, ſub quibus liberè proveniunt determinationes creatæ: Hæc, inquam, tota activitatis ſphæra eſt eminentèr contenta in voluntate divina, qua divinæ voluntatis eminentiali continentia per naturalem ſcientiam à Deo intellecta, & propoſita voluntati divinę, Deus decernit concomitantèr actus noſtros liberos, quos virtualiter continet in ſe: & cum aliundè ex lege, de ſinendis cauſis ſecundis, motus ſuos agere, teneatur Deus ad dandum in actu primo concurſum, paratum ad utrumlibet; ideò & nos ipſi decrevimus ab æterno virtualiter, quod Deus decrevit formaliter.

293 Contra iſtam virtualem determinationem voluntatis creatæ ab æterno poteſt repiicari primò: talis determinatio, quæ ab æterno ſupponitur, & reſpectu cuius decretum divinum dicitur concomitans debet ſupponere aliquam cognitionem in ipſa creatura; ſed hæc cognitio non ſupponitur: ergo non datur talis determinatio virtualis ab æterno. Reſpondeo diſtinguendo mai.: debet ſupponere aliquam cognitionem, virtualem ſcilicèt, contentam in divina intellectione infinita, qua Deus comprehendit omnia motiva creata, quæ poteſt habere noſtra voluntas ad ſuas actiones ſub omni occaſione, & auxilio, neceſſariaque ad condecernendum cum noſtra voluntate, conç. mai.: aliam cognitionem diſtinctam, neg. mai.; & diſtincta min. eadem diſtinct. negatur conſequentia.

294 Secundò poteſt replicari: non datur exercitium virtualiter, aut implicitè liberum in mea voluntate, niſi invirtute alicujus exercitij, formaliter liberi; ſed ab æterno nullum fuit exercitium formale meæ voluntatis: ergo nec virtuale. Maior conſtat; nam ideò ego volo aliquid virtualiter, quia formaliter volo aliud, cum quo connectitur: ergo non datur exercitium virtualiter, &c. Confirmatur: ſi poſſem ego habere aliquod exercitium virtuale, mihi virtualiter liberum ab æterno, poſſem ego habere ab æterno aliquod meritum, vel demeritum reſpectivè; ſed nec meritum, nec demeritum poſſum ego habere ab æterno: ergo nec exercitium aliquod virtuale, &c.

Reſ-

295 Reſpondeo diſtinguendo mai. : non datur exercitium virtualitèr perſonale, niſi in virtute, &c. ; conc. mai.: non datur exercitium, per continentiam naturalem, niſi in virtute, &c. ; nego mai. & conceſſa min., neg. conſequentia. Quadrupliciter poteſt quis velle aliquid virtualitèr. Primò perſonalitèr, & qui ita vult, antecedenter voluit formalitèr. Secundò per Procuratores, & legatos, ſecundum leges poſitivas: ſic Reges per ſuos legatos ſolent ſua negotia peragere. Tertiò poteſt quis velle virtualitèr ex vi pacti alicujus: ſic nos virtualitèr voluimus in Adamo, ex pacto Dei cum ipſo. Quartò tandem volitio virtualis poteſt accidere naturaliter per continentiam virtualitèr unius voluntatis in alia: uti eſt continentia omnium ſphærarum agendi liberè, repertarum in creatis voluntatibus, in voluntate divina; & huiuſmodi volitio virtualis non ſupponit volitionem ullam formalem, ex qua procedat; cum ſolum detur ratione virtualis continentiæ, & ſimul legis ſtatutæ de ſinendis cauſis ſecundis liberis motuos liberè agere.

296 Ex quo patet ad confirmat.; ad quam debet reſponderi negando maiorem; quia meritum, & demeritum eſſentialitèr ſupponunt perſonam merentem in ſua propria menſura, & duratione, exiſtentem per phyſicam exiſtentiam. Unde quandò ſufficit volitio virtualis, ad merendum v.g., eſt quando præceſsit volitio formalis, in cuius virtute exiſtit volitio virtualis.

297 Advertendum eſt ultimò, quod ordo ſignorum, quem ſervat divina providentia in decernendis noſtris actibus liberis, tam abſolutè, quàm conditionatè futuris, ſic ſe habet. In primò ſigno cognoſcit Deus per ſcientiam neceſſariam omnia poſsibilia, & omnes cauſas, tam ordinis naturalis, quam liberi, ut poſsibiles agere cum perfecto dominio ſuarum actionum eaſque, ſic cognitas, repræſentat divinæ voluntati. In ſecundo ſigno determinat voluntas divina producere mundum iſtum cum cauſis utriuſque ordinis, tam naturalis, quàm liberi, habereque actiones, ſuæ naturæ commenſuratas, & conſequenter determinat ſeſe accomodare cauſis liberis, juxta earum exigentiam; propterèaque eis præparat, & offert divinam Omnipotentiam, in actu primò paratam ad utrumlibet libertatis extremum ita ut res, quas condidit, ſic adminiſtret, quod eas ſinat ſuos proprios motus

age-

agere, ut docet Auguſt. lib. 8. de Civitate Dei cap. 20.

298 In tertio ſigno concipimus, quod divinus intellectus comprehenſivè cognoſcit ipſas cauſas liberas, omneſque rerum ordines cum omnibus circunſtantijs, & cum omnibus auxilijs, in quibus, & cum quibus componi poſſunt: cognoſcunturque comprehenſivè à Deo omnia motiva, quę habere poteſt creata voluntas ad ſuas determinationes ſub dictis omnibus circunſtantijs, & auxilijs. In quartó ſigno per quandā determinationem, non ultimā, ſed potius conditionatam ex parte obiecti, concipimus, divinam voluntatem, quæ ratione ſuæ eminentialis continentiæ ęquivalet ipſis cauſis liberis ſimul cum eis determinare quidquid pro ſua libertate reipſa agerent in unoquoque rerum ordine, ſi actu in illo ordine ponerentur, ipſa adhuc manente parata ad oppoſitum, ſi ipſę revera oppoſitum pro ſua libertate eſſent acturæ. Uno verbo; in hoc ſigno decernitur, quod Ieſuitæ ajunt, eſſe objectum ſcientię medię.

299 In quinto ſigno decernit ultimò, & abſolutè divina voluntas ponere, & conſtituere prædictas cauſas ſecundas liberas in determinato rerum ordine cum determinatis circunſtantijs, & auxilijs ita, quod effectus liberi, qui in quarto inſtanti erant conditionate futuri, jam in hoc quinto inſtanti, completa conditione, fiunt abſolutè futuri, & tali conditione non completa, remanent tantum conditionate futuri. In ſexto tandem ſigno Deus per ſcientiam viſionis cognoſcit omnes effectus liberos, tam abſolutè, quam conditionatè futuros, priores in virtute ſuæ eſſentiæ ſuppoſitis decretis, tam ſubiectivè, quàm obiectivè abſolutis; poſteriores verò in virtute eius eſſentiæ ſuppoſitis decretis ſubjectivè abſolutis, & obiectivè conditionatis. Sic explicata natura decreti concomitantis in ſenſu Scotiſtarum.

300 Prob. 1. Concluſio: quod gratia ſit efficax ſimpliciter, & abſolutè nihil aliud eſt, quam quod actus ſalutaris ſit ab ea infallibiliter producendus, & futurus; ſed iſta certitudo infallibilis in gratia reſpective ad ſalutarem conſenſum eſt unicè regulanda à Dei decreto concomitanti: ergo. Prob. min.: regulatur; ſi pro priori ad decretum comitans omnes gratię excitantes ſupponuntur quod de ſe, & ex intentione Dei ſunt ſufficienter efficaces, tam moraliter, quàm phyſicè, & ſi voluntas creata

ta

ta mota, excitata, & allecta cooperetur gratiæ, jàm auxilium eſt efficax in actu ſecundo certò ſemper, & infallibiliter; ſed pro priori ad Dei decretum concomitans nulla eſt differentia intrinſeca in gratia præveniente, & excitante, & omnes de ſe, & ex intentione Dei ſunt contingenter, & fallibiliter productivæ conſenſus, & quod certò ſemper, & infallibiliter conſenſum producant eſt unicè in ſenſu compoſito Dei concurſus ſimultanei, & concomitantis, cui ab æterno correſpondet decretum concomitans: ergo, &c.

301 Prob., & ſimul explicatur min. ex Sacra Script.: nam Matth. 13., Luc. 8. proponitur illa Parabola de ſeminante ſemen ſuum, ubi dicitur: *quod Deus, qui eſt ſeminatur in agro totius Generis Humani ſeminavit ſemen ſuum, ſcilicet, ejuſdem ſpeciei, & naturæ phyſicæ grana, licèt tale ſemen non ſit in actu ſecundo efficax, nec ubique fructificèt ea ſola de cauſa, quia aliud cecidit ſecùs viam ubi à volucribus, & tranſeuntibus colligitur, & manducatur; aliud cecidit ſuper petram, & licèt natum fuerit, aruit tamen defectu humoris; aliud inter ſpinas à quibus inter germinandum ſufocatur; aliud denique cecidit in terram bonam, & multum fructum attulit.* In quâ Parabola eſt certum, Chriſtum Dominum per ſemen intellexiſſe Dei verbum, tam externum, quam internum, quibus Deus loquitur ad cor.

302 Quod autem differentia, quoad certò, ſèper, & infallibiter habere, aut non habere fructum hoc divinum ſemen non veniat aliundè, quā ex diverſis diſpoſitionibus ſubiectorum, cooperantium, aut non cooperantium divinę gratiæ, prob.: nam granum aliud cecidit ſuper pętram, duram ſcilicèt voluntatem Iudeorum, ait Chriſoſtomus homilia 8. Aſcenſionis; ſpinæ ſuffocantes ſunt ipſa creata voluntas; quæ divitias, & voluptates hujus ſęculi anteponit æternæ ſaluti: volucres non ſunt aliud, quam Dœmones, qui ex nobis, conſenſum præventibus, tollunt granum Dei gratię, excitatæ in noſtris cordibus. Et tandem Luc. 8. ipſe Chriſtus Dominus certam fructificationem ſeminis verbi Dei cooperationi ſuſcipientium, per gratia adjutorium, tribuit, dicens: *hi ſunt*, ſcilicèt terra bona, *qui corde bono, & optimo audientes verbum Dei, fructum afferunt in patientia*: ergo quod gratia illuminationis ſupernaturalis, & ſupernaturalis affectionis, ex quibus conſtat adęquatè gratia ex-

excitans, & prę veniens, quod certò afferant fructum esse ex cooperatione voluntatis creatę, quæ mota, excitata, & alecta, quantum est ex parte Dei satis efficacitèr, ipsa libentèr vult cooperari, & consequentèr cum sit in tempore Dei concursus simultaneus, quod ab æterno est decretum concomitans, ab isto solo habet regulari efficatia gratię.

303 Prob. 2.: efficatia gratiæ debet consistere in eo, quod facit actum salutarem infallibiliter futurum, reddit scientiam Dei de tali actu metaphysicè certam, salvatque libertatem voluntatis cum infallibilitate decreti; sed hæc omnia salvantur per decretum concomitans: ergo, &c. Maior est certa. Minor quoad prim. partem est evidens; quia implicat, Deum absolutè, & efficacitèr decernere concomitantèr futuritionem absolutam actus salutaris, & quod talis actus infallibilitèr non existat pro suo determinato tempore. Eadem minor quoad secundam partem etiam constat; quia supposito tali decreto scientia Dei de actu decretato est ita certa, & infallibilis, quod jam oppositum metaphysicè repugnet.

304 Quoad tertiam partem, in qua est difficultas, prob. eadem minor, stante infrustrabilitate decreti circa futuritionem absolutam actus, salvatur libertas creata in elicientia talis actus, eo ipso, quod supponatur, actum esse extiturum per decretum Dei, actu positum, & quod ordine causalitatis, & naturæ non antecedat operationem voluntatis creatę; sed in primis, negata scientia media, supponitur, actum esse futurum per Dei decretum, actu positum; & deinde dato quod Dei decretum sit comitans, non antecedit ordine causalitatis, & naturę operationem voluntatis creatę, quia natura decreti concomitantis, in sensu Scotist., stat in eo, quod pro nullo signo naturæ, seu causalitatis intelligatur determinatio voluntatis divinæ, terminata ad actum salutarem, quin simul intelligatur determinatio voluntatis creatę, & etiam adinvicem, quod pro nullo signo naturæ, & causalitatis intelligatur determinatio voluntatis creatę, cum auxilio gratiæ terminata ad actum salutarem, quin simul intelligatur determinatio voluntatis divinæ, efficacitèr terminata ad eundem actum: ergo, &c.

305 Quod autem detur tale decretum, prob. sic: de facto debet in Deo admitti aliquod decretum, quo regu-

latur efficatia gratiæ, & ſimul ſalvatur libertas divina, & humana; ſed non eſt aliud niſi concomitans, ergo, &c. Prob. min.: decretum ſivè phyſice, ſivè moralitèr prædeterminans, etſi ſalvet libertatem divinam; nòn tamē ſalvat libertatē creatā; ſed aliundè decretum Ieſuiticum, immeritò ab ipſis vocatum concomitans, cum reverà ſit ſubſequens, & ſi videatur, ſalvare libertatem creatam, minimè tamet ſalvat divinam, ſed eam potius ſibi ſubjicit, & ſubordinat: ergo cum præter iſta tria decreta non detur aliud præter concomitans, ſequitur, dari tale decretum, & per ipſum debere regulari efficatiam gratiæ. Maior manet jam probata quoad omnes ſuas partes in quęſtion. præcedētibus.

306 Prob. 2. exiſtentia decreti concomitantis: Deus ex generali lege, à ſe liberè lata, tenetur ſe accomodare cauſis liberis, tam in decernendo ab æterno effectus ab eis futuros, quam in concurrendo cum illis in tempore, ita quod, ſicut in tempore non efficit niſi effectum eis placitum, ita etiam ab æterno non decernat aliquid futurum ab eis in tempore, niſi quod eis placuerit, & ad quod in tempore liberè ſe determinabunt; ſed hoc non facit Deus decernendo ab æterno futura pro tempore, antecedentèr omninò ad conſenſum voluntatis creatę: ergo ſolum per decretum concomitans. Maior eſt Auguſt. dicentis: *res, quas condidit, ita adminiſtrat Deus, ut eas motus ſuos agere ſinat.*

307 Prob. 3. Concluſio: efficatia gratiæ deſumenda eſt ab illo decreto, quo ita ſalvatur perfecta ſubordinatio ad Deum ut infinitè Dominum, quod effectus creatus non exiſtat, niſi per immediatam determinationem Dei; ſed talis immediata determinatio Dei, terminata ad conſenſum ſalutarem, nequit non eſſe concomitans, nam antecedens lædit libertatem noſtram, & ſubſequens offendit, & lædit dominium, & libertatem divinam: ergò, &c. Urgetur: actus ſalutaris debet eſſe perfectiſsimè liber, tam Deo, quam nobis; ſed ſi fieret per decretum antecedens, non eſſet nobis perfectè liber; & ſi fieret per decretum ſubſequens, non eſſet perfectè liber Deo: ergo à ſufficienti partium enumeratione ſequitur, quod ſit unicè per decretum concomitans.

308 Prob. 4. Concluſio: ſi efficatia gratiæ non deſſumeretur à decreto concomitanti eſſet, quia veniret ſaltim aliquomodo à Deo ſolo, quatenùs Deus ſic accomodaret gratiam con-

congruam ſtatui, & circunſtantijs, in quibus ſumus, ut per ſcientiam conditionatam prævideat, eam ſortituram ſuum effectum, conſenſumque noſtrum inventuram; ſed eſt falſum, quod in gratia, ſic congrua, liberè à Deo nobis accommodata, conſiſtat efficatia gratiæ divinæ: ergo ſtat unicè in decreto concomitanti. Prob. minor ex multis inconvenientibus, ſecutis ex gratia congrua, ſic accomodata: primo enim ſequitur, quod Dei amor ergà ſalutem reproborum non eſſet ſincerus, & quantum eſt ex ſe efficax. Secundò; quòd Deus eſſet crudelis. Tertiò, quod ſeriò illuderet peccatoribus. Tandem quod nos falleret in Script. Sacra. Quod inde ſequeretur, Deum non habere ſincerum amorem ergà ſalutem reproborum, prob.: ſincerus amor eſt, qui, quantum eſt ex parte amantis, nullam inæqualitatem ponit in amatis; ſed admiſſa gratia congrua unicè à Deo accomodata prædeſtinatis, & non reprobis, maximam differentiam Deus ponit inter utroſque: ergo, &c.

309 Quod inde ſequeretur, Deum eſſe crudelem, prob.: nulla maior crudelitas excogitari poteſt, quam æternos inferre cruciatus his, qui non convertuntur, ſi in eorum poteſtate non ſit eorum converſio; ſed gratia congrua non eſt in poteſtate eorum, qui non convertuntur; cũ Deus eam largiatur incongruum homini in ea occaſione, tempore, & diſpoſitione, quandò novit ipſum non conſenſurum: ergo ex quo detur gratia congrua, ſequitur, Deum eſſe crudelem. Quod indè ſequatur, Deum illudere peccatoribus, probatur: nulla maior illuſio, quam, Deum velle ſerió, omnes homines ſalvos fieri, & non dare omnibus, & ſingulis gratiam congruam, qua unicè, & non alia poſſent ſalvari; ſed Deus vult ſerió omnes ſalvari, & multis dat ſolam gratiam incongruam: ergo, &c. Prob. ultimum: Deus Iſai. 5. aloquens peccatores, ait: *quid ultra debui facere vineæ meę, & non feci?* Ex quo ſic: Deus dedit omnibus gratiam congruam, vel non? Si primum; omnes converterentur, cum gratia congrua ſemper ſortiatur effectum. Si non: ergo Deus nos fallit cum dicit, ſe feciſſe vineę ſuæ quidquid debuit facere. Vel alitèr: ergo Deus non fecit vineæ ſuæ, quidquid debuit facere: neque poteſt conqueri de hominum obſtinatione, cum omnes converterentur, ſi gratiam congruam recipiſſent.

310 Probatur alitèr concluſio: eo modo decrevit Deus

ab

ab ęterno actum liberum ſalutarem, quo de facto concurrit in tempore; cum non alitèr agat in tempore, quàm ab ęterno decrevit; ſed de facto Deus concurrit concomitanter: ergó & concomitanter decrevit. Confirm.; prędudendo quamdam tacitam evaſionem: ideò Deus non decerneret concomitanter actum ſalutarem, producendum à voluntate dependenter ab auxilio gratiæ, quia talis concomitantia tolleret à Deo rationem cauſę primæ; ſed eſt falſum, quod tollatur à Deo ratio cauſę primæ ex eo, quod ſimul cum voluntate adjuta divina gratia, decernat conſenſum ſalutarem: ergo,&c. Prob. minor: ſimultas, & concomitantia, qua Deus concurrit in tempore ad productionem actus ſalutaris, non tollit, quod Deus in tempore ſit cauſa prima, & voluntas creata ſit cauſa ſecunda: ergo ſimilitér nec ſimultas in Deo ab æterno aufert rationem cauſæ primæ.

311 Probatur etiam exiſtentia talis decreti: ſi ab æterno ſtitiſſet creatura rationalis, ut probabiliter poteſt ſuſtineri in omni Schola, talis creatura poſſet ab æterno agere liberé, Deo condeterminante, ſeu ſimul concurrente abſque eo, quod Deus ante actualem concurſum decerneret aliquam partem libertatis, vel exploraret quid faceret ſub conditione hujus auxilij; ſed Deus ratione continentię eminentialis omnium rerum, & cauſarum ita habet omnia ſibi præſentia, ac ſi phyſicè, & in menſura propria exiſterent: ergo Deus ratione huiuſmodi continentię poterit ſimul concurrere ad omnes actus, quos ipſa voluntas liberè vellet, & abſque præjuditio libertatis creatæ, & ſimul cum eſſentiali ſubordinatione, ſubjectioneque libertatis creatæ ad increatam.

312 Reſpondet noſter Sgemma 2. phyſicorum, digreſſione 18. de facto quæſt. 4., quod, adhuc admiſſa continentia virtuali noſtræ voluntatis in divina, non poteſt in ea fundari concomitantia decreti, prout à nobis explicatur. Probat hoc ibi multiplicitèr; primò ſic: quia ęqué continetur in voluntate divina cauſa ſecunda naturalis, ac cauſa libera; ſed ex continentia cauſę naturalis in voluntate divina non convenit libertas cauſæ naturali: ergo nec ex tali continentia oritur libertas cauſæ liberæ. Præmiſſæ, ait, ſunt certæ. Prob. conſeq.: modus agendi oppoſitus non oritur ab eodem principio; ſed voluntas divina eadem eſt, relaté ad cauſas, tam liberas, quam natu-

turales, in ipſa contentas: ergo, &c.

313 Secundò ſic: eſtò volitio divina contineat virtualitèr effectum meæ voluntatis, non tamen ipſum continet formaliter: ergo talis continentia non ſalvat formaliter libertatem meæ voluntatis. Prob. conſeq.: effectus formaliter liber debet eſſe á cauſa, non ſolum virtute, ſed etiam formaliter libera: ergo, etſi volitio mea contineatur virtualitèr in voluntate divina, dummodo non contineatur formaliter, talis continentia non ſalvat formaliter libertatem. Reſpondeo, quod pro his, & alijs hujus Auctoris replicis, & reſponſionibus ſolvendis, videantur dicta in Tract. de Scientia Dei, Diſp. 5. q. 2. ſub ſect. 2. Unde in his non licèt hic immorari.

314 Multum deſerviunt ad corroborandam præſentem concluſionem aſſerta poſita in duabus quæſtionibus prima, & ſecunda huius Diſput.; nimirúm, quod gratia ſufficiens, & efficax eſt eadem prorsús entitativè forma realis, & quod diſtinctio inter unam, & aliam eſt ſolum penès connotata diverſa. Iſta aſſertio probata manet in citata quæſtione prima. In ſecunda autem quæſt. citata defenditur, non eſſe de ratione gratiæ ſufficientis, quod ei ſemper reſiſtatur à voluntate creata, ſed potius eſſe de eius ratione intrinſeca, quod cum ipſa conjungatur conſenſus ſalutaris non quidem ſemper, certò, & infallibiliter (hoc enim eſt proprium gratiæ efficacis ut talis), ſed aliquandò, fallibiliter, & contingenter, id eſt, ſi voluntas creata velit ipſa gratia ſufficienti, qua prævenitur, non abuti, ſed benè uti. Et cum in ſuppoſitione decreti concomitantis jam ſit determinatè verum, quod voluntas creata non vult abuti, ſed potius bene uti, ſibi divinitus collato auxilio; inde fit, quod auxilium eſt efficax, ſeu ſemper coniunctum cum conſenſu ſalutari, prout connotat, ſeu prout ſubeſt decreto concomitanti, &, quod idem eſt, prout connotat noſtram cooperationem, quæ in eſſe futurę eſt ſocia inſeparabilis in prævisione divina à decreto concomitanti æterno, & in tempore à divino concurſu ſimultaneo.

315 Oportetque, ut non omittantur in præſenti alia, quæ ultrà dicta ibidem ſuperſunt ad probandum, quod gratia ſufficiens etiam datur ad agendum, & non ſolum ad poſſe agere. Quod probatur multiplicitèr, & primò ex illo Eccleſiaſtici 15.:

non dixeris, per Deum abeſt :: ne dicas, ille me inſplanavit :: Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilij ſui, adjecit mandata, & præcepta ſua, ſi volueris mandata ſervare conſervabunt te. Ex quo ſacro textu ſic formatur ratio: homo gratia ſufficienti inſtructus, eſt ita liber, & proximè potens ſervare præcepta, ut in manu, & arbitrio eius ſit actu, & in re adimplere præcepta : ergo talis gratia non eſt data ad purum poſſe, ſed etiam ad actu agere, adeò ut cum ſola illa habeat voluntas creata quidquid neceſſarium eſt, ut, ſi velit, operetur, & in exercitio ponat adimpletionem præceptorum, ac proinde non eſt de ratione gratiæ ſufficientis, quod numquam cum effectu conjugatur, ſed potius, quod cum ipſa habeat voluntas operari fallibiliter, & contingenter. Prob. conſequentia: ſi gratia ſufficiens dat tantum poſſe, & non ſufficit ad actu agere per Deum abeſt, ſeu deficit aliud auxilium neceſſarium ad actu operari, quod non eſt in manu, & arbitrio ipſius hominis : ergo ſi iſte, adjutus gratia ſufficienti, eſt ita liber, &c.

316 Aliter eformatur ratio : ſi gratia eſt tantum ſufficiens, ut homo poſsit operari benè, non autem ut benè operetur, ſequitur, quod qui habet talem gratiam non tenetur ad benè actu operandum, ſed ſolum ad poſſe bene operari, adeo ut omiſsio bonę operationis non debeat imputari ipſi; ſed hoc non eſt dicendum: ergo, &c. Prob. ſequela mai: homo unicè tenetur ad illud, adquod ſibi confertur auxilium, ſive ad quod ipſi à Deo pręſtantur vires: ergo ſi auxilium ſufficiens ſolum datur, ſeu confert vires ut poſſit bene operari, non autem ut benè operetur actualiter homo, gratia inſtructus, talis homo non tenebitur ad actu benè operandum, ſed unicè ad poſſe benè operari. Urgetur: gratia ſufficiens, datur, ut homo faciat id quod Deus præcipit; ſed Deus non præcipit homini, ut poſsit præcepta ſervare, ſed ut in re, & actu illa obſervet; ſiquidem mandatum non cadit ſupra potentiam, ſed ſuper actum eliciendum : ergo talis gratia dat, & confert non ſolum poſſe, ſed etiam actu operari, ſi homo vellit; & cum contingat, quod homo aliquando vellit, ideò toties, quoties homo vúlt, habet gratia ſufficiens conjungi cum operatione ſalutari.

317 Prob. 2. ex illo Apoſt. 2. ad Corint. 6. : *exhortamur vos, ne in vacuum gratiam Dei re-*

recipiatis. Ex quibus ſic argumentor: non recipere in vacuum gratiam Dei, eſt adjungere conſenſum ſalutarem ſeu noſtram bonam operationem tali gratię; ſed exhortatio Apoſtoli ſupponit, eam gratiam talem eſſe, ut poſsit cum effectu redduci, vel non redduci ad opus, quod de ſola gratia ſufficienti verificatur: ergo quia talis gratia eſt ſufficiens exire in actum. Maior eſt communis expoſitio Sacrorum Interpretum. Minor patet; quia exhortatio Apoſt. ſupponit, quod cooperatio noſtra cum gratia cadit ſub dominio, & poteſtate noſtra; nam aliàs prudens non eſſet exhortatio illa: ac proinde ſupponitur, gratiam illam eſſe ſufficientem, & indifferentem ad conjungi, vel non conjungi actu conſenſui ſalutari. Confirm. ex Div. Thom. qui lectione prima ſuper textum cit. ait: *quicumque gratia percepta non utitur ad vitanda peccata, & conſequendam vitam æternam, hic gratiam Dei in vanum recipit.* Ex quo ſic argumentor: ſi gratia ſufficiens numquam habet effectum, ipſam omnes recipiunt in vanum; ſed, ſi ita ſemper recipitur ociosè Apoſt. ſuaderet id, quod numquam fiet: ergo ne hoc ſequatur, dicendum eſt, quod auxilium ſufficiens ſemper tribuitur ad agere, ita ut effectum habeat ſemper, ac homo velit.

318 Prob. 3. ex illo Trid. ſeſſ. 6. cap. 11.: *Deus impoſsibilia non jubet, ſed jubendo monet, & facere, quod poſsis, & potere, quod non poſsis, & adjubat, ut poſsis.* Ex quo ſic arguo: ſicut ratione gratiæ ſufficientis præcepta Dei non ſunt impoſsibilia, nec fruſtranea, ita ratione ejuſdem gratiæ non eſt fruſtranea admonitio Dei, præcepto ſuo monentis facere, & petere, ſed ſi gratia ſufficiens numquam habet effectum fruſtrà Deus, habentem gratiam ſufficientem admonet facere, & petere; nam facere, & petere eſt effectus, & actus ſalutaris: ergo ſi de ratione gratiæ ſufficientis eſt, ut numquam conſenſum obtineat, Dei admotio erit fruſtranea, ut contendit Queſnelli propoſitio 3. damnata, ubi dicitur: *in vanum, Domine, præcipis, ſi tu ipſe non das, quod præcipis.* Confirmatur: Deus, præcepto ſuo jubens, & providentia ſua donans gratiam ſufficientem, ad impletionem præcepti, non jubet potentiam adimplendi, ſed uſum gratiæ, datæ ad impletionem; ſed ſi gratia illa non datur ad agere, nec umquàm habet effectum, fruſtrà, & in vanum Deus præcipit uſum

uſum illius gratia, & cum illa adimpletionem exercitam præcepti: ergo, cum hoc aſſerat propoſitio damnata in Queſnell, dicendum erit, &c. Urgetur exemplo, quo ipſi utuntur Adverſarij: fruſtrà juberetur viſio actualis homini exiſtenti in tenebris; ſed eſt homo in tenebris exiſtens, etiam perfectiſsimè juſtificatus, niſi æterna luce juſtitiæ divinitus adjuvetur, ait Auguſt. de Natura, & Gratia: ergo, ſi lux æterna ſufficiens numquam habet effectum, ſed ad operandum neceſſaria eſt gratia efficax, diſtincta à ſufficienti; ſequitur, quod homini, prævento ſola gratia ſufficienti, &c.

319 Probat. 4. ex damnatione facta ab Alexand. VIII. propoſitionis 6. inter damnatas ab ipſo, ſcilicèt: *gratia ſufficiens ſtatui noſtro non tam utilis, quàm pernitioſa eſt; ſic ut proindè meritò poſſimus petere: à gratia ſufficienti libera nos Dñe.* Ex qua damnatione ſic arguitur: in eo ſenſu damnatur propoſitio vocans inutilem, & pernitioſam gratiam ſufficientem, in quo Auctor illius propoſitionis conſtituebat eius inutilitatem, & perniciem: & Summus Pontifex damnans prædictam propoſitionem definit gratiam ſufficientem eſſe utilem, & proficuam; ſed ſi talis gratia ſufficiens daret tantum poſſe; & non agere, adeò ut numquàm effectum haberet, iſta definitio Pontificia non benè procederet: ergo, &c. Minor duas habet partes. Prob. quoad prim.: ſenſus, & animus Auctoris propoſitionis damnatæ non erat negare, gratiam ſufficientem dare poſſe, ſed ideò eſſe inutilem, quia numquam habitura eſſet effectum: ergo, ſi numquàm iſtum habeat, non benè procederet damnatio Pontificia; & proindè, ut utilis ſit gratia ſufficiens, etiam datur ad agendum. Prob. eadem minor quoad ſecundam part.: ſenſus Auctoris, vocantis pernitioſam gratiam ſufficientem, ſtat in eo, quod, ſi Deus non conferret talem gratiam homini, gravitèr tentato v.g.; ſuccumbens tentationi, non peccaret; poſita verò tali gratia, peccat, ſi cadat; & aliàs tentationem numquam vincet cum illa ſola; ſed hoc verificatur, ſi talis gratia tribuitur ſolum ad poſſe: ergo, ut gratia ſufficiens ſit proficua, ut definit Summus Pontifex, eſt neceſsè dicerè, quod ipſa ſola, & ſine alia gratia diſtincta realitèr datur ad agere.

320 Confirmatur 1.: non eſt aſsignabilis alius ſenſus, in quo Auctor illius propoſitionis gratiam ſufficientem vocet inutilem, & pernitioſam præter aſsig-

assignatum, nempè, quod, ea negata, non habetur actus rectus, nec peccatum; &, ea admissa, numquam habetur operatio salutaris per ipsam solam; attamen habetur peccatum ex defectu operationis debitæ; sed ille sensus est falsus, & damnatus: ergo sensus oppositus est verus de mente Pontificis, nempè, quod gratia sufficiens in multis habet effectum salutarem, & quod in multis conjungitur cum adimpletione præcepti, & cum evitatione peccati. Qui sensus fuit Div. Prosperi, & Augustl. lib. 1. de Vocatione Gentium cap. 26. dicentium: *voluntas habet de sua mutabilitate, si deficit; de gratiæ verò opitulatione, si proficit: & quod à multis refutatur, ipsorum est nequitiæ: quod à multis recipitur, & gratiæ divinę est, & voluntatis humanę.*

321 Confirmatur 2.: in eo sensu asserebat Auctor illius propositionis damnatæ, gratiam sufficientem esse inutilem, & pernitiosam, in quo Iansenius appellabat illam monstruosam; sed eam sic iste vocabat, quoniam in absentia gratiæ efficacis nullum habuit opus salutare, neque umquàm habebit: ergo in hoc eodem sensu Auctor illius propositionis inutilem, & pernitiosam vocabat gratiam sufficientem; ac proinde dicendum est, illam aliquando habere salutarem consensum. Maior patet; quia Auctor illius propositionis fuit professor Scholæ Iansenianæ, ut ait Auctor Tractatus Theologicæ. Minor constat; tum ex ipsa littera Iansenij lib. 3. de Gratia Christi cap. 3. dicentis: *itaque à recentioribus propalatum gratiæ sufficientis genus, quo adjubante, nullum umquam opus factum est, aut fiet unquàm; si est verum distinctumque à gratia efficaci membrum, videtur monstruum quoddam singulare gratiæ.* Tum, quia monstruum dicitur, quod est contra naturam; sed natura auxilij sufficientis est, propter operationem eliciendam: ergo ponere gratiam sufficientem, semper vacuam operatione, erit contra eius naturam, ac proinde eam statuere monstruosam.

322 Quintò prob., urgendo præcedentem rationem: gratia illa, quæ non detur ad agere, nec tribuat voluntati quidquid requiritur, ut actu operetur, si velit, atque adeò numquàm ex se habeat effectum salutarem, uti gratia sufficiens ponitur à Contrarijs, est gratia insufficiens, otiosa, vacua, & inutilis; sed hoc nequit dici de gratia per Christum & Theologica verè sufficienti, ergo, &c. Prob. maior primò,

gratia illa vi cujus non ſit ſub dominio libero voluntatis elicere illam operationem, ad quam talis gratia confertur ipſi, ſeu reſpectu cuius dicitur ſufficiens, eſt inſufficiens, vana, & inutilis, ſed, ſi gratia ſufficiens non datur ad agere, nec tribuit voluntati quidquid requiritur, ut actu ſalutariter operetur, ſi velit, vi talis gratię, non eſt ſub dominio libero voluntatis elicere operationem, ad quam talis gratia confertur ipſi, ſeu reſpectu cuius dicitur ſufficiens: ergo, &c. Maior patet; quia ſufficientia, & utilitas gratiæ eſt ita, ad conſtituendam operationem ſalutarem, in poteſtate hominis, ut eam elicere, vel non elicere imputetur ipſi, ut liberè eligenti. Minor etiam conſtat; quia agens liberum eſt illud, quod, poſitis omnibus prærequiſitis ad agendum, poteſt agere, vel non agere pro ſuo libito, adeò ut deficiente aliquo requiſito, non intelligatur agens, complete, & proximè liberum, nec operatio cadat ſub ejus dominio, maximè quandò agens nequit ſibi acquirere requiſitum, qualiter evenit in præſenti cum gratia ſufficienti, juxta principia Adverſariorum, gratiam efficacem non conſtituentium per noſtrum decretum concomitans: omnes enim iſti, ſivè Thomiſtæ ſint, ſivè Ieſuitę, vel Scotiſtæ Contrarij conveniunt in eo, quod gratia ſufficiens ita contradiſtinguitur ab efficaci, quod per illam ſolam habeatur effectus, & per illam ſolam, licet poſsit haberi, numquam habeatur.

323 Prob. 2. illa prima maior: verè inſufficiens, vana, & inutilis erit gratia illa, quæ ex ſe vacua ſit omni prorsùs effectu ſalutari, ſeu nullum omninó habeat uſum, ipſi correſpondentem; ſed gratia illa, quæ non detur ad agere, nec tribuat voluntati quidquid requiritur, ut actu operetur, ſi velit, adeo ut illa numquam habeat effectum ſalutarem, erit ex ſe vacua omni prorſus effectu, ſeu non habens aliquem uſum: ergo, &c. Maior eſt manifeſta; quia verè inſufficiens eſt, & dicitur illud, quod non ſufficit ad aliquem effectum in re habendum; ac vanum, & inutile reputatur illud, quod ex ſe caret omni prorsús uſu, aut exercitio. Probatur minor & ſimul impugnatur multiplex reſponſio Adverſariorum: ſi gratia ſufficiens, data ſolum ad poſſe, & non tribuens voluntati quidquid requiritur, ut actu operetur, ſi velit, haberet nihilominus aliquem uſum ſibi correſpondentem: vel talis uſus eſſet conſenſus aliquis poſitivus; vel ne-

negativus ; ſed neuter eſt, conformis principijs Adverſariorum: ergo, &c.

324 Prima pars minoris probatur primò : talis conſenſus poſitivus, vel eſt aliquis actus imperfectus ac diſpoſitivus ad obtinendum auxilium liberius ; vel eſt attentio, & volitio non reſiſtendi, ſed potius cooperandi gratiæ : vel eſt oratio, aut imperatio gratiæ efficacis : vèl deniquè eſt ipſa operatio ſalutaris, quæ prout diſponit, ac præcedit ad gratiam efficacem, eſt uſus gratiæ ſufficientis, licèt aliundè talis operatio, ut verus effectus ſequatur ad gratiam efficacem in genere cauſæ efficientis ; ſed nullus ex his modis, maximè in principijs Adverſariorum, ſuſtineri poteſt: ergo, &c. Prob. minor : tum, quia, iuxta Contrarios omnis actus ſalutaris, quamvis imperfectus, & initialis, etiam orationis, eſt effectus gratię efficacis, & prædeterminantis voluntatem ; nàm aliàs ab indifferenti (uti eſt voluntas cum gratia ſufficienti) oriretur aliquod determinatum, quod repugnat, juxta ipſos; & voluntas inciperet ſe diſcernere, ac ſibi gratiam ſubordinaret, quæ ſunt inconvenientia contra nos, ponderata ab ipſis : ergo, iuxta eos, nullus actus ſalutaris, quamvis initialis, & imperfectus, poteſt eſſe uſus, per ſe correſpondens gratiæ ſufficienti.

325 Tum, quia quolibet ex illis modis videntur de medio tollere gratiam purè ſufficientem ; ſiquidem, iuxta illos, nulla eſt motio Dei, quę non inferat infallibilitèr motum, ſivè conſenſum aliquem, & actum imperfectum, quem dicunt diſpoſitionem ad perfectum : ergo nullus ex illis modis poteſt ſubſtineri in principijs Contrariorum, dicentium, quod omnis motus conſenſus, vel actus imperfectus voluntatis ſupponit divinam præmotionem, inferentem infallibilitèr actum, ſibi correſpondentem : ac proinde nullus correſpondet gratię puræ ſufficienti, & diſtinctæ ab efficaci. Tum, quia modus ille de mutua prioritate, & cauſalitate ultra difficultates, quas continet ex illo capite, non conducit ad præſens, nec ſolvit difficultatem, quæ procedit de uſu gratiæ ſufficientis, non in præſentia, ſed in abſentia gratię efficacis. Prob. hoc: Ianſeniſta non dicit otioſam eſſe gratiam ſufficientem, quæ, vel identicè, vèl connexivè eſt efficax ; ſed mutua cauſalitas aſſignata in illo ultimo modo dicendi, ſolum datur, quando gratia ſufficiens habet adjunctam gratiam efficacem : ergo

uſus

uſus gratię ſufficientis, de quo in præſenti, non benè deſignatur per recurſum ad illam mutuam cauſalitatem.

326 Secunda pars illius min. principalis prob.: tum, quia, juxta Magiſt. Manſo, qui eſt Auctor illius conſenſus purè negativi, conſenſus, & diſſenſus negativus eſt uſus libertatis, non activè, ſed paſsivè, conſentientis in eo, quod voluntas, nihil agendo, ſinat ſe trahi ab auxilio ipſam alliciente ad bonum, & ſic negativè conſentiat; vel ſinat ſe trahi ab obiecto turpi, & ſic negativè diſſentiat auxilio; ſed prętерquamquod iſte dicendi modus eſt contra communem Theologorum, collocantium libertatem in principio activo, & non in paſsivo, & non admittentium niſi libertatem contradictionis, & contrarietatis, ad quarum neutram illa libertas paſsiva pertinet: ultra hoc, inquàm, talis dicendi modus impugnatur multiplicitèr. Primò, quia tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem, moventeque, & excitante illius voluntatem, hęc ſinens ſe trahi, nihil omninò ageret, ſed merè paſsivè ſe habens, ſe diſponet ſaltem initiativè ad juſtificationē; ſed hoc videtur parum conforme Concilio Trid. ſeſſ. 6. cap. 5. can. 4.: ergo, &c.

327 Secundo, quia vel Concilium ibi loquitur de gratia ſufficienti, vel de efficaci? Sed quodcumque dicatur pugnat cum doctrina Magiſtri Manſo de conſenſu purè negativo: ergo, &c. Prob. min.: ſi Concilium loquitur de gratia ſufficienti, pugnat cum doctrina illius Magiſtri, dicentis, liberum arbitrium nihil agere, ſed paſsivè ſe habere ſinendo ſe trahi á grátia ſufficienti, & ita ſe diſponi ad gratiam efficacem; & conſequenter ſaltem initiativè ſe diſponere ad juſtificationem per quid merè paſsivum, quod eſt contra declarationem Concilij. Deinde, ſi loquitur Trid. de gratia efficaci, cum ad illam, juxta Magiſtrum Manſum, homo libere (quamvis paſsivè ſe habens) ſe diſponat per conſenſum negativum, jam illa gratia datur homini per merita; quia ille negativus conſenſus, cum liber, & bonus ſit, & ſupernaturalis, videtur habere quidquid eſt neceſſarium ad rationem meriti, quod etiam eſt contra Concilium cap. 5. cit.: ergo &c. Tertio impugnatur; quia ideo juxta Concilium homo aliquid agit, inſpirationem reſpiciens, quia illam recipit, quan-

quando poteſt abjicere; ſed homo non reſiſtens, aut ſinens ſe trahi à gratia illa prævenien-te, ita ſe gerit, ut ipſam non abjiciat cum poſsit eam abji-cere: ergo, &c.

328 Quartò, quia vo-luntas, ut pote libera, & in-differens ad conſentire, vel diſſentire negativè gratiæ ſuf-ficienti, quæ etiam eſt prin-cipium indifferens, & non prę-determinans voluntatem, ipſa ſe determinaret ad unum, præ alio, ex extremis ſuæ liberta-tis, quæ determinatio, cum non poſsit provenire à gratia ſufficienti, ut potè indifferen-ti debet oriri à voluntate: er-go jam ab indifferenti, ut ta-li, poteſt oriri aliquid deter-minatum; immò eadem ratio-ne poterit voluntas activè ſe determinare ad conſenſum, vel diſſenſum poſsitivum: quæ omnia, ut pote contraria Tho-miſt. principijs, non concede-dentur à Magiſtro Manſo. Quintò impugnatur iſte con-ſenſus negativus à ſimilitudi-ne hujus opinionis cum ſen-tentia noſtri Hernandez de la Torre, ſupra impugnata in quæſt. 5. præſentis Diſputat.: ſicut enim Hernandez liberta-tem fabricat ante libertatem, ponendo propenſionem liberam ante exercitium, & actum li-bertatis; ita & Manſo liberta-tem fabricat, ponendo liberum conſenſum, puré negativum, ante liberum conſenſum poſi-tivum. Quæ ibi dicuntur, hic applicentur.

329 Doct. noſtrum Subſ-ſtare pro efficatia ſecundum quid, ſeu in linea cauſę par-tialis, reperta in gratia ſuf-ficienti conſtat, tum in 1. diſt. 26. q. unic. §. *tenendo opinionem ſecundum.* ℣. *ad ſecundum dico*, ubi ait: *ſicut ex deſtructione cau-ſæ ſequitur deſtructio cauſati, & ex remotione cauſati ſequi-tur remotio cauſæ.* Item ipſe Doct. in 4. diſt. 43. quæſt. 2. §. *reſpondeo.* ℣. *de ſecundo*, ait: *forma innoteſcit ex operatione, ſicut materia ex tranſmutatio-ne.* Ex quibus Doct. Mariani auctoritatibus hoc breve for-matur ratiocinium: nequit di-ci, quod gratia auxilians ſuf-ficiens nullam habeat rationem cauſæ; ſed hoc ſequeretur, ſi gratia ſufficiens numquam ha-beret ſalutarem conſenſum: er-go, ne ſequatur hoc abſurdum dici debet, quod gratia ſuffi-ciens habet aliquando effec-tum. Conſequentia eſt legitima. Minor continetur in auctori-tatibus Doct., & maior eſt apud omnes certa.

Tum

330 Tum in 4. diſt. 2. q. 1. §. *ex his*, ait Marianus Præceptor: *Sacramentum habere efficatiam, eſt ipſum habere regulariter effectum ſignificatum concomitantem.* Ex quibus ſic: non aliter ſe habet auxilium ſufficiens ad cauſationem actus ſalutaris in voluntate, ac ſe habet Sacramentum ad cauſationem gratiæ in ſubiecto; ſed in Sacramento datur ſufficientia, conjuncta cum efficatia, non quidem ſimpliciter, ſed quantum eſt ex parte Sacramenti, ratione cuius efficatię ponit effectum regulariter, ſed non ſemper, ſcilicet ex deffectu, ſeu indiſpoſitione recipientis: ergo & in auxilio ſufficienti, &c. Prob. maior: eo Sacramentum non alia ratione caret aliquando ſuo effectu, præcisè quia concauſa eius, nempe recipiens, à quo dependet quoad effectus cauſationem non concurrit cum eo ad poſitionem gratiæ; ſed etiam auxilium ſufficiens non alia ratione caret aliquando effectu ſalutari, niſi quia eius concauſa, ſcilicet voluntas humana, non vult concurrere cum eo ad poſitionem actus liberi ſalutaris: ergo ſimili modo ſe habent Sacramentum, & auxilium ſufficiens ad ſuos effectus cauſandos; conſequenterque utrobique datur ſufficientia cum efficatia, ſecundum quid, & quantum eſt ex ſe, & tam longè abeſt, quod ſit de intrinſecis auxilij ſufficientis numquam habere conſenſum ſalutare, quod quin potius ſit de eius natura eum habere multotiès; ſicut multotiès, & regulariter Sacramentum non fruſtratur ſuo effectu.

Solvuntur argumenta.

331 ARguitur 1. cum phyſicè prædeterminantibus: nequit gratia conſtitui efficax per decretum concomitans, ſi gratia efficax eſt talis ab intrinſeco; ſed ita eſt: ergo, &c. Prob. minor 1.: nam gratia phyſicè prædeterminans, non tollit aliquid, quod ſit de eſſentia libertatis; ſed hoc ipſo eſt admittenda gratia ab intrinſeco efficax: ergo, &c. Prob. min.: indifferentia ſuſpenſionis non eſt de eſſentia libertatis; ſed hanc ſolam ſuſpenſionem tollit phyſica prædeterminatio: ergo, &c. Prob. mai. triplicitèr; & primò ſic: Deus ab æterno decrevit libere, producere mundum; ſed in Deo non fuit indifferentia ſuſpenſionis ad velle, & nolle producere mundum; cum in æternitate nullum fuerit inſtans, in quo voluntas Dei fuerit ſuſpenſa: ergo, &c. Secundò ſic: Angeli, & Anima Chriſti me-

meruerunt in primo inſtanti: ergo tunc habuerunt libertatem ; ſed ante illum primum inſtans non fuit aliud, in quo potuerunt eſſe ſuſpenſi : ergo, &c. Tertiò ſic : voluntas aufert à ſe indifferentiam ſuſpenſionis: ergo talis indifferentia non eſt de eſſentia libertatis ; quia voluntas à ſe nequit auferre, neque libertatem, neque aliquid de eſſentia libertatis.

332 Pro ſolutione huius argumenti eſt advertendum, libertatē poſſe tripliciter conſiderari, ſcilicèt, vel in actu primo, vel in actu ſecundo, vel, ut præſcindit ab utroque. Si conſideretur in actu ſecundo, certiſsimum eſt, quod indifferentia ſuſpenſionis non eſt de eius eſſentia, prout ſic conſideratæ in actuali exercitio ; quia in omni genere cauſę repugnant ſimul indifferentia, ſeu indeterminatio. Certum quoque eſt, indifferentiam ſuſpenſionis non eſſe de eſſentia libertatis in ſtatu præciſionis ab actu primo, & ſecundo, ſed potius ei repugnare in hoc ſtatu, alioquin libertas non poſſet prędicari de actu ſecundo libertatis. Unde tota difficultas eſt : an indifferentia ſuſpenſionis ſit de eſſentia libertatis in actu primo? Pro quo ſciendum eſt, quod talis indifferentia poteſt intelligi, vel prout ſignificat aliquam recogitationem, vel dubitationem, requirentem ſaltem inſtans temporis ; in quo ſenſu indifferentia ſuſpenſionis non pertinet ad eſſentiam libertatis: vel poteſt intelligi, prout ſignificat poteſtatem eligendi inter duo extrema ad nutum, & placitum voluntatis ; & in hoc ſenſu dicimus, indifferentiam ſuſpenſionis eſſe, ſine qua impoſsibile eſt dari libertatem in actu primo. Quibus pręmiſsis, & negatis negandis uſque ad illud de indifferentia ſuſpenſionis.

333 Reſpondeo diſtinguendo illam propoſitionem ; indifferentia ſuſpenſionis non eſt de eſſentia libertatis, ſumpta libertate ſivè in actu ſecundo, ſivè in ſtatu præciſionis, tam ab actu primo, quam ab actu ſecundo, conc. : non eſt de eſſentia libertatis, conſideratæ in actu primo, ſubdiſting. : ſi indifferentia ſuſpenſionis ſumatur prout ſignificat dubitationem, & recogitationem, requirentem tempus, vel inſtans temporis, conc. : ſi ſumatur, prout ſignificat poteſtatem eligendi inter duo extrema, nego. Ad cuius primam probationem diſtinguo min. : non fuit in Deo indifferentia ad velle, & nolle producere mundum, ſumpta tali indifferentia, ac ſi eſſet

quid

quid conveniens decreto voluntatis divinę in actu ſecundo, aut etiam conveniens libertati divinæ in ſigno præciſionis, conc.: ſumpta tali indifferentia, prout ſignificat poteſtatem eligendi inter velle, & nolle mundum pro ſigno actus primi, nego min.; nam Deum eſſe active indifferentem in actu primo ad velle, vel nolle producere mundum eſt omninò neceſſarium; cum talis indifferentia arguat in Deo ſummam perfectionem.

334 Ad ſecundam probationem diſtinguo ſubſumptam: ſed ante illud primum inſtans non fuit aliud in quo potuerunt eſſe ſuſpenſi, ſumpta ſuſpenſione in primo ſenſu diſtinctionis, conc.: in ſecundo ſenſu, nego min. Undè licèt Chriſtus Dominus numquam habuerit potentiam, proximè expeditam ad utrumlibet, quod de lege ordinaria requiritur ad merendum; tamen, quia ſimul fuit viator, & comprehenſor, habuit ſpeciale privilegium, ut per potentiam, determinatam præcisè ad bonum, mereretur. Quantum attinet ad Angelos, non eſt par ratio, quia poſtquam omnes fuerunt ſimul creati in gratia, adhuc omnes fuerunt proximè indifferentes ad merendum, & demerendum, ut probavit eventus, dum quidam meruerunt, demerentibus alijs. Ad ultimum diſtinguend. conſequens: ergo indifferentia ſuſpenſionis non eſt de eſſentia libertatis in primo ſenſu diſtinctionis, conc. conſequentiam: in ſecundo ſenſu, nego conſequent. cum ſubdiſtinctione data.

335 Dices: ergo voluntas, quando excutit ſuam indifferentiam per actuale exercitium, ſe ipſam privat ſua libertate, in actu primo conſiderata. Diſting. conſequens: ſe ipſam privat ſua libertate per novam libertatem ſuperadditam, qua aliquid de novo eligit pro ſuo libito, conc.: ſe ipſam privat ſua libertate per aliquid impeditivum libertatis, nego conſeq.; quia, ſi ſic, jam non ipſa ſe privaret ſua libertate, ſed privaretur ab alio. Voluntas ergo liberè determinans ſe ipſam, ad amorem v.g., licèt reduplicativè, & ut eſt ſub exercitio amandi, ſeu in ſenſu compoſito amoris non ſit proximè potens ad odio habendum, tamen, quia ipſa liberè ſe ipſam determinavit ad amorem, præ odio, potens pro eodem ſigno actus primi, non amorem, ſed odium eligere, ideó in quocumque eius ſtatu ſemper ſalvaretur libertas: cuius oppoſi-

ſitum eveniret, ſi ab alio prævie determinaretur.

336 Arguitur 2. cum eiſdem: cauſa de ſe indeterminata ad operandum, indiget aliquo, à quo determinetur; ſed hoc determinativum nequit eſſe aliud, quam præmotio phyſica: ergo talis præmotio eſt neceſſaria, tam in naturalibus, quàm in ſupernaturalibus. Conſequentia patet, quia voluntas in utroque ordine eſt cauſa indifferens, & indeterminata. Maior etiam conſtat, quia ab indifferenti, ſeu indeterminato, qua tali, non egreditur actio determinata. Reſp. diſt. mai.: cauſa in ſe indeterminata indeterminatione virtutis, &c., conc. mai.: cauſa indeterminata, indeterminatione dominij, ſubdiſting.: indiget aliquo determinativo, quod ſit præcognitio obiecti, conc.: quod ſit qualitas phyſica, phyſicè præmovens, nego maiorem, & minorem. Eodem modo diſtinguatur illa propoſitio: *ab indifferenti, qua tali, &c.* Indifferentia virtutis eſt illa, quę datur in cauſa, quæ nondum habet totalem virtutem, nec magis determinatur ad hunc, quam ad illum effectum, ex pluribus, quos poteſt habere, Sic potentia viſiva v.g. ex ſe non magis reſpicit album, quam nigrum; & quia ex poſitione obiecti, vel ſpeciei, gerentis ejus vices, completur eius virtus tolliturque ejus indifferentia, ideò indiget obiecto, vel ejus ſpecie, tamquam ſui determinativo. Indifferentia dominij ſupponit in cauſa plenam virtutem, perfectumque dominium ad agere, vel non agere, adhuc ſuppoſitis omnibus, prævie requiſitis ad operandum.

337 Solutio eſt Doct. Subt. pluribus in locis, & præcipue in 2. diſt. 25. quęſt. unica §. *dico ergo ad quæſtionem.* ℣. *ad aliud*, ajentis: *alia eſt forma in potentia indeterminata, perfecta tamen, & non diminuta, objecto ſibi præſentato, cuiuſmodi eſt voluntas; & iſta poteſt ſe determinare, & etiam aliam:: potentia igitur rationalis perfecta, cuiuſmodi eſt voluntas, quamvis ſit contradictoriorum, poterit determinare ſe, obiecto præſente, ad unum illorum.* Idem docet in 1. diſt. 8. q. 5. §. *ad argumenta pro opinione*, ℣. *& cum dicis*, ubi poſtquam docuit, Deum eſſe indeterminatum indeterminatione potentię activę, concludit: *voluntas noſtra eſt indeterminata hoc modo indeterminationis virtutis activę ad utrumlibet contradictoriorum, & ex ſe poteſt determinari ad hoc, vel illud.* Unde, dum Doct. in hac eadem quæſt. §. *ad argumenta poſita.* ℣. *ſimiliter*, ait: *nulla*

cauſa ſecunda cauſat, niſi prima cauſante effectum ejus, & hoc prius naturalitèr, quam ipſa cauſa proxima cauſat: intelligendus eſt de prioritate perfectionis, ſeu *à quo*, non verò cauſalitatis, & in quo; cum Deus non habeat aliquam cauſalitatem, à qua cauſalitas cauſę ſecundæ, tamquam à priori, dependeat: nam, ſi Doct. alitér intelligeretur, perſpicuæ ſuæ menti hic, & alibi contradiceret.

338 Pro pleniori ſolutione huius argumenti advertatur, quod, licèt individuatio effectuum, etiam liberorum, proveniat à Deo decernente hunc potius effectum provenire à cauſa libera, jam determinata à ſe ipſa quoad ſpeciem effectus, tamen hæc determinatio quoad ſingularitatem effectus, non provenit ab ulla qualitate, phyſicè applicante potentiam ad hunc numero actum præ alio. Unde conſtituta voluntate ſub omnibus prærequiſitis ad amandum obiectum A, eſt adhuc indifferens ad amorem, vel odium, vel ad ſuſpenſionem utriuſque; poſteà verò ſe ipſam determinat ad ſpeciem actus, ſcilicet ad amorem, & ſic determinata, quod amet obiectum A per amorem B prę actu amoris C, provenit á Deo, determinante talem ſpeciem actus fieri potius per actum B, quam per actum C; non quod voluntatem determinet, media aliqua applicatione, ut volunt Thomiſtę: quia, licet Deus, quantum attinet ad individuationem effectus, det ſuum concurſum ad hunc determinatum actum amoris, non tamen determinativè ipſum dat; nam talitèr dat ſuum concurſum ad hunc determinatum actum amoris, quod etiam offerat ſuum concurſum ad hunc determinatum actum odij. Quarè voluntas ſemper eſt proximè libera reſpectu elicientiæ actus amoris.

339 Arguitur 3. cum eiſdem: Deus operatur ut cauſa prima: ergo prius natura operatur, quam cauſa ſecunda: ergo prius natura influit in effectum creaturæ, quam creatura ipſa: ergo cauſa ſecunda non operatur, ut ſcia Dei operantis, ſed potius prædeterminata. Confirmatur: neque exceſſus in perfectione conſtituit Deum in ratione cauſę primæ; alioqui, & Angelus eſſent cauſæ primæ, reſpectu aliarum cauſarum ipſis inferiorum in perfectione; nec etiam concurſus ſimultaneus poteſt ipſum conſtituere in ratione cauſæ primæ, cum talis concurſus eſſentialitèr dependeat ab utroque: ergo ſolum per prioritatem influxus in effectum, po-

poteſt conſtitui Deus in ratione cauſæ primæ. Reſpondeo, conceſſo antec., diſtinguendo conſequens: ergo prius natura operatur quam cauſa ſecunda, quatenus ſe ſolo producit prius natura cauſam ſecundam, & omnem virtutem productivam, quam habet, conc. conſeq.: alia prioritate in ordine ad influxum in effectum cauſæ ſecundæ, priuſquam ipſa cauſa ſecunda influat, nego conſequentiam. Ad confirm. diſting. antec. quoad prim. part.: exceſſus utcumque in perfectione non conſtituit Deum in ratione cauſę primæ, conc. antec.: exceſſus talis, quo arguitur, Deum eſſe cauſam ipſius cauſę ſecundæ, omniſque virtutis productivæ in ipſa, nego antec.

340 Deus ergo, quamvis non prius natura influat in effectum cauſæ ſecundæ, quã ipſa cauſa ſecunda, adhuc ex multiplici capite ſortitur rationem cauſæ primæ; nam in primis eſt cauſa prima ex eo, quod prius natura producat cauſam ſecundam, omnemque eius virtutem operativam, quã applicat, mediante decreto applicativo ſuæ Omnipotentiæ ad concurrendum cum illa. Deinde ex ſe, & à ſe operatur, quod etiam ſufficit ad rationem cauſę primæ. Prætereà Deus ſe ipſo intimè applicatur omnibus rebus, ſivè localiter, ſivè intentionaliter, quin iſtam applicationem accipiat ab alio. Tandèm non indiget Deus alio partiali comprincipio, cum ſe ſolo valeat producere effectum, quem in genere cauſæ efficientis, ſimul concurrendo cum cauſa ſecunda producit. Quę omnia ſufficiunt, ſicut, & quodlibet ipſorum ad ponendam in Deo rationem cauſæ primæ. Videatur Doct. in 3. diſt. 17. quæſt. unica. §. *ſtatum quæſtionem.* ad 1um principale ℣. *ſi autem teneatur*, ubi ait: *licèt in cauſa ſecunda non ſit prima libertas nec dominium, ſed in voluntate divina; tamen Deus non operatur ad operationem voluntatis creatæ, niſi voluntate ipſa liberè agente, & determinante ſe ad operandum, & tunc Deus operatur cum ea.*

341 Arguit. 4.: nulla cauſa creata eſt actus purus in agendo: ergo quælibet cauſa creata habet virtutem activam, mixtam cum paſſiva: ergo quælibet agit ut mota ab alia. Probat. hæc conſequentia: unumquodque agit ſecundum quod eſt in actu, & ſecundum quod eſt in potentia: ergo cauſa, quæ non eſt purè activa, ſed habet potentiam activam, mixtam cum paſſiva, agit, & movet, in quantum ip-

ipſa movetur ab alia ; & conſequenter, &c. Reſp. diſting. antec. : nulla cauſa creata eſt actus purus , ſumpto actu puro pro habente ex ſe exiſtentiam, & virtutem productivam, conc.: ſumpto pro actu , qui ; accepta á cauſa prima exiſtentia , & virtute productiva , non indiget alio , à ſe diſtincto ad agendum , nego antec. Et diſtinguo conſequens: ergo quęlibet cauſa creata habet virtutem activam permixtam cum paſsiva, in ordine ad receptionem actus immanentis, quem ipſa activè producit , conc. conſeq.: in ordine ad receptionem alicuius præmotionis phyſicę , in ipſa, ut activè agente , nego conſeq.; & omiſſo antecedenti probationis , diſtinguo conſequens eiſdem terminis. Solutio eſt clara , quia potentia paſsiva, quæ reperitur in voluntate , eſt immediatè ad actum ſecundum immanentem , quem in ſe recipit , non verò ad recipiendum aliquid , prævium ipſimet actui ſecundo.

342 Arguitur 5. : actus ſecundus ex natura ſua eſt perfectior actu primo : ergo , ut agens creatum producat actum ſecundum, indiget motione, ſeu actualitate cauſæ primæ. Prob. antec. : actus ſecundus habet magis actualitatis , quam actus primus ; cum actus primus actuetur per ſecundum : ergo cum hoc probet , actum primum habere rationem potentiæ paſsivæ , reſpectu actus ſecundi, ſequitur , actum ſecundum eſſe perfectiorem actu primo. Reſp. negando antec. Ad probationem diſting. antec. : actus ſecundus habet magis actualitatis de linea exiſtendi , quam actus primus , nego antec. : in ratione termini , ſeu effectus producendi , conc. antec. , & nego conſequentiam. Itaque licet actus ſecundus habeat magis actualitatis , quam actus primus, in quantum ipſamet actio eſt determinatio actus primi ad poſſeſionem termini , ſeu effectus, tamen hæc maior actualitas non arguit maiorem perfectionem in actu ſecundo ; nam ipſamet actualitas actus ſecundi ex ſua ratione formali eſt quidam modus , dependens ab actu primo tamquam à ſuo principio , á quo recipit ſuam exiſtentiam : & proinde actualitas actus ſecundi imperfectior eſt actualitate actus primi.

343 Arguitur 6. : ipſamet determinatio , ſeù actio, qua voluntas creata ſe ipſam determinat non eſt quid increatum , ſed creatum : ergo dependet à voluntate divina ; ſed in tantum dependet ab ipſa, in

in quantum antecedenter applicat voluntatem creatam ad talem determinationem : ergo antecedenter ipſam applicat; & conſequenter , non per decretum concomitans , ſed per decretum antecedens. Reſpondeo concedendo antec. , & diſtinguo conſequens: ergo determinatio voluntatis creatæ dependet à voluntate divina, tamquam à principio productivo ſui , conc. : tamquam à principio determinativo ſui, ſubdiſtinguo : dependet ſic à voluntate determinante dependentia mutuę , & neceſſariæ connexionis ſocietatis inter utramque determinationem, divinam , & creatam , conc. conſeq. : dependentia effectus ad cauſam , & principiati ad principium , nego conſequentiam , cum ſubſumpta. Determinatio , ſeu actio , qua voluntas creata ſe ipſam determinat ad poſitionem effectus, licèt dependeat à voluntate divina , tamquam à prima cauſa , independenter à cujus concurſu , nihil poteſt producere voluntas creata ; tamen á voluntate divina , tamquam à principio determinativo ſui , minimè dependet: ſiquidem voluntas creata ſe ipſa eſt immediatè determinativa ſui. Et ratio eſt ; quia hęc actio , media qua voluntas creata producit volitionem , ſolum dependet ab illo , tamquám a principio determinativo ſui , reſpectu cuius eſt determinatio ; & cum talis actio reſpectu voluntatis Dei, non ſit determinatio , ſed tantum reſpectu voluntatis creatę, hinc eſt , quod talis actio productiva volitionis ſolum reſpiciat voluntatem creatam , ut principium determinativum , minimè verò divinam. Hoc jam ſupra manet explicatum , & illuſtratum exemplis , exponendo naturam decreti concomitantis. Hucuſque de argumentis Thomiſt. Cum reliquis autem

344 Arguitur 7. : ſi efficatia gratię haberet unicè regulari per decretum concomitans , non eſſet poſsibilis creatura aliqua , quàm Deus, & ſi devolvat theſauros ſuę Omnipotentiæ , non videat rebellem omnibus ſuis auxilijs; ſed hoc eſt contra Magn. Parentem Auguſt. , qui lib. de Correctione , & Gratia ait: *Deum habere humanorum cordium , quo placeret inclinandorum Omnipotentiſſimam voluntatem*:ergo,&c. Maior patet,nam cum antecedenter ad determinationem creatam , virtualiter con-

contentam in decreto concomitanti, omnia, quę ex parte primi ſupponuntur, ſint indifferentia, ideó ſequitur, &c. Huic argumento reſpondet Bernique, dicendo, quod, nec diſputationis gratia, vellet audire, Deum non habere Omnipotentiſsimam voluntatem, ut corda hominum inclinet, & convertat, quando voluerit, & quomodo voluerit. Nobis tamen diſplicet doctrina, qua iſte Auctor, tam aſſeveranter pronuntiat repugnare metaphyſicè creaturam, quę omnibus auxilijs poſsibilibus, collectivè ſumptis, poſſet reſiſtere.

345 Iſta enim propoſitio non eſt adeó certa; ſunt enim plures Auctores graves, oppoſitum ſuſtinentes. Neque carent fundamento Auctores graves, oppoſitum ſuſtinentes. Neque primò carent fundamento in Auguſtino, qui lib. 1. ad Simplicianum, quæſt. 2. ait: *quod ſi tanta poſſet eſſet obſtinatio voluntatis, ut contrà omnes modos vocationis obduretcat mentis averſio, quæritur etiam: utrum de divina pœna ſit ipſa duratio.* Ubi ſupponit, non eſſe implicatorium, quod creatura omnibus auxilijs, collectivè ſumptis, poſsit reſiſtere alioqui fruſtrà de tali reſiſtente obdurationè quæreret: an ſit pœna pro peccato? Videatur quoquè Doct. in 2. diſt. 24. quæſt. unic. §. *contra iſtas duas vias*, ubi docere expreſsè, videatur, non repugnare metaphyſicè, voluntatem creatam poſſe cavere omnia mortalia, collectivè ſumpta, ex eo, quo poſsit nunc cavere hoc, & nunc illud; non enim eſt maior ratio, ut metaphyſicè non repugnet, voluntatem poſſe cavere omnia mortalia, collectivè ſumpta, quàm quod metaphyſicè non repugnet, ipſam poſſe reſiſtere omnibus auxilijs, collectivè ſumptis.

346 Secundò illi Auctores non carent fundamento à ratione, advertendo prius, aliud eſſe, Deum non poſſe creaturam aliquam convertere, ſi efficaciter vellet talem converſionem, & aliud, valdè diverſum, Deum non poſſe efficacitèr velle convertere creaturam in hypoteſi, in qua videret, eam conſenſuram omnibus auxilijs. Primum ex terminis repugnat; quia voluntas efficax, abſolutè talis in Deo ſupponit poſsibilitatem iſti termini, ut ſubjectam ſuæ determinationi. Unde eſt repugnans, Deum non poſſe facere, quod efficacitèr facere vult. Iuxta hunc ſenſum tenet illud Auguſt. de Correctione, & Gratia, cap. 14. *Deo volenti ſalvum facere nullum humanum reſiſtit arbitrium.* Secun-

cundum verò eſt metaphyſicè poſsibile, eo quod in hypoteſi de prævisa reſistentia omnium auxiliorum, nullum videatur fore efficax, adeòque Deus non poſſet talem creaturam libere convertere ex deffectu ſe tenente ex parte ſolius creaturæ, nollentis libere conſentire ulli ex auxilijs ſibi oblatis. Quibus notatis.

347 En brevis ratio: non implicat voluntas, metaphyſicè potens diſſentire cuibibet auxilio ex poſsibilibus, diſtributivè ſumpto: ergo nec repugnat metaphyſicè, ipſam poſſe diſſentire omnibus auxilijs, collectivè ſumptis, ſi ſigillatim darentur. Antec. admittitur ab omnibus. Prob. conſequentia: ideò non repugnat in omnibus auxilijs, diſtributivè ſuptis, quia in illis, ſic ſumptis, nulla datur connexio metaphyſica, illativa conſenſus; ſed nec datur talis connexio in tota collectione auxiliorum, cum tota collectio non conſtituatur per aliud, niſi per ſingulas ſuas partes: ergo, &c. Multæ, & graves replicæ poſſent hic objici, quas ſolvere non vacat, non enim modò intendimus, niſi inſinuare poſsibilitatem creaturæ, quàm Deus non poſſet liberè convertere, non eſſe rem adeò duram, ut nec diſputationis gratia, poſsit audiri, ut ait Bernique. Undé ad argumentum reſpondeo, quod ex parte Dei ſemper adeſt ſumma poteſtas, ad convertendam creaturam per auxilia indifferentia, & ſi aliqua daretur quę eſſet inconvertibilis, non eſſet aliundè, quàm ex malitia creatæ voluntatis.

348 Arguit. 8. cum noſtro Souſa dubio magno apendiciſic: omne, cauſans verum ens, oportet, quod habeat aliquod eſſe exiſtentiæ, in quantum eſt cauſa, juxta Doct. in 1. diſt. 13. q. unica. §. *aliter ponitur*. ℣. *contra iſtud*; ſed voluntas creata, ut virtualitèr eminentèr contenta in voluntate divina, non habet exiſtentiam: ergo, prout ſic contenta, non poteſt volitionem cauſare; & conſequenter talis continentia eſt inutilis ad ſtabiliendum decretum concomitans. Reſp. diſting. minorem: non habet exiſtentiam ſimpliciter talem, conc.: diminutam, & ſecundùm quid talem, nego min. Exiſtentia ergo voluntatis creatæ ab æterno, ſicut & productio virtualis ſuæ volitionis ſolum eſt diminuta, & ſecundùm quid, ſcilicet, quid productum in eſſe volitò, ſeu in eſſe futuri. Quarè Doct. citat. efficaciter probat, ens diminutum, ſeu ens cognitum ex eo, quod non habeat eſſe realis exiſtentiæ non poſſe

poſſe cauſare ens, ſimpliciter tale, quod veriſsimum eſt ſed non contra nos. Videatur Doct. ibi num. 7. in fine.

349 Arguit. 9. ex eodem Doct. in 1. diſt. 35. quæſt. unic. §. *ad iſtam*, ajente: *nihil, habens perfectum eſſe in aliquo genere, ab illo, quod habet minus perfectum eſſe in tali genere, dependet*: ergo relatio actualis non dependet ab aliquo, quod tantum eſt ens potentiale, & non actuale; ſed voluntas creata, ut virtualiter contenta in divina habet minus perfectum eſſe, quam volitio producta in eſſe realiter futuro: & ſimiliter relatio actualis dependentiæ, fundata in volitione producta in eſſe futuro, hábet magis perfectum eſſe, quam voluntas in eſſe virtuali, quæ, ut ſic, eſt ens tantum in potentia: ergo nihil actu refertur ad voluntatem, tamquam ad cauſam: ergo nihil cauſat nec cauſare poteſt in illo ſtatu virtuali. Confirmatur 1. ex Doct. in 2. diſt. 2. quæſt. 1. §. *ſi dicatur*. ℣. *ad iſta*. ubi docet ex Philoſ., *efficiens in actu, & cauſatum in actu ſimul eſſe, & non eſſe*; ſed volitio, inquit, creata, quando actualiter concauſatur in æternitate, non habet tunc cauſam in actu niſi ſolam voluntatem divinam: ergo non cauſatur tunc à voluntate creata.

350 Confirm. 2., inquirendo: in quo ſubiecto recipiatur tunc volitio creata? Non in voluntate divina: ergo in voluntate creata; ſed voluntas in illo eſſe virtuali non poteſt recipere volitionem: ergo non datur talis volitio. Prob. min.: quia ſubiectum non debet eſſe minoris entitatis, quam forma recepta; ſed eſſe virtuale eſt minus eſſe, qua eſſe realiter in æternitate futurum pro determinato tempore: ergo, &c. Confirmatur denique ex Doct. in 1. diſt. 2. quæſt. 7. §. *iſta opinio*, ℣. *aſſumptum*, dicente: *aliquid eſſe in potentia proxima, quando nihil apparet addi, ſubſtrahi, vel minui ad hoc, quod actus inſit*; ſed ad hoc, ut voluntas creata, virtualiter contenta in divina, conſtituatur in æternitate in actu primo proximo ad concurrendum cum voluntate divina, addenda eſt illi exiſtentia, ſaltem decretata, & futura; & tollenda eſt identificatio realis ſui cum voluntate divina; & tandem illi addendum eſt obiectum præſens; quia nihil volitum, quin præcognitum: ergo continentia virtualis eſt prorsùs inutilis ad hoc, ut voluntas creata poſſit proximè concurrere cum divina ad volitionem creatam.

351 Præſens argumentum cum ſuis conformationibus conſiſ-

ſiſtit in prava intelligentia continentię virtualis voluntatis, creatæ in divina ab ęterno. Arguens enim ſupponere videtur, quod Scotiſtæ, ſuſtinentes noſtram opinionem, docent, voluntatem creatam, ut condecernentem cum voluntate divina, nullum aliud eſſe habere, præter illud eſſe virtuale, quod ſolet appellari *virtus ipſius continentis*. Quod quidem ſuppoſitum falſiſsimum eſt; ſiquidem Patroni omnes noſtræ ſententiæ tenent, voluntatem creatam habere eſſe, actualitèr futurum à decreto voluntatis divinę, priuſquam intelligatur, quidquam convelle, aut condecernere cum voluntate Dei, ut patèt ex ſuprà poſito ordine ſignorum reperto in divina providentia in ferendis condecretis ſuæ, & noſtrę voluntatis circa noſtros actus liberos. His ergo præmiſsis,

352 Reſp. ad argum. negando min.; quia voluntas, ut virtualitèr contenta in divina equidem realitèr futura eſt, ac ipſa volitio producta in eſſe realitèr futuro, & prius quidem futura, quam ipſa volitio. Et dum additur in minore, *quod relatio actualis dependentiæ, fundata in volitione producta habet perfectius eſſe, quam voluntas in eſſe virtuali*, negatur ſuppoſitum; quia voluntas in eſſe virtuali modo, quo hic loquimur, eſt realitèr futura. Ad primam confirmat. nego min., ut implicatoriam, quia ſi volitio creata actualitèr cauſatur in æternitate, ut ait arguens, implicat, quod in æternitate non habeat actualitèr concauſam eo modo, quo in æternitate actualitèr concauſatur. Ad ſecundam confirmat. dico, quod volitio creata, virtualitèr producta ibi à voluntate, in ipſa voluntate, quæ per prius actualitèr futura eſt, quam ſua volitio, actu virtualitèr ſubjectatur in ipſamet voluntate, tamquam in ſuo ſubiecto proprio.

353 Ad ultimam confirm., conceſſa authoritate Doct., concedo paritèr min. quoad primam part.; quia, ut voluntas aliquo modo operetur, indiſpenſabile eſt, quod vel actu phyſicè exiſtat, vel actu futura ſit. Nego verò ſecundam partem min.; quia in eo ſenſu, in quo voluntas creata identificatur realitèr cum divina voluntate, ſemper realitèr identificatur cum ipſa, quamvis per reſpectum ſupervenientis ſibi futuritionis actualis, ſivè actualis exiſtentię, neceſſariò diſtinguatur realitèr ab ipſa. Et conc. eandem min. quoad ultimam part.; quia ſi voluntas actu

formaliter vult aliquid, prius actu formaliter illud intelligit intellectus cum ea identificatus; si verò actu virtualiter vult, tunc virtualiter volitum per prius intelligitur virtualiter per intellectum realiter identificatum in esse futuri; nam, sicut supponimus voluntatem creatam virtualiter contentam in divina, esse actualiter futuram, antequam aliquid velit in æternitate, ita pariter dicimus, intellectum proprium, cum voluntate realiter identificatum, esse ibi actualiter futurum, & sub hoc statu actualis futuritionis virtualiter exercent proprias operationes intellectus, & voluntas in æternitate. Alia argumenta, contra decretum concomitans militantia, proposita, & soluta videantur tom. 1. in Tract. de Scientia Dei, ubi ultra triginta replicas invenietis, & in argumentis pro alijs opinionibus circa efficatiam gratiæ constituendam per quid distinctum à nostro dicendi modò abundè habentur unde impugnetur præsens conclusio. Benè autem verum est, quod ipsis manet adhibita solutio in terminis respicientibus istam nostram assertionem. Et hæc de isto Tractatu.

TRACTATUS XVI.
DE
DISTRIBUTIONE,
ET NECESSITATE GRATIÆ.

PROOEMIUM.

IURE meritò agimus nunc duo, ex quibus eſt unum ſeparare auxiliorum diſtributionem, & neceſsitatem ab eorum natura, & varijs diviſionibus; & eſt alterum eorum auxliorum diſtributionem, & neceſsitatem ſub una proponere tractatione. Ad primum inclinamur ex eo, quod gratiæ neceſsitas ſub ſe comprehendit etiam aliqua, limites actualis gratiæ tranſcendentia, & ad gratiam habitualem ſpectantia. Inclinamur ad ſecundum ut inde miremur munificentiam divini largitoris, qui, nulli negans auxilia ſufficientia, dat quidquid eſt neceſſarium, ut poſsimus ad æternam ſalutem pervenire. Sit ergo

DIS-

DISPUT. I.

DE DISTRIBUTIONE GRAtiæ auxiliantis.

QUÆST. UNICA.

An Deus det omnibus hominibus, ratione utentibus, auxilia ſufficientia ad ſalutem, & quo ſenſu?

1 PRO intelligentia hujus difficultatis recolenda ſunt dicta in tom. 2. Tract. 4. Diſput. 1. quæſt. 4. circa voluntatem antecedentem, & abſolutam beneplaciti, qua Deus ſeriò, & efficacitèr vult omnium ſalutem. Prænotandũ ulterius eſt primó, quòd, licèt præſens difficultas valdè affinis ſit, & pendeat ab illa, tamen exiſtimanda non eſt eadem prorsùs cum illa; cum ſtare poſſet, quod Deus voluntate antecedenti, ſeria abſoluta, & efficaci, quantum eſt ex parte ſui vellet immediate omnium ſalutem, & quod non omnibus præberet media ſufficientia, & neceſſaria ad illius conſecutionem; eo quia talia media non præbere, proveniret, non ex deffectu providentiæ, aut voluntatis divinæ, illa denegantis, ſed ex parte creaturæ, retardantis, aut impedientis eorum collationem.

2 Prænotandum 2., quod aliqui tam ex Thomiſt., quam ex noſtris diſtinguunt inter hoc, quod eſt, non dare rem, & denegare ipſam. Dicunt enim, quod non dare rem, eſt ceſſare à benefaciendo, ſeu non conferre beneficium; undecumque id proveniat, & quod ſtat cum animo conferendi illud tempore oportuno, vel ſi non adeſſet impedimentum. Denegare verò rem, eſt, non dare ex propoſito, vel eſt non poſitio beneficij ex parte Dei, ita ut etiam ſi aliæ cauſæ ad effectum ſint ſatis diſpoſitæ, Deus tamen non velit beneficium dare. Eundem ſenſum reddit, quod dicunt alij, nempe, verbum *dare* poſſe accipi duplicitér. Primò ut eſt correlativum ad recipere, & quatenùs denotat intrinſecam receptionem auxiliorum Dei. Secundò prout ſignificat idem, ac offerre, ſeu paratum eſſe, quantum eſt ex parte ſui ad illa conferre.

3 Prænotandum 3., quod prædicta diſtinctio inutilis eſt ad reſolutionem præſentis difficultatis, eo quia, ſic intellectis terminis, hæc quæſtio coincidit cum illa de voluntate antecedenti ſalvandi omnes, quam loco citato tractavimus, & ſtabilitum relinquimus, Deum ex parte ſua nulli denegare media

dia ad ſalutem, & ſalutem ipſam; quia ſi denegat, vel non dat, eſt ex voluntate conſequente, quia non eſt ex ſe ipſo, ſed ex noſtra cauſa. Quapropter hìc ita ſumimus *non dare*, ut ſignificet carentiam abſolutam, & ſimpliciter collationis, vel receptionis mediorum, vel auxiliorum ad ſalutem ſufficientium, & neceſſariorum.

4 Prænotandum 4. quod inter gratias, auxilia, ſeu media, ad ſalutem, & vitam æternam conſequendam, quædam ſunt extrinſeca, quędam verò intrinſeca; & alia proximè, & immediatè ſufficientia, alia remote, & mediatè ſufficientia. Extrinſeca ſunt Redemptio per Paſsionem, & Mortem Chriſti Dñi., Bautiſmus, & alia Sacramenta, prædicatio Evangelij, & alia huiuſmodi. Intrinſeca ſunt auxilia gratiæ internę, nempè, ſancta cogitatio, & pia affectio, quibus Deus adultorum intellectum illuſtrat, & voluntatem inflammat, ut declinent à malo, & faciant bonum. Proximè ſufficientia ſunt, quæ continent omnia comprincipia, & conditiones ex parte actus primi ad conſecutionem ſalutis. Remotè ſufficientia ſunt illa, per quæ homo poteſt pervenire ad ea quæ ſunt proximè ſufficientia, & per iſta ad ipſam juſtificationem.

5 Prænotandum 5., quod, licèt iſta difficultas ſoleat etiam exagitari de non habentibus rationis uſum, videlicèt, parvulis, & amentibus: an, videlicèt omnibus illis Deus det media ſufficientia ad ſalutem? Tamen, quia relatè ad parvulos (idem dic de amentibus) conſtat ſufficienter reſolutio ex dictis loco ſuprà citato in ſolutione ad argumentum 4.; & aliàs in præſenti agimus de auxilijs gratiæ internę, cuius non ſunt capaces, qui rationis uſu carent: ideò quæſtio iſta devolvitur ad ſolos adultos, & rationis, ſeu mentis compotes, atque capaces conſecutionis ſalutis ex proprijs meritis. Prænotandum 6., quęſtionem non eſſe: utrum omni tempore, & momento huius vitæ mortalis ſingulis hominibus detur gratia ſufficiens: vel utrum ea ſemper detur ipſis per quam immediatè, & proximè poſsint tentationes ſuperare; mandata adimplere, & agere conducenter ad ſalutem? Sed quæſtio eſt: utrum omnibus, & ſingulis hominibus, ratione utentibus, barbari ſint, gentiles, obcæcati, & obdurati, detur à Deo gratia immediatè, vel ſaltèm mediatè ſufficiens pro loco, & tempore opor-

oportuno, præſertim cum urget præceptum; adeò ut peccatum originale, vel alia peccata in iſta providentia non ſint motivum, & cauſa, ut Deus prædictos homines privet omni gratiæ ſufficienti?

6 Prænotandum 7., quod cum Concilium Trid. ſeſſ. 6. de Iuſtificatione cap. 11. ſtatuat: *nemo temeraria illa, & à Patribus ſub anathemate prohibita voce uti audeat, Dei præcepta homini juſtificato ad obſervandum eſſe impoſsibilia non jubet, ſed jubendo monet, &c.* Et cum in Ianſenio ſit damnata ab Innocent. X., & alijs Summis Pontificibus prima ejus propoſitio, quæ aſſerebat: *aliqua Dei præcepta juſtis, volentibus, & conantibus, ſecundum præſentes, quas habent vires, ſunt impoſsibilia: deeſt quoque illis gratia, qua poſsibilia fiant*: ideò à Catholicis omnibus fide creditur, & ut indubitatum ſupponitur, quod Deus juſtis omnibus, & ſingulis pro loco, & tempore dat gratiam ſufficientem, qua poſsint præcepta adimplere, ac ſalutariter operari. Quod ergo in quæſt. Theologorum vertitur, eſt: utrum gratia ſufficiens extendatur ad omnes homines, nimirùm infideles, ut ad fidem veniant, & ad peccatores, etiam excœcatos, & induratos, ut pœnitentiam agant? Pro cuius difficultatis reſolutione, ſit

7 Concluſio: *Deus omnibus adultis, etiam infidelibus, gentilibus, & barbaris, necnon & peccatoribus obcœcatis, & induratis dat in re auxilia ſufficientia ſaltem remota, ad ſalutem conſequendam. Unde non eſt proprium tantum juſtorum habere gratiam ſufficientem ad ſalutem, ſed & aliorum.* Hæc Concluſio eſt contra aliquos Thomiſt., & alios, quos citat, & ſequitur Gonet. Eam tamen defendunt multi Thomiſtæ cum Angelico Præceptore, & communiter Scotiſtæ cum Subt. Magiſt. (quidquid dicat in contrarium Pater Macedo), ac frequentèr ſequuntur eandem ſententiam Auctores Societatis. Prob. ergo primò Concluſio ex Concilio Senonenſi can. 11., dicente: *neque tanta gratiæ neceſsitas libero præjudicat arbitrio; cum illa ſemper ſit in promptu, nec momentum quidem prætereat, in quo Deus non ſtet ad oſtium, & pulſet.*

8 Prob. 2. exemplis, ex Sacra Script. deſumptis; Pharao obdurationis exemplar, ſæpè fuit vocatus à Deo, ut fidem & obedientiam ſibi præſtaret, ut patet Exod. cap. 8., & ſequentibus: & de quo Auguſt. de Prædeſtinatione, & gratia

cap.

cap. 14. ait : *neque hi , qui indurati , atque damnati ſunt excuſationem culpę ex hoc habere ſe credant , quod nullam , qua converterentur , ſint miſericordiam conſecuti. Numquid non potuit Pharao , miraculis credens , Deum tantę virtutis agnoſcere ?* Manaſſes, qui uſque ad ultimam ſenectutem Deo rebellis fuit, & tamen continuo vocatus à Dño. doluit , oravit , & exauditus eſt, ut conſtat ex 2. Paralip. cap. 33. Item Nabucodonoſor enormis peccator, gratia Dei motus , egit pœnitentiam , ut legitur Daniel 4. Obduratiſsimus Iudas pulſatus fuit gratia ſufficienti , ut teſtatur Auguſt. Serm. 34. ad Fratres in Eremo dicens : *ſed videns Dominus, quod verbis eum* (intellige Iudã) *corrigere , illo nolente , non poterat , ſtuduit timorem æternum incutere , dum ait : melius ei fuiſſet , ſi natus non eſſet.* Si autem aliquibus in pœnam peccati gratia ſufficiens negata eſſet, his præſertim fuiſſet , & tamen non eſt negata eis : ergo,&c.

9 Et ratio brevis pro Concluſione deſumpta ex Script. SS. PP. , & ex N. Doct. Subt. in 1. diſt. 46. quæſt. unica. §. *ad primum argumentum* : dicente : *vult Deus omnes homines ſalvare , & ſalvos fieri , quantum, ſcilicèt , & ex parte ſui , & voluntate ſua antecedenti, pro quanto dedit eis dona naturalia , & leges rectas , & adjutoria communia , & ſufficientia ad ſalutem.* Ex his , inquàm , brevis formatur ratio : Deus habet voluntatem ſeriam , & quantum eſt ex parte ſui , de ſalute omnium hominum ; ſed proprius huius voluntatis effectus eſt , non ſolum prępparare , & offerre , ſed etiam in re , & cum effectu pro loco , tempore , & alijs circunſtantijs dare , & conferre auxilia ſufficientia, & neceſſaria omnibus hominibus , in via exiſtentibus : ergo , &c. Prob. min. : non ſtat , aliquem ſerió intendere aliquem finem , quin defacto confert media , ad talem finem requiſita , quæque ad ipſum ſolum pertinet conferre, & dare ; ſed ad ſolum Deum pertinet , dare , & conferre auxilia ſupernaturalia : ergo &c. Prob. mai. : qui ſerió exoptat aliquem finem vult ut per ipſum non ſtet , quominùs obtineatur talis finis ; ſed qui defacto non conferre media , ad finem neceſſaria , quæque ad ipſum ſolum pertinet conferre, non vult ut per ipſum non ſtet conſecutio talis finis : ergo,&c.

10 Confirm. 1. : illa Dei voluntas erga omnium ſalutem, licèt ſit ultimatè inefficax, relatè ad gloriam , tamen eſt efficax in ordine ad media , a ſolo Deo conferibilia ; ſed talis

efficatia consistit in eo, quod auxilia sufficientia homini, non tantum præparentur, sed in re, & exercitè conferantur : ergo, &c. Utraque præmissa est probanda. Prob. mai. : illa voluntas est efficax, secundum quid, subjectivè, & ex parte Dei, adeò ut, quantum est ex se in ordine executivo procuret salutem omnium; sed hoc in terminis est, talem voluntatem esse efficacem absolutè, & simplicitèr in ordine ad media, se tenentia ex parte Dei, & necessaria ad consecutionem gloriæ: ergo, &c. Prob. min. : efficatia simplicitèr voluntatis divinæ consistit in eo, quod semper impleatur, seu infallibilitèr conjungatur cum effectu : ergo, si voluntas generalis Dei salvandi omnes est affectus efficax divinæ voluntatis, relate ad media sufficientia, & necessaria ad salutem, talia media habent ex vi huius voluntatis, ut non solum offerantur, & præparentur in suis causis, scilicet, in Christi Redemptione, in virtute Sacramentorum, &c., sed etiam, quod infallibilitèr in re, & in effectu conferantur.

11 Confirm. 2. : illa voluntas salvandi omnes non est affectus simplicis complacentiæ, sed prosecutionis; sed talis affectus est talis, ut in primis homines omnes exercitè ordinet ad salutem, & simul proponat quodammodo rem facere, aut obtinere per media, necessaria ad consecutionem finis : ergo, &c. Minor habet duas partes. Prob. quoad prim.: nam ad exercitam ordinationem hominis ad salutem necessaria est exercita communicatio auxilij sufficientis, & requisiti ad consecutionem salutis : ergo, &c. Ejusdem min. pars secunda constat; quia in eo præsertim differt actus prosecutionis ab affectu simplicis complacentiæ, quod, cum per simplicem complacentiam nullatenus proponatur, quod res fiat, & obtineatur, per actum tamen prosecutionis proponatur quodammodo res fieri, & consequenter applicentur media sufficientia, & necessaria : ergo, &c.

12 Prob. Conclusio alia ratione : nullus est homo viator, quamvis obstinatus, infidelis, & barbarus, qui non possit salvari; nam alioquin esset exclusus à statu salutis paritèr, ac ille, qui jam est in termino damnationis, quod nequit dici; sed æterna salus non est homini possibilis, nisi per auxilium gratiæ : ergo omni viatori confertur gratia supernaturalis. Confirmatur 1.: nullus est peccator, quantumvis

vis obduratus, qui non poſsit in vita ſua agere pœnitentiam, ad ſalutem aſſequendam; ſed ſine gratia ſufficienti non poteſt homo agere pœnitentiam, prout oportet ad ſalutem: ergo idem quod prius. Maior docetur, tum à D. Thoma 3. part. q. 86. ubi ait in corpore articuli primi: *dicere quod aliquod peccatum ſit in hac vita, de quo quis pœnitere non poſsit erroneum eſt.* Tum à Subt. Doct. in 4. diſt. 20. q. unic., ubi ſtatuit, & probat, quod, licet non ſit facilis, tamen eſt poſsibilis in extremis pœnitentia utilis, & fructuoſa ad ſalutem. Confirm. 2. ex eiſdem Doctoribus, eandem doctrinam habentibus, in alijs ſuę doctrinæ locis.

13 Ad noſtram probationem reſpondet Gonet, conceſsis præmiſsis negando conſequentiam; quia, ut viator dicatur potens ſalvari, ſufficit, quod licèt non habeat in ſe receptam gratiam, quę dat poſſe, poſsit tamen illam recipere, & Deus poſsit illam dare: quod totum verificatur de viatore; & ideò verè dicitur poſſe ſalvari. Sed contra eſt: juxta ipſum gratia ſufficiens dat potentiam ad ſalutem: ergo homo deſtitutus illa gratia, non habet talem potentiam: ac proindè nequit dici verè potens ſalvari. Urgetur: juxta Thomiſt., gratia ſufficiens ſe tenet ex parte actus primi ad actum ſalutarem, ſeu conſtituit actum primum ad actum ſalutarem: ergo, deficiente tali auxilio, defficit potentia vera, & propria, ſeu completa, & adæquata ad ſalutem. Prob. conſequentia: agenti non conſtituto in actu primo completo, deficit vera potentia, & virtus ſufficiens ad actum ſecundum; ſed per auxilia ſufficientia, ſe tenentia ex parte actus primi, conſtituitur homo in actu primo proximo, aut remoto ad converſionem ſalutarem: ergo, dum homo caret omni auxilio, non habet veram potentiam ad ſalutem.

14 Urgetur iterum: actus ſecundus eſt impoſsibilis agenti, non conſtituto in actu primo proportionato; ſed homo, deſtitutus omni auxilio ſufficienti, non eſt conſtitutus in actu primo ad ſalutem, & converſionem; ſiquidem per auxilium ſufficiens conſtituitur voluntas hominis in actu primo ad actum ſalutarem, ad quem homo ſolis ſuis viribus eſt inſufficiens, & impotens: ergo homini, deſtituto auxilio ſufficienti, eſt impoſsibilis conſecutio gloriæ, & efficientia actus ſalutaris pœnitentiæ. Modo ſic: ſed non poteſt dici de homine, exiſtente in vita

mortali, quod ſit illi impoſsibilis conſecutio gloriæ, & elicientia actus ſalutaris pœnitentię; quia, cum Deus præcipiat actum pœnitentiæ, & proſecutionem gloriæ, præciperet aliquid impoſsibile: ergo falſum eſt, hominem poſſe ſalvari, & pœnitentiam ſalutarem elicere, ſi ipſe pro loco, tempore, & alijs circumſtantijs non habeat recepta auxilia ſufficientia gratiæ, quibus fiat potens, ad ſalutem conſequendam.

15 Reſpondet ulterius Conet, duobus modis poſſe hominem dici potentem ad agendam pœnitentiam, & conſequendam gloriam. Primò ab intrinſeco, id eſt, per principium ſupernaturale ſufficiens, intrinſecè in ipſo receptum: & modo, regularitèr loquendo, peccatores ſunt potentes ad agendam pœnitentiam ratione auxilij ſufficientis, quod inſtante præcepto de agenda pœnitentia, recipiunt à Deo. Secundò ab extrinſeco, ſcilicèt, potentia fundata in virtute gratiæ, conferibilis à Deo, & in virtute arbitrij, non obſtinati in malo; & hoc ſecundo modo peccatores excœcati, & indurati, quibus Deus, in pœnam præcedentium peccatorum, denegat auxilia ſufficientia, poſſunt dici potentes ad pœnitendum, non autem primò modo. Undè veriſsimum, inquit, eſſe, quod docet Div. Thomas, nempè, erroneum eſſe, dicere, quod aliquod peccatum ſit in hac vita, de quo quis pœnitere non poſsit: potentia, ſcilicèt, intrinſeca, vel extrinſeca, jam explicata.

16 Contra 1.: Deus etiam peccatores obſtinatos, & obcœcatos invitat ad pœnitentiam, & proſecutionem ſalutis; ſed illa invitatio eſſet fallax, & illuſsoria, ſi non haberent potentiam intrinſecam per gratiam receptam, ſed unicè extrinſecam per gratiam, à Deo conferibilem, verum in re, & defacto negatam: ergo ſolutio ruit. Maior paſsim conſtat in Script. Prob. min.: illuſsoria eſſet invitatio Dñi. ad ſervum, ut exeat à fovea, in quam ſe projecerat, & ex qua egredi non poteſt, niſi auxilio ipſius Dñi., ſi iſte, licèt poſſet auxilium pręſtare, & manum porrigere, tamen in re non præſtet in pœnam projectionis voluntariæ ſervi: ſeu ſi iſte, licet habeat potentiam extrinſecam per auxilium, à Dño. conferibile, tamen non habeat potentiam intrinſecam per auxilium in re collatum; ſed obcœcatus, & induratus nequit per pœnitentiam exire de fovea peccatorum, niſi per auxilium gratiæ ſufficien-

cientis : ergo niſi iſtud auxilium in re, & exercitè conferatur, vana, & illuſoria eſſet illa ad pœnitentiam invitatio, & exhortatio.

17 Contra 2. : poteſtas ſolum extrinſeca, virtute gratiæ conferibilis à Deo, non eſt ſufficiens ad hoc, ut deffectus pœnitentiæ imputetur obcœcatis, & induratis : ergo illa ſolutio non tenet. Prob. antec. : ſtante ſola potentia extrinſeca, virtute gratię à Deo conferibilis obcœcatis, & induratis, ac defficiente potentia intrinſeca virtute gratiæ, defacto, & exercitè collatæ ipſis, omiſſio pœnitentiæ, & cujuſvis actus ſalutaris non eſt illis libera, ſed neceſſaria : ergo, &c. Prob. antec. : nequit omiſsio pœnitentiæ ſalutaris eſſe libera, ſed eſt neceſſaria, ſi ipſa voluntas non habeat proximam facultatem, & dominium ad actum pœnitentię oppoſitum omiſsioni; ſed voluntas vi ſolius, à Deo conferibilis, deſtituta tamen gratia ſufficienti, defacto collata ipſi, non habet facultatem proximam, & dominium expeditum ad elicientiam actus ſalutaris: ergo, &c.

18 Contra 3., & ſimul impugnatur reſponſio Gonet, & aliorum : ideò ſola potentia extrinſeca virtute gratiæ, à Deo conferibilis, eſſet ſufficiens ad hoc, ut deffectus pœnitentiæ imputaretur induratis, & obcœcatis, quia carentia potentiæ intrinſecæ ſupernaturalis proveniret ex eorum culpa, & eſſet voluntaria in cauſa; ſed talis voluntarietas in cauſa non ſufficit ad imputabilitatem: ergo, &c. Prob. minor. multiplicitèr : primò; quia damnati ex voluntaria culpa perſeverant in peccato mortali; & tamen hoc eis non imputatur ad meritum ulterioris pœnę, non alia de cauſa, niſi quia carent omni potentia intrinſeca vi auxiliorum gratiæ collata, ut agant ſalutarem pœnitentiam : ergo, &c. Secundò : etiam deffectus potentiæ intrinſicæ ad credendum in infidelibus negativis oritur ex eorum culpa originali, & in cauſa eſt voluntaria voluntate capitis; ſed etiam, juxta noſtros Adverſarios, hoc non ſufficit, ut deffectus actus credendi imputetur ipſis : ergo paritèr. Tertiò : quia, licèt homo ſe inebrians cum previſione homicidij, ab eo in ebrietate committendi, ſit reus talis homicidij, quamvis tunc careat facultate proxima illud vitandi, eo quia illum impotentiæ, & ebrietatis ſtatum liberè ſe conjecit; tamen tale homicidium non eſt pro ſtatu ebrietatis formaliter in ſe peccatum diſtinctum ab eo, quod per cauſam ebrie-

ta-

tatis cum tali prævisione fuit commissum: nec suppoſita ebrietate, poteſt juſtè præcepi illi homini, quod ebrietatem deponat, & ab homicidio ſe abſtineat; ſed non alia ratione, niſi quia caret facultate proxima, & expedita, quamvis hæc carentia proveniat ab eius culpa, & ſit voluntaria in cauſa: ergo cum obcœcatis, & induratis, adhuc ſuppoſita obcœcatione, & induratione juſtiſſimè præcipiatur à Deo, quod à tali ſtatu ſurgant, & quod ſuam ſalutem proſequantur, adeo ut talis præcepti violatio ſit in ſe formaliter peccatum novum, & diſtinctum à reliquis, non ſufficit impotentia voluntaria in cauſa, ſed potius requiritur potentia intrinſeca, & nullatenus ſufficit extrinſeca, excogitata à Contrarijs.

19 Accedit pro ſtabilienda noſtra Concluſione, quod omnes viatores ſpe certa, & firmiſsima, auxilio ipſius gratiæ innixa, debent à Deo ſperare remiſsionem culpæ, & ſtatum gratiæ, ſi in peccato ſunt, ac ſtatum gloriæ in futura vita; ſed talis ſpes eſſet impoſsibilis, vel incerta, & inſtabilis, ſi Deus in præſenti providentia aliquibus in pœnam ſuorum peccatorum non conferret in re auxilia, ſufficientia, & neceſſaria ad conſequendam ſalutem: ergo, &c. Maior patet ex Concilio Trid. ſeſſ. 6. cap. 13. ſic dicente: *in Dei auxilio firmiſsimam ſpem collocare, & reponere omnes debent.* Prob. min.: quia fundamentum noſtræ ſpei aliud non eſt, quam auxilium gratiæ divinę, & non ſtante certo, & indeffectibili fundamento, fundatum ſuper eum non poteſt eſſe certum, & firmiſsimum; ſed, ſi poſsibile eſt in iſta providentia, quod aliquibus in pœnam ſuorum peccatorum Deus non det in re auxilia ſufficientia, & neceſſaria ad conſequendam ſalutem, incertum eſſet, quod nos in hac vita mortali habeamus talia auxilia: ergo ſpes eſſet impoſsibilis, &c. Confirm.: nam communiter cenſetur, hoc eſſe regulativum ſpei: in mea manu eſt cum auxilio divino conſequi ſalutem; ſi per me non ſteterit, infallibile eſt, quod conſequar ſalutem; ſed hoc judicium, ſpei regulativum, non eſſet verum, ut patet, ſi non daretur in omnibus intrinſeca ſupernaturalis ſufficientia proxima, vel ſaltem remota ad ſalutem tempore oportuno: ergo, &c.

20 Arguitur 1.: Ieremiæ 7. ℣. 16. dicitur: *tu ergo noli orare pro Populo hoc: quia non exau-*

exaudiam te. Et lib. 1. Reg. cap. 16. præcepit Deus Samueli, ne pro Saule depręcaretur, eo quod, ait Deus: *ego projecerim eum.* Epiſt. 1. Ioann. cap. 5.: *eſt peccatum ad mortem, non pro illo, dico, ut roget quis.* Ex quibus inſurgit argumentum: quibus Deus denegat orationis ſuffragium, conſequens eſt, ut illis ſubtrahat omne auxilium; ſed multis Deus negavit orationis ſuffragium: ergo. Prætereà ad Hæbr. cap. 10. dicitur: *voluntariè enim peccantibus nobis per acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur pro peccatis hoſtia*; ſed ubi nulla eſt pro peccatis hoſtia, ibi nulla eſt gratia; ſiquidem gratię profluunt ab hoſtia immaculata: ergo, &c.

21 Reſp. ad argumentum diſtinguendo mai.: quibus Deus denegat orationis ſuffragium, pro omni abſolutè dono conſequendo, conſequens eſt, &c. conc. mai.: quibus Deus denegat orationis ſuffragium pro aliquo particulari dono, conſequens eſt, &c. nego mai. Et diſting. min.: Deus multis negavit orationis ſuffragium pro aliquo particulari dono obtinendo, conc.: pro negando omni, ſubdiſting.: ſi fiat ſermo de damnatis, conc.: ſi de exiſtentibus in via ſalutis, nego min., & conſeq. Ex hoc patet ſolutio ad textus alegatos: nam Ieremię præcipitur, ne oret pro Iudæis, ut liberentur á pœnis temporalibus, ab ipſis promeritis; non autem prohibetur illi oratio, immó præcipitur ipſi prędicatio, ut Iudæi pœniterent, & hoc ſupponebat collata ſufficientia auxilia, ut poſſent facere bonas vias ſuas. Samueli unicé præcipitur, ne oret pro conſervatione regni in perſona Saul; quia, ut conſtat ex ipſo textu, projecerat eum Dñs. ne regnaret ſuper Iſrael.

22 Per peccatum ad mortem, pro quo ait Ioannes, non eſſe orandum, intelligitur peccatum finale, pro cujus remiſsione inutilis eſt oratio, quia tunc jam non eſt pœnitentiæ locus; cum ſit mortalis culpa, qua quis diſcedit é vita, & conſtituitur in termino damnationis. Ad textum Apoſt. reſpondeo, voluntariè peccantibus jam non relinquitur pro peccatis hoſtia, id eſt, de novo offerenda, aut alia ab ea, quæ per Chriſtum eſt oblata, concedo: jam non relinquitur hoſtia, id eſt, quam Chriſtus obtulit, ſubdiſt.: voluntariè peccantibus,

&

& in eo decedentibus, conc.: non decedentibus in eo, ſed adhuc in via exiſtentibus, nego. Chriſtus ergo ſe obtulit hoſtiam immaculatam, & dedit ſed Redemptionem pro omnibus, & ex vi meritorum ejus quandiú ſumus in via habemus ad ſalutem ſufficientiam. Et non eſſe ſenſum Apoſtoli, non orari pro ſalute omnium, in via exiſtentium, conſtat ex Epiſt. 1. ad Thimoth. cap. 2. obſecrante, fieri orationes pro omnibus hominibus.

23 Arguitur 2.: ideo homines ſceleſtiſsimi non eſſent deſtituti omni gratia, ut orando poſſent implorare auxilium uberius, quo poſſent reſurgere á peccatis; ſed ad hunc effectum eſt inutilis oratio: ergo, &c. Minor conſtat: tum ex Pſalm. 65. ℣. 18.: *iniquitatem, ſi aſpexi in corde meo, non exaudiet Dominus.* Tum Iſai. 1. ℣. 15.: *cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam.* Tum; quia 1. Machab. cap. 9. dicitur de Antiocho: *orabat hîc ſceleſtius Dominum, à quo non eſſet miſericordiam conſecuturus.* Tum ad Hæbreos cap. 12. dicitur de Eſau: *non invenit pœnitentiæ locum, quamvis cum lachrymis inquiſiſſet eam.* Reſp. diſting. mai.: ideo, &c., ut orando rectè poſſent, &c., conc.: ut orando non rectè, ſed fictè, & perversè, nego mai.; & applicata diſtinctione ad min., diſting. ſimiliter ultimam conſeq. Dñs. enim monet, dicens: *petite, & accipietis.* Etſi ſunt aliqui, qui petunt, & non accipiunt, reddit rationem Iacobus in ſua Canonica cap. 4.: *petitis, & non accipitis, eo quod malè petatis.* Antiochus ergo Eſau, & alij ſimiles orabant, retento peccati amore, & cum ſola intentione evadendi temporale ſuplicium, vel obtinendi temporale remedium: unde eorum oratio erat prava quæ à Deo non exauditur, ſed potius Deus ex ea offenditur.

24 Arguitur 3.: ex Sacra Script. conſtat, Deum non exaudire, nec miſereri, ſed deſpicere, deſerere, & derelinquere homines pravos in pœnam ſuorum peccatorum; ſed hoc ſignificat, quod licet Deus ſit ex ſe paratus, dare auxilia ſufficientia, tamen propter illorum malitiam illa ipſis non confert: ergo, &c. Maior, & minor conſtant, tum ex illo Pſalm. 17. *clamaverunt :: ad Dominum, nec exaudivit eos*: tum ex illo Pſalm. 80.: *dimiſi eos ſecundum deſideria cordis eorum*: tum ex illo Eccleſiaſtici cap. 7.: *nemo poſsit corrigere, quem ille depexerit.* Item afferitur in Script., Deum excœcare, & indurare aliquos peccatores, &

in

in reprobum ſenſum adducere, ut conſtat ex Epiſt. ad Rom.: *cuius vult miſeretur, & quem vult indurat.* Et ibi cap. 1.: *traddidit illos in reprobum ſenſum.* Iſai. 6.: *excœca cor populi huius.* Deinde in ipſa Script. aſſeritur, aliquos peccatores non poſſe credere, nec pœnitentiam agere, atque aliqua peccata remittenda non eſſe, ut conſtat ex illo Ioann. 8.: *non poteſtis audire ſermonem meum.* Item Matth., & Luc. cap. 12.: *qui autem dixerit* (verbum) *contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei neque in hoc ſæculo, neque in futuro.*

25 Et ex SS. PP. Aug. lib. 1. ad Simplicianum definit obdurationem, dicens: *ut ob hoc dicatur obdurare peccantes quoſdam, quia eorum non miſeretur.* Et in Pſalm. 6. inquit de cœcitate mentis: *ea eſt cœcitas mentis, in eam quiſque datus fuerit ab interiore Dei luce ſecluditur.* Et ſuper Pſalm. 147. dicitur ab eodem Auguſt.: *ecce deſſerit peccatorem: ecce non vocat: ecce non apperit ſenſum: ecce non infundit gratiam.* Item Greg. lib. 11. Moralium cap. 10. ait: *Cain divina voce admoneri potuit, & mutari non potuit, quia exigente culpa malitiæ, iam intus cor Deus reliquerat.* Tandem Div. Iſidorus lib. 1. de Summo bono, cap. 15.: *nonulli ita deſpiciuntur à Deo, ut non poſsint mala plangere, etiam ſi velint*; ſed hęc omnia denotant, aliquos peccatores in pœnam ſuorum ſcelerum ita à Deo excœcari, indurari, deſeri, & haberi, ut dicitur, pro derelicto, ut Deus ſubtrahat omnem gratiam, licet aliàs ſit paratus, eam dare: ergo, &c.

26 Ad argum. quoad eius primum aſſumptum reſpondeo diſting. mai.: ex Sacra Script. conſtat, Deum non exaudire, &c. homines pravos exiſtentes in termino damnationis, conc.: adhùc in via exiſtentes, ſubdiſting.: deſpicere, & deſerere aliqualitèr, nempe ſubtrahendo auxilia ſpecialia, & potentiora, conc.: eos deſpicere, & deſerere ſimplicitèr, non conferendo ipſis auxilia ſaltem remotè ſufficientia, nego mai.: & diſting. ſimilitèr minorem: penitùs, & ſimplicitér deſerere ſignificat ſubtractionem omnis gratię, conc.: deſerere ſecundum quid, & aliqualitèr, nego min., & conſeq. Ad aſſumptum ſecundum argumenti reſpondeo ſimilitèr diſtinguendo mai.: in Script. dicitur, quod Deus homines, in via exiſtentes, excœcat, & indurat, trahitque in reprobum ſenſum, imperfectè, & ſecundum quid, non im-

per-

pertiendo ipſis uberiorem, & potentiorem gratiam, conc.: eos excœcare, & indurare, atque in reprobum ſenſum traddere perfectè, adæquatè, ſeu ſimplicitèr, non dando illis, ſicut damnatis, gratiam ullam, nego mai. Diſting. ſimilitèr min.: induratio, & excœcatio perfecta, propriaque ſtatus damnatorum, importat ſubtractionem omnis gratiæ, concedo; quæ eſt ſola induratio, & obcœcatio imperfecta, incompleta, & poſsibilis in viatoribus, importat ſubtractionem omnis gratiæ, nego aſſumptum, & conſequentiam.

27 Ad tertium aſſumptum argumenti diſting. mai.: in Sacra Script. dicitur, aliquos viatores non poſſe pœnitere impotentia conſequenti, & aliqua eorum peccata eſſe irremiſsibilia impotentia conſequenti, conc.: aliquos viatores non poſſe credere, nec pœnitere impotentia antecedenti, & eorum aliqua peccata eſſe irremiſsibilia, ſumpta impotentia antecedenti, & irremiſsibilitate pro magna difficultate, conc.: aliter ſumpta impotentia antecedenti, nego. Solutio conſtat, exdictis in probatione concluſionis, & ex Concilio Lateranenſ. 3., ubi dicitur: *etiam ſi ad ſummam quis pervenerit malorum, & indetamèn reverti velit* (igitur poteſt, & illud habet in ſua poteſtate antecedenti). Potentiam autem conſequentem non habent, ut conſtat ex Auguſt. Tract. 53. in Ioan., dicente: *quare non poterant? Si à me quæris, citò reſpondeo: quia nolebant.* Dum autem eſt magna difficultas, vel ad aliquid agendum, vel ad remiſsionem alicuius peccati poteſt dici impotentia antecedens, ſed non quæ ſit talis ſimplicitèr, ſed in ſenſu prædicto magnæ difficultatis. Sic conſtat ex Gregor. Nacianzeno Orat. 16. de Theologia, & ex Chriſoſt. Homil. 69. in Ioann., & tandem ex Anſelm. cap. 3. de Gratia, & Libero Arbitrio, dicente: *ſæpiſſimè namque aſſerere ſolemus, impoſsibile nobis eſt, quod ſine difficultate perficere non valemus.*

28 Ad Auctoritates, ex PP. deſumptas, reſp. eſſe intelligendas in ſenſu prædicto, ſcilicet, de deſſertione ſecundum quid, & imperfecta; non autem de deſſertione conſumata, & perfecta. Conſtat hęc expoſitio ex ipſo Auguſtino citato, ubi ait: *ea eſt cœcitas mentis. In eam ſiquis datus fuerit ab interiore Dei luce ſecluditur, ſed nondum penitùs cum in hac vita eſt. Sunt enim tenebræ exteriores, quæ magis ad diem judicij pertinere intelligun-*

guntur ; & penitùs extra Deum ſit quiſquis , dum tempus eſt, corrigi noluerit. Penitùs autem eſſe extra Deum , quid eſt , niſi eſſe in ſumma cœcitate ? Et idem Auguſt. lib. 2. de Serm. Domini cap. 15. ait : *nullam eſſe animam , quamvis perverſam , quæ tamen ullo modo ratiocinare poteſt , in cuius conſcientia non loquatur Deus.* Eſt ergo alienum à mente Auguſt. , & aliorum PP. , quod alia admittatur in hac vita excœcatio , obduratio , & deſſertio , quàm partialis , & ſecundum quid.

29 Arguit. 4. : ſtat, quod Deus ſeriò , & efficacitér quantum eſt ex ſe vellit , & intendat omnium ſalutem , attamèn in pœnam ſuorum peccatorum aliquibus non ultra conferat media ſufficientia , & neceſſaria ad benè ſalutaritèr operandum: ergo illa generalis Dei voluntas ſalvatur per ſolam præparationem , & oblationem auxiliorum ex parte Dei. Prob. antec. : ſtante illa voluntate ſalvandi omnes , ſtat , quod,completo numero , & menſura peccatorum , quę Deus decrevit tollerare , tollat aliquos è vita poſt commiſsionem alicujus peccati , & alios privet uſu rationis ; ſed hoc eſt , in pœnam præcedentium peccatorum illis hominibus non conferre , quin potius eis auferre ſufficientiam ad ſalutem : ergo, &c. Confirmat. , & explicatur argumentum : homo per peccatum non magis demeretur privationem vitæ , vel uſus rationis , quam auxiliorum ſufficientium ad ſalutem : nec magis , immò multò minús debentur gratię ſufficientes homimini viventi , & rationis compoſiti , quam ei debetur vita, & uſus expeditus rationis ; hęc enim naturalia ſunt , & gratię ſunt gratuitæ , ſupernaturales ; ſed Deus defacto privat his naturalibus aliquos peccatores : ergo & illis ſupernaturalibus , &c.

30 Urgetur : non repugnat in hac providentia immò aliquandò experientia conſtat commiti peccatum in ultimo inſtanti vitæ ; ſed á tali peccato nequit homo per pœnitentiam reparari : ergo in hac providentia non repugnat , immo datur peccator , qui non habeat ſufficientiam ad ſalutem. Prob. mai.: non repugnat,immò aliquando videtur cum cognitione mortis imminentis , & obligatione deteſtanti peccata per veram pœnitentiam , illa non deteſtari , & ſic ultimum inſtans vitæ finiri ; cum experientia monſtret , aliquos mori advertentèr obſtinatos ; ſed hoc eſt committere peccatum in ultimo inſtanti,cum uſque ad illud

ultimum inſtans, & maximè in illo, urgeat obligatio pœnitendi: ergo, &c. Minor primi ſyllogiſmi prob.: de illo peccato nequit homo pœnitere in ultimo inſtanti vitæ, cum illud ſit inſtans commiſſionis, pro quo, & in quo non poteſt peccatum deteſtari, nec deleri; ſed aliundè poſt illud inſtans nequit per pœnitentiam reparari; cum iam ſit extra ſtatum vię: ergo, &c.

31 Reſp. ad argum. diſtinguendo antec.: ſtat, quod Deus vellit, &c.; & tamen, quod in pœnam præcedentium peccatorum non ultra negativè conferat media, ſufficientia ad ſalutem, ſcilicèt, peccatores tollendo è vita phyſica, vel morali, poſtquam non eſt ſufficientia, nec aptitudo ad ſalutem, conc.: & tamen Deus non ultra privativè conferat eis talia media, conſervando, ſcilicèt, phyſicam, & moralem eorum vitam, nego antec. Ad cuius probationem, conceſſa maiore, diſting. min.: hoc eſt in pœnam præcedentium peccatorum illis hominibus extra ſtatum viæ conſtitutis, non conferre negativè, quin potius ab eis auferre ſufficientiam ad ſalutem, conc.: hoc eſt, illis hominibus, intra ſtatum viæ poſitis, non conferre privativè ſufficientiam ad ſalutem, nego min., & conſequentiam. Certum eſt, morem præſentis Dei providentiæ, in qua Deus omnes homines ad gloriam ordinavit, eſſe, ita ſe gerere cum peccatoribus exercendo ſimùl cum ipſis, & quaſi temperando miſericordiam cum ſeveritate, ut tandiù eos ſpectet, & ſufferat, dando eis ſufficientiam ad converſionem, quandiù non eſt completus numerus peccatorum, quæ Deus decrevit ſingulis tollerare: quo completo, jam non eſt locus pœnitentiæ, non quidem per ablationem gratiæ ſufficientis, neceſſariæ, durante vita phyſica, morali, ita ut illa denegatio ſit privativa gratiæ; ſed aufertur eis phyſicè, vel moralitèr vita præſens, qua ſublata finitur via; atque adeo gratiæ ſufficientis carentia, tum eſt purè negativa.

32 Ad confirm. conc. mai., & min., neg. conſeq.: tum, quia quæſt. non eſt de jure, ſed de facto; itaque non negatur, peccatores eſſe dignos, ut in pœnam ſuorum delictorum Deus eos omninò deſereret per ſubtractionem omnis gratiæ; cœterum negamus, Deum benigniſſimum ſic de facto ſe gerere. Nec negare poſſunt Adverſarij, peccatores parì jure eſſe dignos, ut Deus ſtatim ſubita morte è vivis tol-

le-

leret; nec ideo ex dignitate, & jure arguunt defacto: ſicut nec arguunt in quovis peccatore non obſtinato, cum tamen ſit innegabile, quamcumque mortalem culpam habere dignitatem ad deſſertionem per denegationem cuiuſcumque gratiæ. Tum, quia, licèt, æquè, vel magis mereatur peccator denegationem omnis gratię ad ſalutem, quàm privationem vitæ, & privatio vitæ datur in pœnam ſuorum peccatorum aliquibus; tamen inde non infertur, quod etiam denegatio omnis auxilij infligatur, durante vita; quia vitæ continuatio nullo titulo debetur ullis hominibus; at collatio gratię ſufficientis debetur aliquomodò viatoribus omnibus, non quidem ex aliquo merito hominum, ſed ex Dei voluntate, & ordinatione, volentis, & promittentis ſalutem, & reconciliationem, atque ex æquitate ipſius Dei, prędipientis ſpem firmiſsimam, quandiú durat præſens vita.

33 Ad urgentiam, conceſſa mai., diſting. min.: à peccato commiſſo in inſtante mortis nequit homo reparari per pœnitentiam ex deffectu continuatę huius vitæ, conc.: ex deffectu omnis ſufficientiæ ad ſalutem ſuppoſita duratione huius vitæ, nego min. Ad cuius probat., conceſſa mai.; quia certum eſt, quod licèt peccatum commiſſum in ultimo vitæ inſtanti, poſsit liberè impediri, ſeu pro illo inſtanti non committi, tamen pro illo, ſeu ex ſuppoſitione, & in ſenſu compoſito, commiſsionis illius pro tali inſtanti, nequit pro eodem deteſtari, deleri, nec remmitti; cum duo actus contradictoriè oppoſiti, ſcilicet velle, & nolle idem obiectum, nequeant ſimul eſſe. Concedo etiam min. ultimi ſyllogiſmi; quia immediatè poſt ultimum inſtans vitæ, iam non eſt locus pœnitentię. Verùm ex his unicè infertur, quod deficiente vita præſenti, deficit etiam ſufficientia ad ſalutem; minimè autem hac vita durante, quin potius, quod talis ſufficientia adeſt uſque ad ultimum illius inſtans incluſivè, cum pro illo poſsit commiti peccatum omiſſionis pœnitentię, quod ſine ſufficientia ad pœnitentiam non poteſt verificari.

34 Arguitur 5. ſpecialitér de infidelibus: fides ſupernaturalis eſt medium ſimpliciter neceſſarium ad ſalutem; ſed pluribus infidelibus non dantur auxilia ſufficientia, & neceſſaria ad fidem: ergo, &c. Prob. minor: fides eſt ex auditu; ſed multi ſunt infideles, qui ex deffectu Prædicatorum nihil de

fide

fide ſupernaturali audierunt: ergo, &c. Confirm.: ad credendum prout oportet ad ſalutem duo ſunt neceſſaria; ſcilicèt: ſufficiens propoſitio Myſteriorum fidei; atque ſancta illuſtratio cum pia motione voluntatis; ſed illud primum non confertur pluribus infidelibus: ergo nec pluribus conferuntur auxilia ſufficientia interna. Prob. min.: propoſitio, & inſtructio Myſteriorum fidei duobus tantum modis poteſt fieri, vel via ordinaria, dum mittuntur Prędicatores: vel via extrahordinaria, dum immediatè per Angelos, vel per ſe ipſum Deus homines inſtruit de Myſterijs neceſſariò credendis; ſed plures fuerunt, & ſunt infideles, ad quos, conſtat, non fuiſſe miſſos, nec mitti Prędicatores, &c.: ergo, &c.

35 Urgetur: ſi omnibus præſtarentur à Deo auxilia ſufficientia ad credendum, inutilis, & ocioſa foret fidei prædicatio; ſed hoc non eſt dicendum: ergo, &c. Prob. mai.: auxilia ſufficientia ad opus ſalutare eliciendum conſiſtunt in ſancta illuſtratione ex parte intellectus, & pia motione ex parte voluntatis à Deo immiſsis, & ſufficientibus ad hoc, ut homo eliciat opus illud, ad quod eliciendum conferuntur; ſed ſtante ex parte intellectus illuſtratione, à Deo immiſſa, & ſufficiente ad credendum, eſt inutilis prædicatio, quę tantum requireretur ad intellectum illuſtrandum: ergo, &c.

36 Ad argum., conceſſa mai., diſtinguo min.: pluribus infidelibus non dantur auxilia ſufficientia, quæ ſint proximè, & immediatè talia, ad fidem, conc. min.: non dantur auxilia ſufficientia ad fidem mediata, & remota, nego min. Ad cuius probat. diſtinguo etiam min.: multi infideles propter abuſum auxiliorum, remotè ſufficientium, non audiunt prædicationem Myſteriorum, conc. min.: multi infideles ex mero beneplacito, & voluntate Dei nolentis ſubſidium illis in re conferre non audiunt Prædicatores, quod eſt medium unicum remotum, & mediatum, nego min., & conſequentiam. *Deus enim*, iuxta Apoſt. teſtimonium, *vult, omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Quæ ultima verba gentiles expreſſe ſignificant: & cum talis voluntas ſit non ſterilis, & ocioſa, proindè non eſt ſatis, quod ſit parata, ſed quod in re conferat auxilia ſufficientia. Alexander enim VIII. damnavit hanc propoſitionem, quæ eſt quinta; *Pagani, Iudęi, Hæretici nullum omninò accipiunt*

à

à Ieſu-Chriſto influxum ; adeoque hinc rectè inferes in illis eſſe voluntatem nudam, & ſine omni gratia ſufficienti.

37 Verùm, ut advertit Subt. Magiſter quæſt. 1. Prologi, §. *quarto principaliter*, ſunt duo genera auxiliorum, ad fidem ſufficientia. Eſt unum *proximè ſufficiens*, & hoc eſt verum, quod non datur omnibus infidelibus. Eſt aliud *ſufficiens* remotè, & de hoc dicimus, quod omnibus conceditur. Deus enim ſervato ordine, à minoribus incipit, & ad maiora progreditur; adeò ut infideles paulatim diſponantur ad fidem, & Deus eis prius preſtet auxilia proximè ſufficientia ad obſervantiam legis naturæ, ad cultum ſupremi Numinis, ad piam inquiſitionem veræ religionis, & fidei, ad quam illa auxilia remotè diſponunt, quibus, ſi bené utantur, fidem, & juſtitiam conſequerentur. Si igitur infideles, benè utendo illis auxilijs remotis, piè quærant veram fidem, ad providentiam Dei pertinet, ipſis conferre maiora auxilia, ac eos per miniſterium hominis, vel Angeli, vel ab ipſo Deo ſpecialiter inſtruere in Myſterijs, neceſſariò credendis. Hæc providentia de auxilio ſufficienti proximo, & remoto, etiam repetitur in juſtis ad perſeverandum, in peccatoribus ad pœnitendum, & in obduratis, & obcœcatis ad deponendam obcœcationem.

38 Ad confirmationem diſtinguo mai. : ad credendum prout oportet completè, & perfectè illa duo ſunt neceſſaria, conc. : ad credendum etiam inchoativè ſunt neceſſaria illa duo, nego mai. Et diſting. min. : inſtructio in Myſterijs fidei non omnibus datur, omnibus tamen conferuntur auxilia ad inchoationes ad fidem, quibus, ſi benè uterentur infideles, Deus ipſis provideret de inſtructione, & præſtaret reliqua media proximè, neceſſaria ad fidem completam, conc. min. : illa inſtructio non omnibus datur, nec dantur etiam auxilia, quibus remotè diſponantur ad inſtructionem, & fidem completam, nego min. Ad huius probat. diſting. min. : ſunt plures infideles, ad quos conſtat, non fuiſſe miſſos Prædicatores ex eo, quòd tales infideles noluerunt benè uti auxilijs ad inchoationem fidei, conc. min. : benè utentes illis auxilijs, nego min. Solutio conſtat ex dictis numero antecedenti.

39 Ad urgentiam diſting. mai. : ſi omnibus dantur auxilia mediatè, & remotè ſuffi-

ficientia ad credendum, foret inutilis prędicatio, nego mai.: ſi omnibus dantur auxilia etiam proximè ſufficientia, ſubdiſtinguo: ſi talia auxilia forent ita ſpecialia, ut vi illorum ageret Deus vices prędicatoris, proponentis Myſteria fidei, conc.: ſi talia auxilia forent communia, quorum vi illuſtratur ſupernaturaliter intellectus, ut aſſentiatur Myſterijs, aliundè propoſitis, nego mai. Ad cuius probationem diſtinguo mai.: auxilia ſufficientia conſiſtunt in ſancta illuſtratione, qua intellectus cogitet de obiecto, externè ſibi propoſito, conc. mai.: in ſancta illuſtratione, qua intellectui primò proponatur obiectum, quod aliundè non ſit externè propoſitum, ſubdiſting.: ſi ſint auxilia nedũ proximè ſufficientia, ſed etiam valdè ſpecialia, conc. ſi ſint auxilia tantum remota, vel etiam proxima, communia tamen, nego mai.; & eiſdem terminis diſtincta min., negatur conſeq. Licèt enim Deus ponat, etiam in vi præſentis providentiæ immediatè per ſe ipſum revelare homini omnia Myſteria fidei; hoc tamen regulariter non fit, ſed unicè concurrit Deus, ſupernaturali auxilio interno movente hominem ad credendum Myſterijs ſibi aliundè propoſitis, id eſt, media hominũ inſtructione.

40 Replicabis dupliciter, & quidem primò: quia iuxta communem Theologorum, datur infidelitas negativa, ſeu inculpabilis ignorantia Myſteriorum fidei; ſed hoc non compatitur cum eo, quod dentur omnibus infidelibus auxilia, ſaltem remota, ad fidem, quibus, ſi bené utantur, fidem perfectam conſequentur: ergo &c. Prob. min.: tunc caſus ignorantia Myſteriorum ſequeretur ex abuſu voluntario auxiliorum remotè ſufficientium; ſed hoc ipſo talis ignorantia non eſſet negativa, ſed potius voluntaria, & culpabilis: ergo, &c. Secundò: quia ex noſtra doctrina ſequeretur, quod fides non eſſet prima gratia ſupernaturalis, nec eſſet initium humanæ ſalutis; quia præcederent illa auxilia præparantia ad fidem: ergo, &c.

41 Reſpondeo ad primam replicam negando min. Ad cujus probationem diſtinguo min.: illa ignorantia, & carentia fidei ſequeretur ex peccaminoſo abuſu auxiliorum, abſque prævisione talis pœnę, conc.: cum prævisione talis pœnæ, nego. Non omne, quod ſequitur ex peccato habet rationem formalem peccati, ſed neceſſarium eſt, quod prævideatur, & advertatur. Hac ratione, ut homicidium, in ebrietate factum,

tum, ſit peccaminoſum, neceſſariò exigitur, quod prævideatur ab inebriante ſe: ſi autem non prævideatur non imputatur. Licèt igitur ex peccato infidelium, ac ex peccaminoſo abuſu auxiliorum, remotè ſufficientium ſequatur in illis credendorum ignorantia, tamen eſt hæc infidelitas purè negativa, & inculpabilis, eo quia non prævident, nec tenentur, aut poſſunt moralitèr prævidere ſe propter eorum abuſum privandos eſſe fide plena: unde in illis infidelitas eſt peccati pœnas; at non eſt culpa.

42 Ad ſecundam replicam diſtinguo aſſumptum: ex noſtra ſententia ſequeretur, quod fides plena, & perfecta non eſſet prima ſimplicitèr, & abſolutè gratiæ ſupernaturalis, &c., conc. mai.: ſequeretur, quod ipſa fides plena non eſſet prima gratia juſtificationis proximè obtinendæ, nego aſſumptum. Igitur duplex eſt diſtinguenda fides, utraque quidem ſupernaturalis: una inchoata, qua ex motione ſupernaturali Dei incipit homo per gradus quoſdam diſponi ad fidem perfectam, ſcilicèt, per aſſenſum ſuperuaturalem exiſtentiæ ſupremi Numinis, per deſiderium ſupernaturale faciendi ea, quæ ſupremum illud Numen præceperit, & iſti, ac ſimiles actus pij præparant ad fidem theologicam plenam, atque adeo ad ipſam pertinent, tamquàm inchoationes ipſius. Alia eſt fides plena, motivo divinę revelationis innixa, & quæ ſe habet ad juſtificationem, ut diſpoſitio proxima.

43 Fidem inchoatam imperfectam, varioſque gradus per quos ab illa perveniatur ad iſtam ſignificat Auguſt. lib. 1. ad Simplicianum quæſt. 2. dicens: *incipit homo percipere gratiam ex quo incipit Deo credere, vel interna, vel externa admonitione motus; ſed intereſt quibus articulis temporum, vel celebratione Sacramentorum, gratia plenior, & evidentior infundatur. Aut verò Cornelius non credebat Deo cum eleemoſinis, & orationibus dignum ſe præberet, cui Angelus miteretur: ſed nullo modo iſta operaretur, niſi ante credidiſſet: nullo modo autem credidiſſet, niſi vel ſecretis per viſa mentis aut ſpiritus, vel manifeſtioribus per ſenſus corporis admonitionibus vocaretur. In quibuſdam tanta eſt gratia fidei, quanta non ſufficit ad obtinendum Regnum Cœlorum. In quibuſdam verò tanta eſt, ut ſancto Dei Templo deputentur: fiunt ergo inchoationes quædam fidei conceptionibus ſimiles: non tamen ſolum concipi, ſed etiam naſ-*

naſci opus eſt, ut ad vitam perveniatur æternam.

44 Quamvis ergo admittatur, quod fides inchoata eſt prima ſupernaturalis gratia: tamen hoc de fide plena, & perfecta concedi non debet abſolutè; tum propter quintam propoſitionem, damnatam ab Alexand. VIII. quę erat: *Pagani, Judæi, &c.*; tum, quia inter Queſnelli propoſitiones, damnatæ ſunt 26.: *nullæ dantur gratiæ niſi per fidem*: & 27.: *fides eſt prima gratia, & fons aliarum*: & 29.: *extra Eccleſiam nulla conceditur gratia.* Sequitur ex his ergo, quod fides theologica perfecta ſolum eſt prima gratia proximè diſpoſitiva ad juſtificationem; talis verò fides perfecta non eſt prima ſimpliciter, & abſolutè gratia ſupernaturalis, quaſi ante illam nihil omninò boni ad ſalutem mediatè, & remotè conducentis fieri poſſit; cum oppoſitum conſtet in fide inchoata, quam conſtat habuiſſe Cornelium, cuius orationes, & eleemoſinę aliquid apud Deum meruerunt, antequam, Petro prædicante, Myſterium Chriſti dediciſſet. Et ulterius conſtat ex juſta damnatione propoſitionum, ſupra adductarum.

45 Dices contra iſtam ſolutionem: ſi omnibus conferuntur auxilia ſaltem remota ad credendum, fides inchoata daretur omnibus; ſed hoc eſt contra Mag. Parentem Auguſt. lib. de Geſtis Pelagii cap. 14. dicentem: *fides igitur, & inchoata, & perfecta donum Dei eſt; & hoc donum quibuſdam dari, quibuſdam non dari.* Huic inſtantię reſpondeo diſting. mai.: ſi omnibus conferuntur auxilia &c.; fides inchoata daretur omnibus, quoad poſſe, ſi velint, cooperari auxilio recepto, conc. mai.: daretur fides inchoata quoad actum, nego mai.; explicoque min. ſimili modo: nam Auguſt. ita aſſerit, fidem inchoatam eſſe Dei donum, quod quibuſdam datur, & quibuſdam non datur; adeo ut ſit intelligendus de non dari quoad actum ex deffectu cooperationis creaturæ, non verò ex deffectu, non ſolum parati, ſed etiam in re collati gratiæ ſupernaturalis ſufficientis, & neceſſariæ, ut ea excitata, & mota ipſa creatura eliceret actum credendi inchoatum. Hunc enim ex dono Dei aliqui eliciunt, & aliqui ex ſua culpa non eliciunt. Ex quibus, qui inchoatè credunt, ſe diſponunt ad fidem perfectam; qui verò non credunt juſto Dei judicio non perveniunt ad fidem perfectam, neque ad ſalutem.

46 Arguitur 6.: peccatum

tum lethale avertit hominem ab ultimo fine ſupernaturali: ergo multo magis avertit illum à medijs, quibus homo revertatur ad illum finem; ſed inter media ad finem ſupernaturalem numeratur gratia ſufficiens: ergo, &c. Confirmatur: peccatum mortale, cum ſit mors ſpiritualis animæ, cauſat ejus mortem ſpiritualem, ipſumque principium vitę ſupernaturalis deſtruit, ut egregiè expendit Auguſt. Serm. 6. de Verbis Dñi. per ſimilitudinem mortis corporalis: ergo, ſicut mortuus non accipit principia motuum, actuumque ordinis naturalis; ita homo, in peccato mortali exiſtens, &c. Ad argum. reſp. diſting. antec.: peccatum mortale avertit hominem, ſcilicèt viatorem, ab ultimo fine irremediabilitèr, ut avertitur damnatus, neg. antec.: avertit, &c., remediabilitèr, & cum obligatione ſe convertendi, & ſperandi remiſsionem, & ſalutem, conc. antec. Ad cuius probat. negatur conſequentia; quia receptio auxiliorum ſufficientium eſt medium, ſimplicitér neceſſarium, ut peccator remediari poſsit, cuius remedij obligatio ipſi ineſt, & eſſet prorsùs impoſsibilis ſine auxilio ſupernaturali recepto.

47 Ad confirm. reſpondeo diſting. ſimiliter: peccatum mortale cauſat mortem ſpiritualem animæ, auferendo vitam habitualem, & permanentem, quæ ſunt gratia ſanctificans, conc.: auferendo iſtam, & ſimul principia actualia vivendi, quæ eſt auxilium ſufficiens, ſubdiſt inguo: in morte ſecunda, & irremediabili, qualis eſt damnatio, conc.: in morte primâ, nego. Paritas ergo de morte corporali, & de peccato mortali ſolum tenet, & valet penes id, quod ſicut mors corporalis privat anima, quæ eſt forma, & principium vitæ, ita peccatum mortale, quodcumque ſit, privat gratia habituali, quæ eſt forma, & principium formale, ac permanens vitæ ſupernaturalis, ſeu noſtrę juſtificationis. Quoad privare autem ab omni auxilio, quo peccator proximè, aut remotè diſponitur ad vitam recuperandam tentationes vincendas, & præcepta obſervanda defficit illa paritas; cum in iſto ſtatu conſtitui, ſcilicèt extra ſpem, & poſsibilitatem ſalutis, ſit proprium ſecundæ, ſeu ultimę mortis, qualis eſt damnatio.

48 Arguit. 7.: ſi omnibus, & ſingulis adultis Deus in re confert media, ſufficientia ad ſalutem, fruſtra peteremus ab ipſo gratiam auxiliantem ad

talem finem ; ſed hoc eſt impium, & hæreticum: ergo, &c. Prob. mai. ex Auguſt., tum Epiſt. 107., tum in aliis ſæpiſsimè locis, in quibus aſſerit, eſſe innane orare pro eo, quod quis habet in ſua poteſtate: ergo, &c. Reſp. negando mai.: tum, quia meritò, & prudentiſsimè oratur pro eo, quod, licèt ſit in promptu, tamen eſt omninò gratuitum, & indebitum, ut eſt gratia auxilians: tum, quia gratia, quæ á nobis aſſeritur communis omnibus, ut plurimum, non eſt proximè, & immediatè ſufficiens, ſed mediatè, & remotè atque adeò juſtè petitur auxilium uberius, quo proximè, & immediatè ſimus ſufficientes: tum, quia ex eo, quod omnes tenemur à Deo petere gratiam auxiliantem ad proſequendam ſalutem, arguitur, quod omnibus conceditur gratia ſufficiens; quia ſine gratia, nec petere poſſumus, prout oportet ad ſalutem. Ad probationem mai. ex Auguſt. reſpondeo, quod Sanct. Doct. arguit contra Pelagianos, nos fruſtrà petere auxilia, ſi nobis ex nudo libero arbitrio ſupetunt vires ſufficientes ad benè vivere ſalutaritèr. Unde nihil probatur contra noſtram ſententiam, juxta quam, ideo à Deo omninò liberalitèr confertur omnibus gratia, quia ipſa eſt maximè neceſſaria ad operandum noſtram ſalutem.

DISPUT. II.

DE NECESSITATE GRATIÆ ad cognoſcendum verum.

NEceſsitas modò ſe habere poteſt ex parte intellectus, modóque ex parte voluntatis. Ideò in præſenti Diſputatione ſolùm agemus de gratia prout eſt neceſſaria ex parte intellectus hominis lapſi. Quare ſit

QUÆST. I.

An homo in ſtatu naturę lapſæ poſsit abſque ſpeciali Dei gratia aliquas, & ſi non omnes, veritates ſpeculativas naturales cognoſcere?

1 EX titulo quæſt. conſtat, dubium non procedere de gratia habituali, nam plurimi gentiles, gratia ſanctificante deſtituti multas veritates naturales ad exiſtentiam Dei ejuſque attributa ex creaturis cognoverunt. Neque obſtat, quod Auguſt. lib. 1. *Soliloquiorum* cap. 2. dicat: *Deus, qui non niſi mundos, verum ſcire voluiſti*: nam hoc poſtea retractat

tat lib. 1. Retractationum cap. 4. dicens: *reſponderi enim poteſt, multos, etiam non mundos, multa ſcire vera.* Unde ſolum eſt difficultas de gratia actuali, quæ reddit hominem ab intrinſeco potentem ad exercendos aliquos actus, quos ſolius naturæ viribus elicere non poſsit.

2 Pro cuius reſolutione notandum eſt primò, quod veritas ex triplici capite poteſt dici naturalis. Primò ex parte luminis ſeu medij, quo cognoſcitur. Secundò ex parte rei, ſeu obiecti cogniti. Tertiò tandem ex parte obiecti, & luminis ſimúl. Omnia declarantur: veritas naturalis ex parte medij eſt exiſtentia Dei, quædamque eius attributa, quę, quamvis ſint ordinis divini, & ſupra omnem creaturam, cognoſcuntur tamen per lumen naturale. Veritas naturalis ex parte objecti eſt cogitatio libera cordis, quandiù non manifeſtatur exterius, per voces, vel nutus; nam licèt talis cogitatio per medium naturale, aut ſenſibile nequeat cognoſci, tamen ex ſe eſt objectum ordinis naturalis. Veritas tandèm naturalis ex parte utriuſque eſt, quæ habetur de omnibus elementis, & corporibus, quæ noſtris oculis objiciuntur; quia iſta non ſolum ſunt ordinis naturalis, ſed ulterius ſpeciem ſui ingerunt ſenſibus, media qua, poſſunt ab intellectu naturaliter cognoſci.

3 Notandum eſt 2.; quod veritas naturalis, alia eſt ſpeculativa, & alia practica. Prima eſt; in cuius ſola cognitione ſiſtit intellectus. Secunda verò, ultra cognitionem, ordinatur ad aliquid faciendum, vel omittendum, reſpectu finis aſſequendi. Ulteriús ſubdividitur iſta veritas in omnem veritatem diſtributivè ſumptam, & collectivè captam. Omnis veritas naturalis ſumitur diſtributivè, quandò plures ſumuntur ſeorsùm, & ſine alijs; ſicut habens unum denarium, poteſt illud omnibus pauperibus erogare, quia nullus eſt pauperum, cui non poſsit illum tribuere; non tamen poteſt omnibus ſimul dare collectivè, ita ut ſinguli recipiant integrum denarium. Omnis veritas naturalis collectivè ſumpta, ſumitur per oppoſitum.

4 Notandum eſt 3. contra Durandum, quod homo in ſtatu naturæ lapſæ non poteſt abſque ſpeciali auxilio gratiæ omnes veritates naturales, tam diſtributivè, quam collectivè ſumptas, cognoſcere. Ratio; quia, licèt homo habeat poteſtatem phyſicam ad omnes iſtas veritates, tam diſtributivè, quam collectivè percipien-

das,

das, quatenus continentur intra lineam entis *ſenſibilis*, quod eſt obiectum proportionatum noſtri intellectus, non tamen habet ad eas potentiam moralem ſine ſpeciali auxilio gratiæ. Hæc moralis impotentia oritur, tum ex brevitate vitæ humanæ; & ex multitudine ſcibilium: tum ex corruptibilitate corporis humani, juxta illud Sapient. 9.: *corpus, quod corrumpitur aggravat animam, & terrena inhabitatio reprimit ſenſum, multa cogitantem.* Tum ex alijs ſimilibus, ad quæ omnia alludit illud Galeni aphoriſmo 2.: *ars longa, vita brevis, occaſio præceps, experimentum periculoſum, judicium difficile.* Quare cum nullus hucuſque inventus ſit, qui omnes veritates ſpeculativas ſibi acquiſierit, meritó judicatur viribus naturæ fieri non poſſe.

5 Dices contra hoc: appetitus naturalis non debet eſſe fruſtraneus, ſed ſaltem in aliquo individuo debet aſſequi id, in quod tendit; ſed homini inſitus eſt appetitus naturalis ad cognoſcendam quamlibet veritatem naturalem, cum omnis homo naturaliter ſcire deſideret, juxta Ariſtot. 1. Metaphyſicæ cap. 1.: ergo talis appetitus in aliquo naturæ individuo debet expleri. Reſp. diſting. mai. quoad ſecundam part.: ſed in aliquo individuo debet aſſequi, tam intenſivè, quàm extenſivé id, &c.; nego mai.: ſaltem intenſivè, conc. mai.; & diſting. minorem: ſed homini inſitus eſt appetitus naturalis, &c.; aliundeque talis appetitus ſolum ſupernaturaliter eſt explebilis, tam intenſivè, quàm extenſivè, conc. min.: & aliundè eſt naturaliter explebilis in utroque ſenſu, nego min. Non omnes veritates naturales cadunt ſub ſenſu, nec ex ſenſibilibus deduci poſſunt. Unde, licet intellectus noſter ſit capax omnium prorsùs veritatum naturalium, quæ debitè applicantur ſenſibus, non tamen poteſt naturaliter comprehendere ea, quæ à miniſterio ſenſuum non dependent.

6 Ex quibus infertur, hominem, extraordinario beneficio divinæ gratiæ adjutum, poſſe percipere omnes veritates naturales, tam diſtributivè, quam colectivè ſumptas; nam in hoc nulla apparet repugnantia. Præterea: nam ab actu ad potentiam valet conſequentia; ſed Deus huiuſmodi rerum omnium notitias Adamo, & Salomoni conceſsit: ergo alteri cuivis homini hoc idem concedere poteſt: & in hoc caſu tale beneficium, & ſi foret ſupernaturale per accidens, ſeu quoad modum, quatenus viri-

bus

bus naturæ non poſſet comparari, tamen per ſe, & quoad ſubſtantiam eſſet naturale ratione obiecti cogniti, ſiquidem cognitio talium objectorum eſſet ejuſdem ſpeciei cum cognitione, quam defacto habemus. Ad modum, quo viſus, reſtitutus cœco, fotet eiuſdem ſpeciei cum viſu, quem alicui non cœco natura ipſa produxiſſet. Quibus præmiſs, ſit.

7 Concluſio: *homo in ſtatu naturæ lapſæ abſque ullo ſpeciali auxilio gratiæ, divinitus illuſtrantis ſuum intellectum, poteſt cum ſolo concurſu generali Dei plures veritates ſpeculativas naturales certò cognoſcere.* Eſt communis in utraque Schola, eamque expreſsè tenet Doct. Subt. in 1. diſt. 3. q. 4., ubi inquirit: utrum aliqua veritas certa, & ſincera cognoſci poſſit naturaliter ab intellectu viatoris abſque ſpeciali illuſtratione lucis increatæ? Et reſpondet affirmativè, latèque ibi probat à §. *quantum ad ſecundum articulum*, & probat primo de principijs per ſe notis, & de concluſionibus in eis contentis. Secundò probat de cognitis per experientiam. Et tertiò tandem probat de actibus noſtris, de quibus naturalitèr poſſumus habere certitudinem infallibilem. Videatur Doct. per totam quęſt.

8 Prob. deindé concluſio ratione, & auctoritate ſimul: ſi homo lapſus indigeret ſpeciali gratia Dei ad cognoſcendas quaſcumque veritates naturales ſpeculativas, maximè ad cognitionem, quæ poteſt haberi de Deo, ut ipſum eſſe unum, æternum, Infinitum, &c.; ſed ad rectam cognitionem harum veritatum, non indiget homo lapſus gratia ulla ſpeciali ultra concurſum Dei generalem, ipſi debitum: ergo, &c. Prob. min., & primò ex illo Sapientiæ 13.: *à magnitudine ſpeciei, & creaturæ cognoſcibiliter poterit Creator eorum videri.* Secundò ex illo Paul. ad Rom. 1.: *inviſibilia enim eius* (id eſt Dei) *à creatura mundi per ea, quę facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque eius virtus, & divinitas*: ergo per creaturas, viſibiliter cognitas, perveniunt homines ad cognitionem inviſibilis Creatoris. Auguſt., quem pro ſe citant Contrarij, idem docet lib. de Spiritu, & Littera cap. 12., & lib. 15. de Trinitate cap. 12., & 15. arguens contra Academicos, qui nihil poſſe ſciri ab hominibus docebant.

Prob.

9 Prob. 3. : ſi veritates naturales, de quibus procedit concluſio, non poſſent cognoſci ſine gratia, eſſet, quia gratia foret neceſſaria, vel per modum principij phyſici, vel moralis; ſed neutrum dici poteſt; ergo, &c. Prob. min. quoad prim. partem: quælibet forma operativa habet in ſe ſufficientem virtutem activam reſpectu ſui actus; ſed intellectus noſter pro ſtatu iſto actuatus ſpecie intelligibili, eſt forma operativa in ordine intellectuali: ergo ad cognoſcendas veritates aliquas naturales ſpeculativas non requiritur gratia ſupernaturalis per modum principij phyſici.

10 Eadem minor quoad ſecundam part. prob.: ſi gratia per modum principij moralis eſſet neceſſaria, ad quaslibet veritates naturales ſpeculativas cognoſcendas, talis neceſſitas eſſet, vel ad intrinſicè ingerendum lumen, vel ad dirigendam phantaſiam, vel ad extrinſicè applicanda obiecta convenientia, vel tandem ad removenda impedimenta; ſed non primum, quia talis illuminatio potentiæ, aut directio phantaſiæ ſi nequit fieri ab obiectis, ſupernaturalis erit: in quo ſenſu non pertinet ad modum cognoſcendi veritates naturales, cum illæ ſufficienter proponantur ſenſibus ex vi ordinis naturalis, modò Deus ſuum concurſum generalem non deneget. Neque ſecundum; quia ad tollenda impedimenta, & ad applicanda obiecta non requiritur ſpecialis providentia Dei; etenim plura, quę reperiuntur in indagatione rerum, faciliſsimè humana induſtra poſſunt ſuperari: ergo, &c.

11 Prob. 4.: ordo rerum naturalium non potuit à Deo abſque deffectu ſuæ providentię ita inſtitui, ut nullus hominum veritatem aliquam naturalem naturaliter cognoſceret: ergo quia homo ſecundum ſe poteſt plures naturales veritates naturaliter cognoſcere. Prob. antec.: ſicut deffectuoſa eſſet providentia Dei, ſi taliter inſtituiſſet ordinem rerum ut omnes homines naſcerentur, vel cœci, vel ſurdi, vel elingues, ita eſſet deffectuoſa, ſi homines omnes uſu rationis perpetuò eſſent deſtituti; ſed ſi nullus hominum naturaliter cognoſceret aliquas naturales veritates, omnes homines eſſent perpetuò deſtituti uſu rationis: ergo, &c.

12 Prob. denique: ſi ad habendam cognitionem certam de Deo, ut eſt Auctor naturæ, eſſet neceſſaria ſpecialis gratia, ſequeretur, quod homo, conditus in pura natura, in quo ſtatu

ſtatu deeſſet omne auxilium gratuitum, non poſſet notitiam de Deo habere, propterea que ignorantiam invencibilem haberet de ipſo; & ſic non teneretur de lege naturali illum colere, aut amare; & conſequentèr nec peccaret contra legem naturæ, tribuendo Deitatem creaturis; ſed hæc omnia abſurdiſsima ſunt, & contra omnes, qui admittunt poſsibilitatem ſtatus puræ naturę, de quo nos egimus in tom. 3. tract. de Statibus humanæ naturę: ergo dicendum eſt, quod homo poteſt naturalitèr cognoſcere Deum, ut Auctorem naturæ; & conſequentèr plures alias veritates naturales, æquè, aut facilius cognoſcibiles.

13 Arguitur 1. contra concluſionem, & non quidem ex deliramento Luteri, aſſerentis, hominem in natura lapſa, etiam adjutum gratia divina, non poſſe aliquam veritatem abſque errore cognoſcere: ſi enim hoc eſſet verum, ipſe teneretur fateri contra ſe ipſum, omnem doctrinam novam, à ſe prædicatam eſſe erroneam, & falſam: ſed arguitur, inquam, ex nonullis Script. locis; nam Geneſ. 6. dicitur: *cuncta cogitatio cordis intenta eſt ad malum.* Et ad Cor. 2.: *quæ ſunt Dei, nemo novit, niſi Spiritus Dei.* Et ibidem 3.: *non poſſumus ſufficienter cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt*: ergo ex propriis viribus non poſſumus habere cognitionem certam de rebus naturalibus.

14 Reſp. ad primum ſic: cuncta cogitatio cordis, ut in plurimum intenta eſt ad malum, conc.: ſimpliciter, & abſolutè, nego; nam ibidem dicitur: *omnis caro corruperat viam ſuam*: & tamen hoc ſolum intelligitur de pluribus, non verò de omnibus; alioquin non diceretur ibidem: quod Noe invenit gratiam coram Domino, quodque erat vir juſtus, atque perfectus. Ad ſecundum ſic: quę ſunt Dei, ut Auctoris ſupernaturalis, nemo novit, niſi Deus, conc.: ut authoris naturæ, nego. Ad tertium ſic: non ſumus ſufficientes, cogitare aliquid ad opera ſupernaturalia, & meritoria vitæ æternæ, ſivè de congruo, ſive de condigno, conc.: quod ſit ſimpliciter, & abſolutè verum, nego. De hac ſufficientia, in ordine ad opera ſalutis, loquitur ibi Paulus, ut teſtatur Auguſt. de Dono Perſeverantiæ cap. 3. dicens: *quid attinet ad pietatis viam, & verum Dei cultum, non ſumus ſufficientes, &c.*

15 Replicabis: ſcientia veritatis petenda eſt à Deo proindeque debemus illi gratias

tias agere pro tali ſcientia : ergo ſcientia veritatis eſt donum ſpeciale Dei. Conſequentia patet ex Aug. Epiſt. 95. dicente: *oratio eſt clariſsima gratiæ teſtificatio.* Antec. verò prob. ex illo Iacobi 1. : *Si quis indiget ſapientia , poſtulet à Deo* : ergo, &c. Reſp. negando conſequentiam , quæ non ſatis probatur ex Auguſt. ; nam etiam Deum rogamus pro donis purè naturalibus , propter quorum aſſecutionem , ipſi gratias agimus , ut quando agimus ei gratias pro creatione , ſanitate corporis , pluvia , ſerenitate, & ſimilibus, quæ omnia ad providentiam Dei generalē pertinent. Deinde , quandò petimus à Deo ſcientiam veritatis, hoc facimus , ut eam facilius, & perfectius aſſequamur , non tamen alitèr.

16 Arguitur 2. ex Concilio Milevitano can. 4: *utrumque donum Dei eſt, & ſcire quid agere debeamus, & deligere , ut faciamus.* Et ex Arauſicano can. 7. : *divini muneris eſt , cum rectè cogitamus :: nam nemo habet de ſuo , niſi mendacium , & peccatum* : ergo omnis cognitio veritatis eſt ex dono ſupernaturali Dei. Reſp., conc. auctorit. Conciliorum, diſtinguendo conſequens : ergo omnis cognitio, conducens ad bonum ſalutare, &c.; conc. conſequentiam: omnis abſolutè , & ſimplicitér cognitio , nego conſequentiam. Concilia loquuntur contra inimicos gratiæ , qui , eam eſſe neceſſariam , ad cognoſcendum , & diligendum bonum, pertinens ad ſalutem , negabant. En verba Concilij can. 7. : *ſi quis per naturę vigorem bonum aliquod , quod ad ſalutem pertinet vitę æternæ , cogitare , aut elicere poſſe confirmat abſque illuminatione Spiritus Sancti , hæreticè fallitur.* Ex quo patet , Concilium nihil curaſſe de cognitionibus naturalibus , de quibus eſt quæſtio. Et quando dicitur : *nemo habet de ſuo , niſi mendacium , & peccatum* , ſi per ly *de ſuo* accipiatur ignorantia , & concupiſcentia rebellis , quarum ſolus homo eſt proprius auctor per peccatum , & quibus facultates hominis ruunt in deterius, concedo : ſi per ly *de ſuo* accipiatur ipſa natura , ſeu ejus facultates naturales, nego.

17 Replicabis : omnia Concilia unanimitèr docent, hominem non poſſe habere aliquod initium juſtificationis ex ſe ; ſed ſi naturæ viribus poſſet aſſequi aliquas veritates naturales , & errores ſpeculativè detegere, poſſet naturalitèr ſe ipſum aliqualitèr prę-parare , ſeu diſponere ad converſionem ; nam cognoſcendo ex-

excellentiam virtutis, & turpitudinem vitij, poteſt virtutes ſectari: ergo nulla veritas naturalis poteſt naturaliter cognoſci ab homine in hoc ſtatu naturæ lapſæ. Reſp. negando min.; quia aſſecutio veritatum naturalium, ac detectio errorum, ſunt quædam naturalia dona, quæ licèt deſerviant ad impetrandum, vel promovendum aliquod donum, ſibi naturaliter proportionatum, minimè tamen poterunt deſervire per modum diſpoſitionis ad juſtificationem ſupernaturalem obtinendam, de quo infrà.

18 Arguit. 3. ex pluribus Auguſt. locis, in quibus docere videtur, regulas noſtrarum cognitionum non eſſe alibi ſcriptas, niſi in illo libro lucis, qui veritas dicitur. Unde lib. 12. Confeſsionum cap. 25. ait: *ſi ambo videmus verum, nec tu in me, nec ego in te, ſed ambo in ea, quæ ſupra mentem eſt, incommutabili veritate*: ergo de mente Auguſt. non poſſumus habere notitiam alicujus veri naturalis abſque ſpeciali gratia Dei ſeu lucis increatæ. Idem docet lib. 83. Quæſtionum quæſt. 46. dicens: *non niſi puræ animæ, ad illas* (veritates naturales) *pertingunt*; ſed hæc puritas nequit haberi ſine gratia: ergo abſque gratia non poteſt quis cognoſcere ullum verum.

19 Reſp. cum Doct. in 1. diſt. 3. q. 5. §. *ad quæſtionem*, & deinceps uſque ad finem, quod Auguſt. per regulas æternas, veritateſque incommutabiles, non intelligit illuſtrationem aliquam gratuitam, ſed ſolum ideas divinas rerum neceſſariarum, quas, dicit, exiſtere in luce increata; tum, quia Deus in ſe continet huiuſmodi ideas; tum, quia, producendo ab æterno creaturas in eſſe intelligibili, earum quoque ideas ab æterno producit. Has igitur veritates neceſſarias naturaliter cognoſcunt ſapientes in regulis æternis, hoc eſt, in ideis, non quidem, quas vident in, verbo, ſed quas ex verbo participant; omnes enim ideæ, quas habemus de veritatibus neceſſarijs, ſunt participationes idearum Dei, ſeu, inquit Doctor citatus, cognoſcimus verum in regulis divinis, ut in obiecto remoto cognito, quatenus Eſſentia divina eſt primum principium ſpeculabilium, & practicabilium finis ultimus.

20 Ad ultimum ex Auguſt. dico, eum ſolum requirere puritatem phyſicam, ſeu Platonicam, quæ eſt *depuratio à ſenſibilibus, tam externis, quam internis*: non verò puritatem moralem, ſeu depurationem à vitijs, ut exponit Doct. proximè citat. Undè Eccleſia in

materia harum veritatum attigendarum jure merito anathemate percuſsit Queſnelli propoſitionem 41. : *omnis cognitio Dei, etiam naturalis, etiam in Philoſophis Ethnicis, non venit, niſi a Deo : & ſine gratia non producit niſi præſumptionem, vanitatem, & oppoſitionem ad ipſum Deum, loco affectuum adorationis, gratitudinis, & amoris.* Ejuſdem farinę, ſeu potius furfuris eſt Queſnelli damnata propoſitio 42.

21 Arguitur 4. : ut quis cognoſcat aliquam veritatem naturalem, obiectum, ſeu ſimile debet ita proponi, ut non inducat in errorem, ſed in cognitionem veram ; ſed, quod obiectum ita proponatur, non eſt in viribus naturæ, ſive purę, ſivè lapſæ : ergo eſt ſpecialis gratia. Prob. min. : Deus potuit res creatas ita diſponere, quod homines in errorem ſemper inducant : ergo, quod ita diſponantut, ut hominem aliquandò inducant in cognitionem veri, provenit ex ordinatione Dei ſpeciali, pertinente ad peculiarem gratiam, diſtinctam à beneficio creationis. Reſpondeo negando min., & conſeq. probationis ; quia, licèt Deus potuiſſet, abſolutè loquendo, res creatas ſic ordinare, tamen, quod defacto ita diſpoſuerit, ut in cognitionem veri hominem deducant, ſolum eſt beneficium creationis, magis convenientis, & ſuavioris, quam alterius providentię poſsibilis ; alioquin gratię, & non creationis beneficio, tribuendum eſſet, quod homo membris integer, & cum ſenſuum debita proportione naſcatur : ſiquidem Deus potuiſſet res ita diſponere, quod homo naſceretur monoculus, unipes, trimanus, &c.

22 Arguit. 5. : ſpecies, deſumptæ ab obiectis ſenſibilibus, non ſufficiunt ad generandam cognitionem veràm; ſed defacto non habet homo, unde talem cognitionem acquirat, niſi medijs talibus ſpeciebus, cum nihil ſit in intellectu, quod prius non fuerit in ſenſu: ergo, &c. Prob. maior : nam obiecta ſenſibilia perpetuò mutantur : ergo, cum ſpecies, ab illis deſſumptę, ſint etiam mutabiles, non poterunt deſervire ad cognitionem veram acquirendam. Reſp. negando mai. Ad probat. diſt. antec. : ſenſibilia perpetuò mutantur, quoad exiſtentiam, conc. : quoad eſſentiam, ſeu connexionem eſſentialem ſuorum prædicatorum, nego antec. Itaque, licèt obiectum quodlibet ſenſibile ſit in ſe mutabile, poſſumus tamen habere de ipſo notitiam immutabilem ; ſicut & de objecto contin-

tingenti notitiam neceſſariam; quia mutabilitas non eſt ratio generandi ſpeciem, ſed ipſa natura obiecti, quæ ſecundum ſe, & ſua prædicata intrinſeca non eſt mutabilis. Prętereà : etſi ſpecies, ab objecto ſenſibili deſſumpta, eſſet in ſe entitativé mutabilis, poſſet tamen repræſentare obiectum ſub ratione immutabili. Ad modum quo Deus, qui eſt in ſe immutabilis, repræſentatur per aliquid in ſe mutábile, ſcilicèt, per ſpeciem infuſſam, vel acquiſitam.

23 Arguit. 6.: ut quis acquirat notitiam certam de re aliqua, neceſſarium eſt, quod habeat aliquid, quo poſsit diſcernere verum à vero ſimili; ſed hoc non poteſt ſine beneficio gratiæ : ergo &c. Prob. min. : ſi poſſet homo ſic diſcernere, maximè per ſpeciem, acceptam ab obiecto; hoc non: ergo, &c. Prob. min. : ſpecies accepta ab objecto, aliquandò ſe ipſam in ſe ſolum repręſentat, aliquandó verò repręſentat ſe ipſam per modum obiecti; ſed quandó ſe ipſam tantum repræſentat ſe ipſam, tamquam obiectum, ut accidit in ſomno, tum cognitio eſt falſa : ergo, &c. Reſp. negando primam, & ſecundam min. Et ad huius probationem, nego mai. Ratio eſt; quia argumentum ſolum probat contra illos, qui negant ſpecies intelligibiles, diſtinctas à phantaſmatibus & affirmantes, iſta deſervire ad determinandum intellectum. Unde admittentes neceſsitatem ſpecierum intelligibilium, quod eſt communitér receptum inter Ariſtotelicos, quamvis Pontius alitér diſcurrat in libris de Anima, negant, tales ſpecies aliquando repręſentare ſe, ut ſe ipſas, aliquando verò, ut objectum; ſed ſemper repræſentare, ut ſe ipſas; & conſequentèr, neminem eis uti, dum dormit.

24 Arguit. 7., & eſt quaſi replica : anima rationalis eſt de ſe mutabilis, & ſubiecta errori : ergo à periculo errandi in cognoſcendo nequit liberari, per ſpecies intelligibiles. Patet conſeq. : quia anima nequit liberari à tali periculo per aliquid, quod ſit mutabilius ipſa anima; ſed ſpecies intelligibiles ſunt mutabiliores, quam ipſa anima : ergo, &c. Diſtinguo antec. : anima eſt de ſe mutabilis ab ignorantia ad ſcientiam; & à carentia intellectionis ad intellectionem, conc. : à cognitione recta ad errorem, ſubdiſting. : circa veritates naturales, à miniſterio ſenſuum remotas, conc. antec.: circa veritates naturales, debitè applicatas, quæ natæ ſunt

cau-

cauſare evidentiam, ut ſunt prima principia, &c., nego antec. Per quod patet ad probat.

25 Arguit. 8.: ſicut ſe habet lux corporalis ad viſum, ita lux intellectualis ad intellectum; ſed nihil poteſt videri corporaliter abſque novo influxu lucis corporalis: ergo nihil poteſt intelligi, niſi per influxum novę lucis, ſpecialis, quæ eſt nova gratia particularis. Hoc argumentum ſolùm probat, quod nihil poteſt intelligi abſque nova illuſtratione, ſeu irradiatione intellectus agentis, quod verum eſt; nam ſicut pro qualibet viſione corporea indiget viſus luce extrinſeca, ita pro qualibet intellectione elicienda indiget intellectus poſsibilis actuali illuſtratione, mediante ſpecie intelligibili. Hæc autem illuſtratio eſt debita naturæ intellectus creati ad cognoſcendas veritates naturales, ſuis viribus proportionatas. Unde, conceſſo toto ſyllogiſmo, negatur, quod ibi additur, ſcilicèt, illum influxum novi luminis eſſe gratiam particularem.

26 Arguit. denique: concluſiones Theologicæ ſunt quædam veritates naturales, ut probabilis defendit opinio; ſed non poſſumus præſtare aſſenſum huiuſmodi concluſionibus abſque ſpeciali gratia; nam ad hoc opus eſt lumine fidei: ergo ſine ſpeciali gratia non poſſumus omnem veritatem naturalem, adhuc diviſivè ſumptam, cognoſcere. Reſp., data mai., diſtinguendo min.: ſed non poſſumus, &c.; ſine ſpeciali gratia, præſuppoſitivè ſe habente, concedo min.: formaliter, & immediatè concurrente, nego min., & conſequentiam. Ad cognoſcendas ergo Concluſiones Theologicas, in quantum ſunt veritates naturales, non eſt neceſſaria gratia ſpecialis, niſi tantum præſuppoſitivè, quatenùs, nimirùm, requiritur ad cognoſcendas veritates fidei, quę ſunt principia illarum, quibus ſemel cognitis, intellectus noſter poteſt naturaliter præſtare aſſenſum concluſionibus theologicis, quæ ex talibus principijs inferuntur. Alij dicunt, concluſionem, ſeu conſequentiam theologicam, prout diſtinctam à conſequenti in ſenſu logico nihil aliud eſſe, niſi bonitatem illationis, quæ cum unice dependeat à principijs logicalibus, præciſivè à quavis gratia poteſt naturaliter cognoſci. Tota iſta doctrina applicetur homini poſsibiliter exiſtenti in ſtatu puræ naturæ; nam utrobique quoad virtutem cognoſcendi eſt par ratio.

QUÆST.

QUÆST. SECUNDA.

An homo in ſtatu naturæ lapſæ poſſit abſque ſpeciali gratia omnes veritates morales, ſeu practicas cognoſcere?

27 COmpleta difficultate de veritatibus naturalibus, jam diſcutienda eſt difficultas de veritatibus practicis, ſeu moralibus. Pro quo notate primò, veritates practicas in duplici eſſe differentia. Quædam ſunt de operibus artis, & de his non procedit dubium; quia de iſtis eadem eſt ratio, ac de veritatibus naturalibus ſpeculativis. Aliæ verò ſunt purè morales, eo quod pertineant ad mores hominum, juſtè, & honeſtè inſtituendos.

28 Notate 2., quod iſtæ morales veritates dupliciter poſſunt conſiderari, videlicet: vel prout ſunt quædam propoſitiones univerſales, v.g. *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris: Deus eſt collendus: parentes ſunt honorandi.* Et de iſtis non procedit dubium, quia ſupponimus, ea eſſe principia per ſe nota, de quibus nequit dari ignorantia invincibilis. Poſſunt conſiderari deinde tales propoſitiones in particulari, ut *quod parentes hic, & nunc ſunt honorandi: Deus hic, & nunc ſit collendus: eleemoſina huic, vel illi pauperi ſit eroganda.* De iſtis ac ſimilibus veritatibus practicis procedit difficultas, quatenus ſcilicèt conſiderantur cum omnibus circunſtantijs ad benè agendum in eſſe moris. Undè ſenſus difficultatis eſt: an tales propoſitiones particulares poſſint naturaliter cognoſci, non quidem per lumen naturale ingenitum, quo quis, ſola natura docente, ſine ullo ratiocinio, aut lumine, ex alijs veritatibus emendicato, cognoſcit, bonum eſſe ſequendum, & malum fugiendum; ſed ſaltem per lumen acquiſitum beneficio ſtudij, quo quiſque aprehendere poteſt, quid rectæ rationi conveniat, aut diſconveniat, non ſolum in genere, ſed etiam in ſpecie?

29 Sed antequam ſtatuatur Concluſio, notate denique, inter veritates particulares practicas quaſdam reperiri tantæ perfectionis, & excellentiæ, ut non ſine beneficio Dei revelantis cognoſci poſſint. Huiuſmodi ſunt: *abnegatio ſui ipſius: paupertas voluntaria*; & aliæ conſimiles veritates Evangelicæ, quæ hominem Chriſtianum, & Evangelicum exornant; nam ratio naturalis non approbat hujuſmodi.

ve

veritates, ut patet in gentilibus. Undé, licet aliquæ veritates practicæ ordinis inferioris, reſpicientes hominem, conſtitentem intra lineam naturæ, innoteſcant per lumen ingenitum, aut naturaliter acquiſitum, non tamen illæ, quæ ſunt alitioris ordinis, & dignitatis.

30 Nec valet dicere, quod ex inconſtantia temporum, & mutabilitate rerum mundanarum poteſt colligi, quod veritas abnegationis ſui, & voluntariæ paupertatis contineatur intra obiectum naturale veri boni honeſti; & per conſequens poterit per adhibitum ſtudium cognoſci naturaliter. Non valet, inquàm, quia, licèt talis veritas contineatur intra obiectum naturale, non tamen poteſt cognoſci per medium purè naturale, ſed per lumen ordinis ſuperioris. Si enim homines non haberent illuſtrationem de aliquo fine ſupernaturali, intuitu cuius tales veritates appreciarent, numquàm eas ordinarent. Quibus præmiſsis, ſit

31 Concluſio: *homo lapſus naturaliter, & abſque ullo gratiæ ſupernaturalis auxilio poteſt cognoſcere plures veritates morales, ſeu practicas.* Hæc concluſio eſt communis, eamque tenet Doct. Subt. quæſt. 1. Prologi §. *tres rationes*, ubi cum Div. Auguſt. lib. 18. de Civitate Dei cap. 41. repetit: *Philoſophi, neſcientes, ad quem finem referenda iſta eſſent, inter falſa, quæ locuti ſunt, verum videre potuerunt.* Et lib. 2. de Civitate Dei cap. 2.: *quid prodeſt noſſe, quo eundem ſit, ſi ignoratur via, qua eundum ſit.* In hoc enim ſubiungit Doct.: *errabant Philoſophi, qui etſi aliqua de virtutibus vera tradiderunt, tamen falſa miſcuerunt, ſecùndum authoritatem præcedentem Auguſt., & patet ex eorum libris, &c.*: ergo, juxta Doct., homo lapſus abſque ullo gratiæ ſupernaturalis auxilio, poteſt cognoſcere plures veritates morales, ſeu practicas, quales ſunt illæ, quas Philoſophi gentiles ſolo rationis ductu cognoverunt.

32 Prob. 2. ex Apoſt. ad Rom. 1., arguente eoſdem Philoſophos, ut inexcuſabiles, quia, cum Deum cognoviſſent, non ſicut Deum glorificaverunt: ergo cenſet Apoſt., tales Philoſophos non tantum naturaliter cognoviſſe, Deum eſſe, ſeu exiſtere, ſed ulterius, ipſum glorificandum eſſe cultu debito ſibi, ut Auctori naturæ, alióquin non peccaſſent, honorem debitum ei non ſolvendo; & ſic eſſent excuſabiles, quod eſt contra Apoſt.

Idem

Idem docet cap. 1. dicens : *gentes , quę legem* (Moyſis , vel Chriſti) *non habent , naturalitèr ea , quæ legis ſunt , faciunt ::: teſtimonium reddente illis conſcientia ipſorum* ; ſed hoc non facerent naturaliter , ſi ad cognitionem veritatis moralis ordinis naturæ indigerent auxilio gratiæ ſupernaturalis : ergo , &c. Idem docent PP., prę cipuè Auguſt. , & Chryſoſt. Cyprianus, loquens de Idolatria, ait : *hęc eſt ſuma delicti , nolle cognoſcere , quę ignorari non poſſunt* ; ſed non poteſt ignorari Deus per prima principia legis naturæ : ergo , &c.

33 Prob. denique Concluſio : ſi homo in ſtatu naturæ lapſæ non cognoſceret naturalitèr aliquas veritates morales practicas , non poſſet, naturalitèr loquendo , peccare contra illas ; ſed hoc eſt abſurdum : ergo , &c. Prob. maior : ad hoc , ut quis peccet contra aliquod obiectum. indiſpenſabile eſt , quod præhabeat cognitionem de tali objecto ; ſed juxta Contrarios, homo ſine auxilio gratię ſupernaturalis non poteſt veritates ullas morales cognoſcere : ergo , naturalitèr loquendo, non poteſt peccare contra tales veritates ; cum minimè imputetur ad culpam , quod homo agat contra id , quod invincibilitèr , & ſine culpa ignorat.

34 Arguitur primò ex Apoſt. 1. ad Corint. cap. 4.: *Quis enim te diſcernit ? Quid habes , quod non accepiſti ? Si autem accepiſti , quid gloriaris, quaſi non acceperis* ; ſed , ſi homo ſolis naturæ viribus poſſet aſſequi notitiam veritatum moralium , haberet aliquid neceſſarium ad benè moraliter agendum , quod in ſe ipſum, & non in Deum poſſet refferre, nimirùm , illam notitiam rerum agendarum : ergo , ne hoc dicatur , &c. Reſp. negando min.; quia quantumcumque homo cognoſcat naturaliter aliquas veritates morales , nullatenùs ſequitur , eum poſſe licitè gloriari de ſe ipſo nec talem notitiam debere , in ſe ipſum refferre : primò , quia non poteſt certò ſcire : an per ſolas naturæ vires , an ex beneficio gratiæ talem notitiam habuerit ; ſiquidem Deus aliquando homines miraculosè inſtruit de talibus veritatibus : quare non , niſi valdè temerè, poteſt quis gloriari de bona aliqua cognitione , cum fortè defacto eam á Deo acceperit. Secundò , quia , etſi certò ſciret , ſe eam habuiſſe ex ſe, ſeu ex pròprijs viribus , adhuc non poſſet licitè gloriari ; cum omnia bona , etiam naturalia,

ſint

ſint à Deo, à quo vires naturæ, omnemque facultatem agendi accepimus. Unde textus Apoſt. propriè intelligitur de rebus pertinentibus ad finem ſupernaturalem, ſicut & ille alter: *non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.*

35 Arguit. 2.: ex notitia veritatem moralium generatur habitus prudentię, quæ continet in ſe omnes virtutes; ſed omnes virtutes non poſſunt acquiri ſine beneficio gratiæ: ergo nec notitiam veritatum moralium. Diſting. mai.: generatur habitus prudentiæ imperfectus conc. mai.: perfectus, nego mai. Habitus ergo prudentię perfectus eſt ille, quo quis dicitur verè prudens, & habens facilitatem permanentem, quacumque data occaſione, & gravi difficultate occurrente, prudenter ſe gerere, proferendique ſanum judicium de agendis; taliſque habitus comparari nequit abſque auxilio gratiæ. Habitus verò prudentiæ imperfectus, ſeu prudentia imperfecta, quæ nullatenus continet in ſe omnes virtutes, & qua quis exercet aliquem actum prudentię naturalis, & una, vel altera vice rectè judicat de re aliqua agenda, quotidié comparatur abſque aliquo auxilio ordinis ſupernaturalis.

36 Arguit. 3.: homo per peccatum originale manſit excœcatus: ergo abſque beneficio gratiæ non poteſt attingere veritates ullas morales, in ordine ad rectè agendum. Antec. patet ex Div. Greg. hom. 11. in Evangelia, ubi loquens de cœco, quem Chriſtus, Luc. 18., illuminavit, dicit, eum eſſe figuram hominis lapſi, per hæc verba: *quis cœcus ille fuerit, iuxta hiſtoriam ignoramus; ſed tamen, quid per myſterium ſignificet, novimus; cœcus quippè genus humanum eſt.* Reſp. diſting. antec.: homo per peccatum manſit excœcatus per privationem luminis gratiæ, & privationem notitię cognitionum ſupernaturalium, conc. antec.: per privationem luminis, & cognitionis naturalis, nego antec. Nec aliud intendit Div. Greg., qui ibidem ait: *claritatem ſuperna lucis ignorans, damnationis ſuæ tenebras patitur.* Undè licèt primus homo per jacturam fidei, & ſcientiæ infuſſæ amiſit notitias veritatum ſupernaturalium, quas poſtea recuperavit per Adventum Solis Iuſtitiæ Chriſti, illuminantis omnem hominem; vis tamen innata intellectus ad percipiendas veritates morales, quamvis fuerit debilitata per vapores paſſionum, quibus obſcuratur judi-

cium,

cium, non tamen fuit exterminata.

37 Arguit. denique : homines, ut in plurimum, ita gravitèr à Dœmone tentantur, ut à ſtudio, & conſideratione virtutum moralium abducantur : ergo, ut has tentationes vinceant, indigent ope gratiæ. Concedo antec., & diſting. conſequens : ergo indigent ope gratiæ, confortantis, & moventis voluntatem, ut tales tentationes vincant, concedo conſeq. : ope gratiæ confortantis intellectum, ut harum virtutum ſtudio applicatus, earum notitiam penetret, nego conſeq. In præſenti ſolum loquimur de virtute, quam habet intellectus ad percipiendas veritates intra latitudinem ſui objecti naturalis attingentię ; non verò de difficultate, quam experitur voluntas in ſuis proprijs operationibus.

QUÆST. TERTIA.

An homo lapſus, ſine ſpeciali auxilio gratiæ poſsit cognoſcere veritates ſupernaturales, ſeu Myſteria fidei ?

38 NOtate 1., Pelagianos abſolute voluiſſe, liberum arbitrium per ſe ſufficere ad aſſentiendum veritatibus revelatis, ſuppoſita gratia externa prædicationis Evangelicæ, ſeu revelationis divinæ de Myſterijs fidei : & conſequentèr, nullam gratiam internam ſupernaturalem, illuminativam intellectus, eſſe neceſſariam ad credendum. Semipelagiani verò, dicti Maſſilienſes, docebant, gratiam internam eſſe neceſſariam ad fidem perfectam acquirendam, & exercendam, volebant tamen, ad cognitionem naturalem hominis pertinere, quod in nobis ſint quædam initia, & ſemina, quibus poſsimus fidem perfectam promereri, dummodo per facultatem noſtram naturalem petamus, pulſemus, atque quæramus illam initialem fidei gratiam, qua deinde ad gratiam perfectè ſanantem pervenire valeamus. Uterque iſte modum dicendi eſt hæreticus.

39 Notate 2., quod hìc ſpecialitèr debet eſſe difficultas de cognitione naturali Myſteriorum fidei præciſivè ab omni revelatione Dei, & propoſitione extrinſeca obiecti revelati. Et ſenſus difficultatis eſt ; an intellectus noſtèr pro ſtatu iſto, ſecluſſa omni revelatione, poſsit per propriam induſtriam, & inventionem ſibi comparare notitiam myſteriorum fidei ? Ubi nomine *Myſteriorum fidei* ſolum intelliguntur illæ veritates,

tes, quę per ſe cadunt ſub objecto fidei, ut: *Deum eſſe Trinum*: *Verbum eſſe humanatum*: non verò aliæ veritates, quę ſunt in ſe purè naturales, & ſi aliundè cadant ſub objecto fidei, ratione dicti Dei, ſic teſtantis; ut quandò dicitur: *Abraham genuit Iſaac*; *Iſaac genuit Iacob*: quæ veritates ſunt per ſe purè naturales, fide tamen divina credendæ, quia in Scriptura revelantur.

40 Notate 3., quod veritas ex triplici capite poteſt dici ſupernaturalis. Primò ex parte objecti. Secundò ex parte motivi aſſentiendi. Et tertiò tandem ex parte utriuſque ſimul. Veritas ſupernaturalis ex parte objecti eſt, quæ ex ſe tranſcendit captum naturalem noſtri intellectus; ita, ut illam attingere non valeamus, niſi beneficio revelationis divinę. Ubi advertatur, quod ſi attingatur talis veritas ex motivo purè naturali, ut accidit in hæreticis, quotiès ſolùm fide humana, aut propria voluntate præventi, aſſenſum præbent iſtis veritatibus ſupernaturalibus: *Deus eſt Trinus*: *Verbum caro factum eſt*; tunc credunt purè per rationem humanam, erroribus obnoxiam, non verò propter revelationem divinam. Veritas ſupernaturalis ex parte motivi tantum eſt illa, quę, & ſi in ſe naturalis ſit, & naturaliter attingibilis, ut *Pilatum*, v. g. *fuiſſe Præſidentem Iudeę*, propter revelationem tamen divinam creditur, quia ſic narratur in Hiſtoria Evangelica. Veritas tandem ſupernaturalis, ex parte objecti, & motivi ſimul eſt, quandò obiectum cognitum, & motivum cognoſcendi ſunt in ſe ſupernaturalia, ut dum credimus, *Deum eſſe Trinum*, quia hoc à Deo revelatum eſt. His notatis, ſit

41 Concluſio: *homo abſque ſpeciali gratia, qua illuſtretur eius intellectus, moveaturque eius voluntas, nullam veritatem ſupernaturalem, ſaltem ex parte obiecti talem, poteſt naturaliter cognoſcere, aut credere.* Eſt communis, quamvis aliqui Doct. Subt. & Raymundum Lulium pro opinione contraria adducant. Prob. 1. ex Doct. q. 1. Prologi num. 8., ubi probat contra Philoſophos: *neceſſariam nobis eſſe ſcientiam ſupernaturalem, & revelatam, quia homo ex naturalibus non poteſt ſcire finem ſuum diſtinctè, nec omnes conditiones eius; nam omni cognoſcenti, & agenti propter finem, neceſſaria eſt triplex cognitio. Primò: quomodo, & qualiter finis acquiratur. Secundò cognitio omnium, quæ ſunt neceſſaria ad finem. Tertio, quod iſta omnia ſufficiant ad talem*

lem finem :: ſed hæc tria non poteſt viator ratione naturali cognoſcere : ergo ad talem cognitionem opus eſt auxilio gratiæ ſupernaturalis, & conſequenter, &c. Ex quo conſtat, Doct. immeritò adduci pro opinione contraria.

42 Prob. 2. ex Script., & PP., nam Ioann. 6. dicit Chriſtus : *nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum* ; ſed, venire ad Chriſtum, eſt credere in ipſum, ut ipſemet infrà explicat, dicens : *ſunt quidam ex vobis, qui non credunt, propterea dixi vobis : nemo poteſt venire, &c.* : ergo ſine gratia ſpeciali nemo poteſt credere in Chriſtum ; ſed eadem eſt ratio de cognoſcendo naturalitèr Chriſto, ac de cognoſcendo naturalitèr alio quocumque Myſterio fidei ſupernaturali, ex parte obiecti : ergo, &c. Eodem modo loquitur Auguſt. pluribus in locis, & precipuè lib. de Prædeſtinatione Sanctorum cap. 3. & lib. de Gratia, & Libero Arbitrio cap. 7. & 14. Idem docent Concilia ; nam Carthaginenſe can. 4. ait : *donum Dei eſt, & ſcire, quid facere debeamus, & diligere, ut faciamus.* Et Arauſicanum can. 9. : *divini muneris eſt, cum & rectè cogitamus, & pedes noſtros à falſitate, & injuſtitia tenemus.* Et tandem Trident. ſeſſ. 6. can. 3. : *ſi quis dixerit, ſine præveniente Spiritus Sancti inſpiratione, atque adjutorio hominem credere, &c., ſicut oportet ; anathema ſit.*

43 Prob. 3. ratione : intellectus humanus nequit cognoſcere ex viribus naturæ, niſi ea, quæ ſunt prima principia naturalia, vel concluſiones, quæ aliquomodo continentur in talibus principijs ; ſed veritates ſupernaturales, ſaltem ex parte obiecti, nec ſunt prima principia naturalia, nec ullo modo continentur in talibus principijs : erg. intellectus noſter ex ſuis proprijs viribus, &c. Maior eſt evidens, & paritèr min. quoad primam part. ; quoad ſecundam verò conſtat : quia non eſt intelligibile, quod Myſteria fidei, ſupernaturalia ex parte obiecti, ullo modo contineantur in principijs naturalibus. Confirmetur : quidquid naturalitèr cognoſcitur, vel eſt per ſe notum, vel manifeſtatur per aliud ; ſed myſteria fidei, ſupernaturalia ex parte obiecti, nec ſunt per ſe nota, nec manifeſtantur per aliud, niſi à Deo revelentur : ergo præciſivè à revelatione Dei, non ſunt cognoſcibilia ; & conſequentèr, &c. Minor quoad ſecundam part., in qua poteſt eſſe difficultas, prob. : quidquid cognoſcitur per aliud,

vel

vel agnoſcitur à priori, & per cauſam, vel à poſteriori, & per effectus; ſed veritates ſupernaturales ex parte objecti nequeunt cognoſci per cauſas naturales; cum in eis non contineantur, nec ab ipſis cauſentur: & aliundè non poſſunt attingi per effectus naturales; cum iſti ſolum inducant notitiam cauſæ naturalis, à qua pendent: ergo, &c.

Solvuntur argumenta.

44 ARguitur 1., & militat directè contra ultimam probationem: Myſteria fidei aliquomodò continentur in lumine naturali noſtri intellectus: ergo naturaliter poſſunt, &c. Prob. antec.: quod defacto cognoſcitur per ſpecies naturales, ſeu acquiſitas, abſque ullo recurſu ad ſpecies infuſſas, aliquomodò continetur in talibus ſpeciebus; ſed defacto cognoſcimus Myſteria fidei per ſpecies naturales, ſeu acquiſitas, abſque recurſu ad ſpecies infuſſas: ergo, &c. Maior videtur certa. Prob. min.: ſuppoſita revelatione Myſteriorum fidei, poteſt intellectus noſter per principia naturalia probabiliter perſuadere veritatem, & exiſtentiam talium Myſteriorum; ſed nequit intellectus ſic procedere à principijs ad concluſiones, ſi iſtæ in illis aliquomodò non contineantur: ergo, &c.; & conſequenter, &c. Confirmatur: principia naturalia, ſeu ſpecies naturales rerum, ex vi revelationis extrinſecæ Myſteriorum non incipiunt continere id, quod antea non continebant: ergo ſicut intellectus noſter, poſita divina revelatione, poteſt procedere ex principijs naturalibus ad cognitionem Myſteriorum, ita quoque poterit procedere antequam talia Myſteria revelentur.

45 Reſp. negando antec.; ad cuius probat. diſtinguo mai. (quæ poſſet omitti vel negari): quod de facto cognoſcitur per ſpecies naturales, ſeu acquiſitas, abſque ullo recurſu, aut directo, & formali, aut indirecto, & præſuppoſitivo ad ſpecies infuſſas, aliquomodò continetur in talibus ſpeciebus, conc. mai.: ſi neceſſe eſt, ut fiat recurſus indirectus, & præſuppoſitivus, & ſi non directus, & formalis ad ſpecies infuſſas, nego mai. Et diſtinguo min.: ſed defacto cognoſcuntur Myſteria fidei per ſpecies naturales abſque recurſu indirecto, & præſuppoſitivo ad ſpecies infuſſas, nego min.: abſque recurſu directo, & formali, ſubdiſting.: cognoſcimus ea cog-

ni-

nitione evidenti, aut ullo modo demonſtrativa, nego: cognitione tantum probabili; iterum ſubdiſting.: probabili poſitivè, nego min.: negativè, conc. min., & nego conſequentiam. Ad probat. min. diſting. mai.: ſuppoſita revelatione, poteſt intellectus noſter per principia naturalia probabilitèr perſuadere probabilitate negativa veritatem, & exiſtentiam talium Myſteriorum, conc. mai.: probabilitèr probabilitate poſitiva, nego mai., & min. in ſenſu diſtinctionis. Ad confirmat. conc. antec., & nego conſeq.; quia, non ſuppoſita revelatione, nec probabilitate negativa poteſt oſtendi poſsibilitas, ſeu non repugnantia Myſteriorum fidei.

46 Myſteria igitur fidei, ſive ſint ea quę ſunt intra ipſum Deum, ut Trinitas Perſonarum cum unitate Eſſentiæ, ſivé ſint ea, quæ ſunt extra Deum, ut Incarnatio Verbi, inſtitutio Sacramentorum, &c.; nullatenus continentur in principijs naturalibus, nec in eorum ſpeciebus. Non prima; quia ratio naturalis, in ſe inſpecta, potius improbat, quam approbat Trinitatem Perſonarum in unitate Eſſentiæ, iuxta illud: *quæ ſunt eadem uni tertio, ſunt, &c.* Neque ſecunda; quia Myſteria huius ordinis, cum dependeant à decreto voluntatis divinæ, ut agentis ſupernaturalis, liberè operantis ad extra, nequeunt contineri, ſaltem proximè, niſi in cauſa eiuſdem ordinis ſupernaturalis, qua Deus id voluit ad operandum prædicta Myſteria. Quare, nullatenùs continentur in rebus naturalibus, quę ducant in eorum cognitionem, independentèr à revelatione extrinſeca Dei.

47 Unde, quod utamur ſpeciebus naturalibus ad cognoſcenda Myſteria fidei, non oritur ex eo quod iſta in illis ullo modo contineantur, nec tamquam in cauſa, nec tamquam in effectu; ſiquidem tales ſpecies naturales eodem modo ſe haberent, ac ſi omnia Myſteria fidei repugnarent. Quod utamur ergo talibus ſpeciebus provenit ex eo, quod intellectus noſter ſit diſcurſivus, & comparativus; propterea̜que, ſi illi proponatur obiectum aliquod ſupernaturale, cuius ſpeciem non habet, ſtatim utitur ſpeciebus naturalibus probabilitèr, ut ſic valeat aliqualitèr aprehendere illud obiectum, & de illo judicare, ideo que dixit D. Dionyſius lib. 1. de Cœleſti Hierarchia: *Myſteria fidei ſumuntur à nobis explicari per*

per ſimilitudinem ad obiecta naturalia, quorum ſpecies habemus. Undè, tunc utimur rationibus probabilibus ad ſuadenda Myſteria fidei, & tunc ſolùm conamur probare, talia Myſteria non repugnare rectæ rationi; quod propriè loquendo ſolum eſt enervare rationes, quibus intenditur probari Myſteriorum impoſsibilitas, quod eſt, negativè ſuadere, non verò eorum poſsibilitatem, aut exiſtentiam poſitivè obſtendere.

48 Arguit. 2.: intellectus noſter poteſt naturaliter cognoſcere quodlibet, contentum ſub ſuo objecto; ſed Myſteria fidei ſunt huiuſmodi: ergo, &c. Reſp. diſting. mai.: intellectus noſter poteſt naturaliter cognoſcere quodlibet, contentum ſub ſuo obiecto naturalis attingentiæ, conc. mai.: ſub ſuo obiecto naturalis inclinationis, ſeu ex natura potentiæ, nego mai., & min. in ſenſu ſecundi membri diſtinctionis. Qui voluerint replicare, conſulant dicta in Animaſtica, loquendo de obiecto intellectus.

49 Arguit. 3.: homo poteſt naturaliter cognoſcere, & judicare, fidem deberi Deo, aliquod teſtificanti; ſed fides, quæ debetur Deo teſtificanti, eſt ſupernaturalis: ergo homo poteſt naturaliter, &c.; & conſequentér alia Myſteria fidei, cum ſit par ratio. Reſp. diſting. mai.: homo poteſt naturaliter cognoſcere, & judicare, fidem naturalem deberi Deo, teſtificanti, conc. mai.: fidem ſupernaturalem, nego mai. Et diſting. min.: ſed fides, quæ debetur Deo, aliquid teſtificanti, eſt ſupernaturalis; ſi dum teſtificatur, manifeſtat, aut revelat, teſtificatum eſſe quid ſupernaturale, & fide ſupernaturali dignum, conc. min.: ſi teſtificatum ita non eſt, nego min., & conſequentiam. Itaque intellectus noſter ex ſuis viribus ſolum poteſt cognoſcere veritates naturæ, non autem veritates ſupernaturales gratiæ: unde, *licèt* cognoſcat naturaliter, quod, Deo loquenti debeatur omnimoda fides, poſsibilis per vires naturę, non tamen cognoſcit, quod ei debeatur fides, poſsibilis per vires gratiæ; quatenús nequit comparare notitiam fidei ſupernaturalis propter quodlibet dictum Dei, quantum ex ſe eſt, ſed exigat fidem ſupernaturalem, talis tamen fides non debetur, niſi juxta qualitatem virium credentis: quapropter ille, cui Deus non conferret vires ſupernaturales, non teneretur ei præſtare niſi fidem naturalem, cuius poſsibilitatem poteſt intellectus noſter naturali-

liter cognoſcere.

50 Replicabis: intellectus noſter poteſt naturaliter cognoſcere fidem ſupernaturalem: ergo, &c. Prob. antec.: qui perfectè cognoſcit aliquod prædicamentum, cognoſcit naturaliter quidquid continetur ſub illo; ſed intellectus noſter perfectè cognoſcit prædicamentum qualitatis, & aliundè ſub tali prædicamento continetur fides ſupernaturalis: ergo, &c. Maior conſtat; quia, qui cognoſcit perfectè aliquod principium, poteſt naturaliter cognoſcere omnes concluſiones quæ in illo continentur; illaſque ex ipſo deducere: ergo ſimiliter, qui perfectè cognoſcit aliquod prædicamentum, &c. Minor quoad prim. part. etiam patet; nam lumen naturale, teſte Ariſt. cap. 5. Catheg., definit quidditativè prędicamenta; ſed definitio quidditativa importat cognitionem perfectam rei definitæ: ergo, &c. Quoad ſecundam verò part. non videtur minus evidens; nam certiſsimum eſt, fidem ſupernaturalem eſſe veram qualitatem: ergo continetur ſub prędicamento qualitatis.

51 Reſp. negando min. Ad probationem nego maiorem. Ratio eſt, quia, ut quis perfectè cognoſcat conceptum aliquem genericum, non requiritur notitia omnium ſpecierum, quæ in tali genere continentur; ſiquidem perfectè cognoſcimus, & quidditativè definimus rationem genericam ſubſtantiæ creatæ, v.g., & tamen omnes ſpecies ejus poſsibiles non poſſumus naturaliter cognoſcere, alioquin naturaliter cognoſceremus omnes creaturas poſsibiles, quod eſt abſurdum. Idem potiori jure dicendum eſt de genere qualitatis; cum in iſto collocentur omnes qualitates, tam naturales, quam ſupernaturales, quæ ex conceptu generico qualitatis, ut ſic, nequaquàm cognoſci poſſunt. Unde non eſt par ratio de principio, reſpectu concluſionum, in eo contentarum, ac de genere reſpectu ſuarum ſpecierum; nam principium, perfectè cognitum, eſt quoddam totum actuale, determinans intellectum ad cognitionem concluſionum, cum quibus eſſentialiter connectitur: genus verò eſt quoddam totum potentiale, abſtrahens ab omnibus ſpeciebus, qua propter cum nulla ſpecie determinativè connectitur, nec continentia harum in illo eſt ſufficiens, ut intellectus ex vi generis perfectè cognoſcat naturaliter ſingulas ejus ſpecies, maximè cum aliquæ ſint ordinis ſupernaturalis, ut in præ-

ſen-

senti accidit.

52 Arguit. 4.: credibilitas Mysteriorum fidei est æquè supernaturalis, ac ipsa fides; sed intellectus noster potest naturaliter cognoscere credibilitatem Mysteriorum fidei; siquidem naturaliter potest judicare, Mysteria esse evidenter credibilia: ergo intellectus noster potest naturaliter cognoscere, &c. Prob. maior: credibilitas Mysteriorum fidei est passio ipsorum: ergo, &c. Confirmat.: fides non inclinat nisi in obiecta supernaturalia; sed inclinat, ut judicemus, Mysteria fidei esse credibilia: ergo ipsamet Mysteriorum credibilitas est supernaturalis.

53 Resp. negando mai.: quia credibilitas Mysteriorum fidei non est aliquid intrinsecum ipsis, nec eiusdem ordinis cum illis; quia consistit unicè in aliquibus signis, seu motivis extrinsecis, quę nos inducunt, ut judicemus, talia Mysteria esse fide digna: ad modum quo probabilitas alicuius conclusionis consistit in motivis inducentibus, ut illi assentiamur. De istis signis credibilitatis videatur Subt. Doct. in Prologo Sententiarum. Et quando dicitur in probatione, quod credibilitas est passio Mysteriorum, hoc falsum est; quia, etsi contingat, nos habere evidentem probabilitatem rei impossibilis, eo quod adsint omnia requisita ad formandum judicium probabile, quamvis aliundé cadat judicium super aliquid impossibile non tamen in hoc casu sequitur, probabilitatem esse proprietatem rei probabilis; sed aliquid ei extrinsecum: ita similiter, quandò contingit, quod cum fundamento judicemus, aliquid esse evidenter credibile, eo quod concurrant omnia motiva, ad credendum desiderata, quamvis aliundè actus credendi cadat supra aliquid repugnans, tunc credibilitas rei credibilis non est proprietas ejus, sed quid extrinsecum, & ab eo distinctum.

54 Declaratur exemplo: Thomistæ docent, omnino repugnare distinctionem formalem actualem ex natura rei; Scotistę verò contradictoriè procedunt: utraque opinio est probabilis, & credibilis, respectivè loquendo, attamèn à parte rei, & coram Deo una istarum propositionum est impossibilis, quod non eveniret, nisi possibilitas, & credibilitas rerum differrent à rebus ipsis. Unde optimè cohæret, Mysteria fidei esse in se supernaturalia, & credibilitatem eorum esse merè naturalem; & consequenter, quod intellectus

tus nequeat naturalitèr attingere Myſteria; benè verò eorum credibilitatem, ſuppoſita Myſteriorum revelatione, alijſque ſignis ad credibilitatem inducentibus. Ad confirm., conc. mai., & nego min.; quia fides in ſe ſolum inclinat ad credendum, minimè verò ad judicandum, Myſteria revelata eſſe evidentèr credibilia; nam naturalitèr poteſt hoc judicari, ſuppoſitis ſignis. Ulterior diſcuſio argumenti pertinet ad Tract. de Fide.

55 Arguit. 5.: imago ducit naturalitèr in cognitionem illius, cuius eſt imago; ſed homo ſecundum mentem eſt imago Trinitatis: ergo homo, cognoſcens naturalitèr ſe ipſum, poteſt naturalitèr cognoſcere Myſterium Trinitatis; & conſequentèr, cum iſtud Myſterium ſit impenetrabilius alijs, ſequitur, quod reliqua Myſteria ſint naturalitèr cognoſcibilia. Reſp. diſting. mai.: imago, &c., ſi cognoſcatur ratio formalis imaginis, & habitudo, quam habet ad Prototypum, ſeu ad imaginatum, conc. mai.: ſi ſic non cognoſcatur, nego mai. Diſting. min.: ſed homo ſecundùm mentem eſt imago Trinitatis, & aliundè nequit naturalitèr cognoſcere ſe ipſum, ſub ratione formali talis imaginis, conc. min.: & aliundè poteſt ſe ipſum, &c., ſub tali ratione, nego min., & conſeq. Itaque, licèt homo ſecundum mentem ſit imago Trinitatis, ſaltim imperfecta, quatenùs mens, ſeu anima rationalis, quæ purè ſpiritualis eſt includit hęc tria; memoriam ſcilicèt, intellectum, & voluntatem, in quibus aſſimilatur Trinitati; ſecluſa tamen fide, numquam poteſt homo cognoſcere, ſe eſſe imaginem Trinitatis; cum ad cognitionem relationis neceſſario prærequiratur cognitio extremorum, ut manet dictum in Logica.

56 Replicabis: ideo homo non poſſet naturalitèr cognoſcere hoc Myſterium, quia eſt ſupernaturale ſecundum ſe, & ex parte objecti; ſed hoc non obſtat: ergo, &c. Prob. min.: Deus, ut unus, non eſt minus ſupernaturalis, quàm ut trinus; ſed ut unus eſt naturalitèr cognoſcibilis: ergo & ut trinus. Reſp. negando min. Ad probat. diſting. mai.: Deus, ut unus, non eſt minus ſupernaturalis, quam ut trinus, quoad entitatem, conc. mai.: quoad cognoſcibilitatem, nego mai. Licèt enim Deus, ut unus, ſit entitativè ſupernaturalis; quoad cognoſcibilitatem tamen eſt obiectum naturale, ratione creaturarum omnium, dicen-

tium connexionem eſſentialem cum ipſo, ut uno, & ut cauſa prima, cuius exiſtentiam Philoſophi ex creaturis naturaliter demonſtrant: quam connexionem non dicunt cum ipſo, ut trino; nam, licèt omnis creatura procedat ab ipſo, ut trino, cum opera Trinitatis ad extra ſint indiviſibilia, nulla tamen creatura petit procedere à Deo, ut trino.

57 Dices: Deus nequit eſſe entitativè ſupernaturalis, ut unus, quin ſit etiam ſupernaturalis quoad cognoſcibilitatem; ſiquidem cognoſcibilitas eſt paſsio entis, juxta illud: *ſicut res ſe habet ad eſſe, ità ad cognoſci*; ſed, non obſtante tali cognoſcibilitate ſupernaturali, eſt cognoſcibilis naturaliter, ut unus: ergo & ut trinus. Reſp. diſting. mai.: Deus nequit eſſe entitativè ſupernaturalis, ut unus, quin ſit etiam ſupernaturalis quoad cognoſcibilitatem intrinſecam, quæ eſt paſsio entis, & conſequens ad ſtatum entis, conc.: quin ſit ſupernaturalis quoad cognoſcibilitatem extrinſecam, & mediatam, quæ deſſumitur ex creaturis, nego mai. Hæc ſecunda cognoſcibilitas non ſequitur ſtatum entis, ſed connexionem eſſentialem hominis cum Deo, ad quem ut formaliter unum petit referri, non verò, ad ipſum, ut formaliter trinum. Alia plura ſpectantia ad hoc argumentur cum ſuis replicis, videantur in Tract. de Trinitate.

DISPUT. III.

DE NECESSITATE GRATIÆ. actualis ex parte voluntatis hominis lapſi.

QUÆST. PRIMA.

An homo lapſus poſsit ex proprijs viribus ſe ultimatè diſponere ad gratiam ſanctificantem?

1 AB examine præſentis dubij libenter abſtinerem, ſi tam in præſenti materia, quàm in alijs Theologię Tractatibus immeritò non clamitarent Thomiſtæ, Doct. noſtrum Subt. de Eccleſia Dei adeò benemeritum, in affirmativam abiiſſe ſententiam, ita ut operibus prolongatis publicè exponunt ſuis lectoribus, quomodocumque acceptis, ipſum in hoc puncto, cum Pelagio, & Maſſilienſibus ſenſiſſe. Sed quam immeritò, & quo jure, ex progreſſu quęſtionis patebit. Pro cuius reſolutione

2 Noto 1. quod diſpoſitio ultima, ſeu proxima de qua ſolùm hic eſt diſputatio (nam

nam de diſpoſitione remota alibi), ad gratiam ſanctificantem, non eſt phyſica, ſed moralis, quidquid contra dicant Thomiſtæ. Ratio eſt, quia diſpoſitio moralis dicitur illa, quæ non exigit neceſſariò, & ex natura ſua formam, ſed ſolùm congruentialitèr, & ex aliqua liberalitate agentis: è contra verò diſpoſitio phyſica dicitur illa, quæ ex natura ſua, & neceſſariò exigit introductionem formæ præciſſa omni liberalitate agentis; ſed nihil poteſt eſſe in homine, quo ſic phyſicè, & ex natura ſua exigat gratiam abſque omni liberalitate Dei; alioquin gratia non eſſet gratia: ergo ad talem gratiam nulla requiritur diſpoſitio phyſica. Præterèa, ſi talis diſpoſitio eſſet phyſica, vel eſſet naturalis, vel ſupernaturalis? Non primum, quia diſpoſitio ad formam eſt eiuſdem ordinis cum ipſa forma; ſed naturalis ad ſupernaturale nulla eſt proportio: ergo, &c. Neque ſecundum, quia gratia habitualis, juxta Thomiſtas, eſt primum ens ſupernaturale, & radix cæterorum in anima; ſed, ſi exigeret diſpoſitionem ſupernaturalem phyſicam, ipſa non eſſe radix, nec primum ens ſupernaturale in anima; cum iſta diſpoſitio ſupernaturalis eadem ratione exigeret aliam ſupernaturalem, & ſic in infinitum: ergo, &c. Relinquitur, quod talis diſpoſitio ſit moralis, hoc eſt, vel actus pœnitentiæ, vel eleëmoſinę, vel alterius virtutis, à Deo acceptatus per modum diſpoſitionis ad gratiam.

3 Noto 2., difficultatem non procedere de pueris; quia in iſtis nulla requiritur diſpoſitio nec phyſica, nec moralis ad receptionem gratiæ ſanctificantis, ut patet in baptiſmo, ubi infunditur gratia, nulla præcedente diſpoſitione ex parte parvuli recipientis. Unde tota difficultas eſt de adultis, & inquiritur: utrum homo per ſuas proprias vires, & independenter ab auxilio Dei ſupernaturali, poſsit ſe ultimò diſponere ad gratiam ſanctificantem? Circa quam difficultatem Thomiſtæ duplicem enumerant ſententiam. Prima eſt affirmativa, quam docuere Pelagiani, & Marſilienſes, quibus adhæret Melanto. Pro eadem ſententia putant Thomiſtæ plures Theologos antiquos, ut Durandum in 2. diſt. 28. q. 5., Almainum, Gabrielem, cum Ocamo, & Alenſi, & Cajetanum in opuſculo de Contritione. Et tandem Subt. Doctorem citant pro hac opinione, ac ſi Piſſimus, & Catholiciſsimus Doct. hac re partes egiſſet Pelagij, & Semi-

pe-

pelagianorum. Secunda ſententia communis eſt negativa, cum qua ſit

4 Concluſio: *homo lapſus naturaliter, & ex proprijs viribus non poteſt ſe ultimatè diſponere ad primam gratiam ſanctificantem.* Per primam gratiam ſanctificantem intelligitur illa, quæ vel primò infunditur adulto, quandò convertitur ad fidem, vel quæ infunditur cuivis peccatori habituali, quandò reſurgit ab ſtatu peccati mortalis. Pluribus locis Sacræ Script., & SS. PP. ſolet probari hæc concluſio, ut ex illo Ioann. 15.: *ſine me nihil poteſtis facere.* Et ex illo 6.: *nemo poteſt venire ad me, niſi Pater:: traxerit eum.* Et ex Pſalm.: *ipſe evellet de laqueo pedes meos. Niſi Dominus ædificaverit domum, &c.* Et ex illo Pauli: *non eſt volentis, neque currentis, &c.* Sed omnes iſtas, & ſimiles auctoritates omitto, quia omnes intelliguntur de gratia actuali, de qua: an naturaliter poſsit acquiri? poſtea ventilabimus.

5 Prob. ergo 1. ex Trid. ſeſſ. 6. can. 3. dicente: *ſi quis dixerit, ſine præveniente Spiritus Sancti inſpiratione, atque adjutorio, hominem credere, ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe, ſicut oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur, anathema ſit.* Ex quibus verbis ſic formatur ratio: ut adultus gratiam juſtificationis conſequatur, neceſſarium eſt, quod ſe diſponat credendo, ſperando, diligendo, aut pœnitendo, mediante inſpiratione Spiritus Sancti, eiuſque adjutorio; ſed homo ex proprijs viribus non poteſt ſic ſe diſponere: ergo, &c. Maior eſt Concilij. Prob. min.: actus, elicitus ex viribus ſolius naturę, non elicitur ex præveniente Spiritus Sancti inſpiratione, atque adjutorio, ut de ſe patet; ſed aliundè non poteſt homo per ſuas proprias vires acquirere inſpirationem Spiritus Sancti, ut poſtea probabimus: ergo, &c.

6 Prob. 2. ex varijs locis Subt. Doct. Et 1. ex ipſo in 1. diſt. 17. q. 2. §. *ad ſolutionem huius quæſt. ℣. hic poteſt dici*, ubi ait: *ad actum meritorium non ſufficit voluntas cum charitate, ſed requiritur influentia ſpecialis, non formæ permanentis, ſed moventis; ſicut inſtrumentum habet ab agente principali ultra formam;* ſed hæc influentia ſpecialis per modum formæ moventis nihil aliud eſt, quam gratia actualis movens, atque excitans: ergo, ſi Subt. Doct. cognoſcit neceſsitatem talis formæ moventis in voluntate, informata charitate, ut eius actus ſit meritorius de condigno, potiori titulo recognoſcit

nec-

neceſsitatem talis formæ, ut voluntas ſine charitate poſsit elicere actum de congruo meritorium gratiæ juſtificantis; & conſequenter voluntas ex ſuis proprijs viribus non poteſt ſe ultimatè diſponere, ſeu illam de congruo mereri.

7 Prędictam ſuam propoſitionem probat Doct. ibi multiplicitèr. Secunda eius ratio eſt hæc: *gratia nunc non ſanat perfectè naturam; accipitur, inquit, ab Auguſtino de Natura, & Gratia, ubi dicit generaliter: ſicut oculus ſanus non poteſt videre ſine luce, ſic neque etiam juſta anima vivere rectè ſine luce ſpirituali*; ſed hæc lux ſpiritualis, ſine qua juſtus non poteſt rectè vivere, eſt formaliſsimè auxilium ſupernaturale: ergo, ſi tale auxilium eſt neceſſarium, ut juſti rectè agant, à fortiori erit neceſſarium, ut peccatores rectè agant in ordine ad juſtificationem conſequendam. Tertia eius ratio eſt hæc: *actus conſideratur triplicitèr. Primò ut eſt à libero arbitrio: Secundò, ut eſt ab ipſa, gratia informato: Tertio, ultra hoc, ut eſt ab ipſo, moto à Spiritu Sancto*; ſed liberum arbitrium, informatum gratia, moveri à Spiritu Sancto, eſt moveri per aliquod auxilium ſupernaturale: ergo idem, quod prius.

8 Prob. 3. ex ipſo in eodem 1. diſt. 46. q. unic. ubi declarans illud Apoſt.: *Deus vult, omnes homines ſalvos fieri*, ait: *licèt illud dictum Apoſtoli poſsit exponi de voluntate accommodata pro omnibus, qui ſalvi fiunt, tamen multo melius poſſet exponi de voluntate antecedenti, ſic: id eſt; vult, homines ſalvare, & ſalvos fieri, quantum eſt ex parte ſui, & voluntate ſua antecedenti, pro quanto dedit eis dona naturalia, & leges rectas, & adjutoria communia, ſufficientia ad ſalutem.* Et concludit: *etſi Deus non habeat voluntatem beneplaciti ad iſtum ſalvandum, tamen vult iſti illa adjutoria communia antecedentia ad ſalutem omnium, quibus iſte etiam poteſt ſufficienter benè vivere, & ſalvari*: ergo Subt. Doct. benè agnovit neceſsitatem auxiliorum ſupernaturalium, ut homines, à Deo ordinati ad ſalutem, valeant exequi finem, à Deo intentum; ſed nullibi eſt maior neceſsitas auxilij ſupernaturalis, quam in peccatore, ut ſe ultimatè diſponat ad juſtificationem: ergo, iuxta mentem Doct. neceſſarium eſt tale auxilium ad huiuſmodi diſpoſitionem.

9 Prob. 4. ex eodem in 2. diſt. 9. q. 2. §. *contra quartum articulum*, num. 14., ubi refutans errorem Henrici cir-

circa modum locutionis intellectualis Angelorum, *non videtur, quod diſpoſitio illa ad formam merè ſupernaturalem, poſsit cauſari ab Angelo; quia, licèt ad formam immediatè producibilem à Deo, tantum cooperante communi concurſu naturæ; poſsit aliqua cauſa naturalis diſponere, ſicut de corpore organico reſpectu animæ intellectivæ, ad formam tamen omninò ſupernaturalem, id eſt, non cooperante communi concurſu naturę, quod diſpoſitionem immediatam agens naturale poſsit producere, videtur inconveniens.* Ex quibus ſic: inconveniens eſt, iuxta Doct., quod agens naturale, ſive ſit Angelus, ſivè homo poſsit producere diſpoſitionem immediatam, ad formam omninò ſupernaturalem, maximè, ſi ad iſtam non cooperetur communis concurſus naturę; ſed gratia juſtificationis eſt forma ſupernaturalis, omninò à ſolo Deo creata ſupra exigentiam cuiuſcumque cauſæ naturalis; nam ipſe pluriès docet, gratiam ſanctificantem non eſſe educibilem de potentia ſubjecti, ſed à ſolo Deo creabilem ſupra omnem exigentiam: ergo, iuxta Doct., &c.

10 Prob. 5. ex ipſo in 3. diſt. 23. q. unica, §. *ad quæſtionem tamen dico*, ℣. *nec pono habitum fidei*, ubi oſtendens neceſsitatem habitus fidei infuſæ, non ſolum propter gradum, ſed etiam propter ſubſtantiam aſſenſus, inquit: *aſſenſus non eſt totalitèr à voluntate.* Et ſubdens rationem ait: *aliqui enim ſunt, qui vellent magis aſſentire, & tamen minus aſſentiunt; & ideo petebant Apoſtoli: Domine adauge nobis fidem: & in quadam collecta petitur augmentum eius: Omnipotens Æterne Deus, da nobis fidei, ſpei, & charitatis augmentum:: Iſtud non oporteret petere, ſi totus aſſenſus eſſet à voluntate.*

11 Ex quibus verbis arguo ſic: ratio Doctoręs hic eſt ipſiſsimum fundamentum, quo D. Auguſt. probat. neceſsitatem gratiæ adjuvantis ex Oratione Eccleſię; propterèaque Trid. ſeſſ. 6. cap. 10. loquens de incremento juſtitię acceptę: *hoc verò juſtitiæ incrementum petit Sancta Eccleſia, cum orat: da nobis, Domine, fidei, ſpei, & charitatis augmentum*; ſed ratio Doct. perinde concludit de fide actuali, ac levi; ſiquidem voluntas Apoſtolorum ſupponebat fidem habitualem, ſicut & voluntas eorum, qui vellent plus aſſentire, & non poſſunt: nec non & ipſa oratio, petens augmentum fidei, ſpei, & charitatis, ſupponit habitus infuſſos harum virtutum: ergo ſimiliter Doct. ſupponit, non ſuf-

ſufficere voluntatem, & intellectum eſſe habituatos, reſpectivè ad hoc actus, niſi addatur auxilium gratiæ, quod poſtulat oratio reſpectivè ad opera eliciendaj & conſequentèr, &c. Similem doctrinam repetit in eodem 3. diſt. 34. §. *alitèr dicitur quod oportet.*

12 Prob. 6. ex ipſo in 4. diſt. 6. quæſt. 10. §. *ad quæſt. poteſt dici. ℣. & ſi dicas*, ubi ait: *Reſpondeo: habitus ſupernaturalis poteſt eſſe diſponens ad actum bonum, licèt non ſit principium eius elicitivum proximum, vel ſufficiens; & hoc modo fides infuſſa non eſt principium ſufficiens eliciendi actum credendi, nec charitas infuſſa eliciendi actum diligendi, ſed inclinant, ut, concurrentibus alijs neceſſarijs, actus bonus eliciatur.* Nunc ſicj ſed hæc alia quæ neceſſario concurrunt ad actum ſupernaturalem credendi, & diligendi, nequeunt eſſe niſi auxilia ſupernaturalia: ergo hęc in via Doct. Subt. ſunt neceſſaria, &c. Minor conſtat; quia ſtante fide infuſſa in intellectu, & charitate infuſſa in voluntate, nihil aliud ultra auxilium excogitari poteſt, ut quid neceſſarium ad elicientiam actus ſupernaturalis.

13 Prob. 7. ex ipſo in 4. diſt. 14. q. 2. §. *ad primum argumentum, ℣. ad tertium*, ubi reſpondens huic argumento: *virtutes fuerunt in ſtatu innocentiæ, & remanebunt in Patria; neque in ſtatu innocentiæ eſſet pœnitentia, quia ibi non eſſet peccatum; neque in Patria: ergo pœnitentia non eſt virtus*; ſic ait: *ad tertium poteſt dici duplicitèr: uno modo, ex quo virtus eſt in nobis ſuplementum deffectus naturalis; neque in ſtatu innocentiæ eſſet talis*, (ſuple virtutes morales) *qualis nunc.* Vult dicere, quod virtus moralis, in nobis pro ſtatu naturæ lapſæ eſt ſuplementum deffectus naturalis, incuſsi per peccatum; qui deffectus conſiſtit in ignorantia, & errore circa bonum in intellectu, & in difficultate operandi in voluntate propter rebelionem appetitus contra rationem; ſed juxta principia Doct. pluribi, virtutes morales, quæ ſuplent deffectus, quos per originale peccatum contraximus, non in ſunt nobis ex virtute ſolius naturę, ſed ex ſpeciali favore divinæ gratiæ: ergo, quod pœnitentia, ut virtus moralis eſt (quod modo ſupponimus) ſit in nobis, non eſt ex virtute ſolius naturæ, ſed ex operatione divinæ gratiæ; & conſequentèr, &c.

14 Prob. 8. ex eodem ibidem quæſt. 4. in reſpontione ad ſecundum argumentum, quod erat ex Auguſt. in cap. 11. Ioan.

Ioann. de Suſcitatione Lazari: *nemo poteſt confiteri, niſi ſuſcitatus, &c.* Cui argumento reſpondens Doct., ait: *concedo ergo, quod ante perceptionem dignam pœnitentiæ, oportet ſuſcitari, vel ſimpliciter, & tunc per pœnitentiæ Sacramentum non deletur peccatum, ſed gratia, quæ infuit, augetur; vel ſuſcitari ſecundum quid, ſcilicèt, ut habeat aliquam diſplicentiam de peccatis, & propoſitum, cavendi de cætero, & velit ſuſcipere Sacramentum pœnitentiæ, in quo atritio ſit contritio, & tunc ſuſcitatur ſimpliciter per Sacramentum.*

15 Ex quibus ſic: tam Auguſtinus, quam Scotus loquuntur de ſuſcitatione per gratiam; Scotus ſuſcitationem ſimpliciter vocat illam, cui annexa eſt remiſsio peccati, ut accidit in contritione perfecta, vel in virtute Sacramenti: ſuſcitationem vero ſecundum quid vocat illam, quæ eſt atritionis, & ſe ſola inſufficiens ad remiſsionem peccati ſine Sacramento; ſed ad utrumque actum requirit Doct. gratiam prævenientem, ſeu vocationem, qua peccator ex affectu peccati ad converſionem ad Deum, ſive ad deteſtationem peccati ſuſcitetur: ergo, ut peccator tranſeat de ſtatu peccati ad ſtatum juſtificationis, requirit Doct. gratiam vocationis, & conſequenter, iuxta ipſum, non poteſt peccator ex viribus naturę ſe diſponere ad talem gratiam.

16 Confirmatur hoc ex ipſo in eodem 4. diſt. 20. q. unica, ubi ſtatuit pro prima concluſione ſequentia verba: *pœnitentia vera, ſive interior cum ſubſceptione Sacramenti Pœnitentiæ, ſuffi.it ad ſalutem alicuius in extremis.* Quod ſic probat: *quoniam Deus ſemper potens eſt, etiam in morte præmiare, quibus placet: cum ergo opus ſit non hominis, ſed Dei fructuoſa pœnitentia, inſpirare poteſt eam, quandòcumque vult ſua miſericordia.* Nunc ſic; ſed ſi Subt. Doct. cenſiſſet, hominem ex viribus ſolius naturæ poſſe ſe diſponere ad gratiam juſtificationis, non dixiſſet, *fructuoſam pœnitentiam eſſe opus Dei*; ſed potius eſſe opus hominis: ergo, cum hoc ſecundum neget, ſignum eſt, quod, iuxta ipſum, diſpoſitio ad iuſtificationem nequit provenire ex viribus naturæ.

17 Prob. 9. ex eodem in 4. diſt. 22. q. unic. artic. 2. §. *contra hoc, quia tunc.* ℣. *ſecundum corolarium*, ubi ait: *nec tamen credo, quod merita mortificata omnino nihil faciant in acceptione divina ad primam gratiam dandam huic lapſo; quia,*

li-

licèt ſecundum ſtrictam juſtitiam iſte inimicus Dei non ſit dignus propinquo ad aliquam gratiam, & gloriam; tamen excellens miſericordia Dei propter præcedentia merita, licèt mortificata, citius dat gratiam ad reſurgendum :: Unde aliquandò audivi de viro, prius valde perfecto, & poſtea profundiſsimè lapſo, cum propter facinora ſua eſſet morti adjudicatus, miſericordiſsimè viſitato perfectiſsima pœnitentia ſibi ſubito inſpirata eſt. Sed iſte profundiſsimè lapſus, & poſtea miſericordiſsimè viſitatus, de quo Doct. hic, nullum omnino meritum, adhuc de congruo, habuit ad huiuſmodi miſericordiſsimam viſitationē, ſeu motionem; nam ubi eſt ſuperlativum miſericordiæ, nullum apparere poteſt jus meriti: ergo, quod lapſus reſurgat, juſtificationemque conſequatur, eſt opus puræ miſericordię, juxta Doct.: ergo iuxta ipſum non eſt opus puræ naturæ.

18 Prob. denique ex eodem in eadem diſt., & quæſt. §. *de tertio articulo.* ℣. *ad primum*, ubi ait: *concedo, quod ſimpliciter maius beneficium divinum eſt, conſervare innocentiam, quam concedere poſt peccatum pœnitentiam: unde maius beneficium contulit Deus ſuæ Matri, quam Magdalenę.* Sed utrumque, iuxta Doct., præſervatio Matris ab omni peccato, & pœnitentia, conceſſa Magdalenæ poſt peccatum, beneficium divinum eſt: ergo cum eadem ſit ratio de pœnitentia, conceſſa Magdalenæ, ac de conceſſa, vel concedenda alijs peccatoribus, ſequitur, juxta mentem Doct., nullam fuiſſe, aut futuram eſſe dignam pœnitentiam ſine beneficio divino; & conſequenter, &c.

19 Unde ipſe Doct. paulò poſt ſubdit: *ſed nullus eſt, cui Deus pauca dona, quia pauca commiſsit, quin ſit ei aliud beneficium datum magis, quam donare, id eſt, remittere plura, ſcilicèt, præſervare eum ab alijs, in qua cadere potuiſſet, & cecidiſſet, niſi præſervatus à Deo fuiſſet:: quia nullus eſt, qui aliqua committat, quin alius poſsit eadem committere, niſi præſervaretur: igitur ille, cui dimittitur, tenetur plus diligere, ſuple ex cauſa remiſsionis; ſed alius tenetur diligere ex alia cauſa, qui non habuit dimittenda, quod ſine præſervatione divina eſſe non poteſt.* Ex quibus ſic breviter: quod eſt donum ſpeciale Dei, ſive in ordine ad remiſsionem peccati, jam contracti, ſive in ordine ad præſervationem ab omni peccato, nequit eſſe ex viribus

ſolius naturæ ; ſed utrumque, juxta Scotum in littera , eſt donum ſpeciale Dei ; ergo , quod peccator remiſsionem ſui peccati conſequatur , non provenit ex viribus naturę, juxta ipſum , ſed ex ope divinæ gratiæ. Alias auctoritates ex Doct. adducere poſſemus , quas ſtatim in ſolutione argumentorum allegabimus.

Solvuntur argumenta.

20 PRimo loco diluenda ſunt ea, quæ ex littera Doct. objici poſſunt contra concluſionem, ut eius ſententia in hac difficultate reddatur undequaque conſpicua : deinde reliqua , quę communiter objici ſolent , ſolventur. Arguitur ergo primò ex Doct. in 4. diſt. 14. quæſt. 2. §. *ad huius intellectum* , num. 14. ubi ait : *peccator in peccatis exiſtens :: poteſt ex naturalibus cum communi influentia , conſiderare peccatum commiſſum , ut offenſivum Dei, & ut contra legem divinam , & ut impeditivum præmij, & ut inductivum ſupplicij, & ſub multis talibus rationibus: & poteſt voluntas ſub aliqua illarum rationum, vel ſub multis illud peccatum, ſic conſideratum , deteſtari ;* ſed ſi peccator ex naturalibus cum communi influentia poteſt conſiderare peccatum ſub omnibus, vel ſub aliquo ex modis, jam dictis : poteſtque eius voluntas, peccatum , ſic conſideratum, deteſtari , poteſt homo ex viribus naturę , ſe ultimatè diſponere ad gratiam juſtificantem , ut de ſe patet : ergo homo , juxta Doct. , poteſt ex viribus naturæ , &c. Hoc eſt præcipuum fundamentum , quo nituntur plures Theologi ad cenſurandam opinionem Doct. , tamquam ſapientem Semipelagianiſmum.

21 Reſpondeo explicando mai. : peccator poteſt ex naturalibus cum communi influentia , conſiderare peccatum commiſſum &c. ; ſumpto ly *ex naturalibus cum communi influentia* , pro virtute tantum naturali , & innata intellectus , ſimul cum concurſu generali , ſeu communi , omni creaturæ debito , ex vi creationis , nego mai. : ſumpto ly *ex naturalibus cum communi influentia* , pro excluſione tantum habitus charitatis in voluntate, & incluſione habitus fidei in intellectu , ſimul cum omnibus alijs donis ſupernaturalibus, ſive permanentibus , ſivè , tranſeuntibus, requiſitis ad ſupernaturaliter operandum , conc. mai. Et diſting. min. : ſed ſi peccatur ex naturalibus cum communi influentia poteſt conſiderare , &c. ; ſumpto ly *ex*

na-

naturalibus in primo ſenſu diſtinctionis, poteſt ex viribus naturæ, ſe diſponere conc. min.: ſumpto ly *ex naturalibus* in ſecundo ſenſu diſtinctionis, nego min.

22 Ut ſolutio plenè intelligatur, menſque Doct. in predicto textu reddatur undequaque clara, ovia, præmittendum eſt, quod Doct. in verbis immediatè antecedentibus, ſic ait: *de tertio dico, quod, actum, aliàs humanum, requiri ad deletionem peccati, poteſt duplicitèr intelligi, vel ut diſpoſitionem prævium, vel ut concomitantem. Primo modo ſufficit actus informis, immo ſemper eſt informis, quia diſpoſitio prævia ad peccati deletionem, ſemper eſt ſine gratia, & charitate, à cujus ſolius inherentia, & inclinatione ad actum dicitur actus formatus. Secundo modo, dico, quod requiritur actus formatus; nam in illo inſtanti, in quo deletur peccatum, charitas in eſt, & per conſequens, ſi actus requiritur, ut concomitans, requiritur, ut formatus.*

23 Pro quorum verborum intelligentia, & maximè illius primi aſſerti, nimirùm, quod, ſi diſpoſitio ad deletionem peccati eſt prævia, actus ſemper erit informis, quia ut prævius, ſemper eſt ſine gratia, & charitate, & immediatè ſubdit: *Ad huius intellectum ſciendum, quod peccator poteſt ex naturalibus cum communi influentia, conſiderare peccatum commiſſum, ut offenſivum Dei, & ut contra legem divinam, & ut averſivum à Deo, & ut impeditivum præmij, & ut inductivum ſuplicij.* Quæ propoſitio Doct. conſtat pluribus prædicatis disjunctis, vel etiam copulatis, ſi volueris; quæ omnia ſive disjunctim, ſive copulatim ſumantur, referuntur ad idem omninò ſubjectum, nempè, ad intellectum, ut ex naturalibus cum communi influentia poteſt conſiderare peccatum ſecundum prædicta motiva. De voluntate autem, ſubjungit, ſine illo ſyncathegoremate: *ex naturalibus cum communi influentia*, quod poſsit deteſtari peccatum ſub aliquo, vel ſub pluribus ex prædictis motivis. Unde fundamentum cenſuræ, qua aliqui inurunt Doct. hic, videtur unicè, ſe tenere ex parte intellectus.

24 Sed quod nec ex hoc capite adſit nec leviſsimum quidem fundamentum ad hoc aſſerendum, & adeò expreſſum in Doct., tam hìc, quam alibi pluriès, ut mirum ſit, quomodò N. Vega, cui adhæret Delphinus, oppoſitum judicet de mente Doct.; nam Doct. in quæſtion. immediatè ſequen-

quenti expreſsis verbis docet, fidem divinam eſſe regulam pœnitentiæ, ubi etiam aſſerit, non poſſe eſſe notum creaturæ, Deum eſſe ſuum finem ſub propria ratione, per lumen naturale, ſine revelatione, & fide: ſicut & veritates aliquas Evangelicas non eſſe notas lumine naturali; *in veritatibus enim*, inquit, *aliquæ ſunt poſſibiles naturę humanæ, ordinabiles ad finem, ſub ratione ſuperiori, quam ſit cognitio huius ſtatus*: quod ibi ſub num. 4. explicat de paupertate Evangelica, caſtitate, & obedientia.

25 Quod vero fides divina ſit regula pœnitentiæ, conſtat ex ipſo, ibi dicente: *Alia regula, reſpiciens peccatum deteſtandum, tantummodo eſt nota ex revelatione, ſcilicet, quod peccatum eſt deteſtandum in quantum eſt Dei offenſivum, vel in quantam averſivum à Deo, vel impeditivum acquiſitionis beatitudinis, vel in quantum inductivum finalis miſeriæ.* En quomodò Doctor exprimit hic eadem motiva concipiendi contritionem pro peccatis propter offenſionem Dei, averſionem ab ipſo, impeditionem præmij, & inductionem ſupplicij, eodem ordine, quo manet dictum in eius verbis in argumento adductis; concluditque, omnia iſta neceſſariò debere cognoſci ex regula fidei, & revelationis. Ex quo evidenter ſequitur, quod per illam particulam: *ex naturalibus cum communi influentia*, poſitam ex parte ſubjecti, nempe, intellectus conſiderantis, non intendit Doct. excludere habitum, aut actum fidei, aut gratiam revelationis, neque alia adjutoria, tam intrinſeca, quàm extrinſeca, requiſita, iuxta ipſum ad talem conſiderationem; & conſequenter ibi non intendit loqui de natura, aut intellectu, prout iſte præſcindit à talibus adjutorijs, ſed tantum ibi procedit juxta ſcopum ſui quæſiti, & reſponſionis à ſe datæ, excludendo juſtitiam, inhærentem voluntati ad quam actus pœnitentiæ, ex prædictis motivis conceptus, eſt diſpoſitio prævia, & informis ante remiſsionem peccati.

26 Patet tamen hoc ex Scopo Doct. cit., qui ibi tantum agit de pœnitentia peccatoris adulti, & fidelis, quæ eſt diſpoſitio prævia, quam conſequitur remiſsio peccati, quamque ipſe vocat meritum de congruo, à Deo acceptatum, & lege præſcriptum, & per ſe efficacitèr intentum à pœnitente, per motivum ſanctificationis præſcriptæ ad finem deletionis peccati, quæ omnia neceſſariò

ſup-

ſupponunt fidem, iuxta Doct. Unde conſtat, quod nihil minus intendat, quam intellectum ex puris naturalibus poſſe hæc omnia cognoſcere, & practicè proponere voluntati, tamquam regulam operandi. Quare ſolum loquitur de intellectu *ex naturalibus cum communi influentia*, quatenus excluditur forma charitatis, inhærentis, à qua habent actus, tam fidei, & ſpei, quam aliarum virtutum eſſe formati; aſſeritque, haberi cauſas ſufficientes ex parte intellectus, & etiam voluntatis, reſpectu diſpoſitionis, ad quam ſequitur remiſsio peccati, abſque eo, quod charitas habitualis influat in iſtum actum diſpoſitivum, ſeu quod iſte effectivè procedat ab illa, & per conſequens docet, actum, ut informem, ſequi ad prædictas cauſas per ſe eius, inferreque per modum meriti congrui, ſeu diſpoſitionis præviæ, à Deo acceptatæ, remiſsionem peccati, & infuſsionem gratiæ per modum cauſę, eo modo, quo talis diſpoſitio ex divina acceptatione cauſa meritoria dici poteſt.

27 Quod autem ad voluntatem attinet, minimé excludit ab ipſa predictus texrus gratiam prȩvenientem, & adjuvantem in ordine ad actum deteſtationis peccati, qui eſt diſpoſitio ad remiſsionem culpę, cum nihil magis contradicat doctrinæ Doctoris, quam aſſerere, quod voluntas ex virtute ſua naturali, ſecluſſo omni adjutorio ſupernaturali, poſsit attingere actus diſponentes ad gratiam juſtificationis, aut etiam motiva talium actuum, ut patet ex ipſo quæſt. 1. Prologi per totam, & in 3. diſt. 26. & 27., & in 4. diſt. 6. quæſt. 10. Immó in hac ipſa quæſtione, in qua citatur nobis contrarius, docet, deteſtationem peccati, elicitam ex motivo virtutis ſpei, eſſe ſufficientem pœnitentiam, quantum eſt ex parte diſplicentiæ requiſitæ. Ex quo apparet, Doctorem nihil minus intendere hîc, quam voluntatem poſſe habere talem motum, & diſplicentiam ex ſola virtute ſua naturali.

28 Ex quibus patet aditus ad argumentum, concedendo, poſſe hominem *ex naturalibus cum communi influentia* conſiderare peccatum, ut offenſivũ Dei, &c.; & ſub eiſdem motivis illud deteſtari in ſenſu, à Doct. intento in littera; nam ibi ſub illa influentia communi, ſeu generali comprehendit Doct. omnia media operandi in linea ſupernaturali, ſive habitualia, & permanentia ſint, ut fides infuſa, ex parte intellectus, & ſpes infuſa ex parte voluntatis;

ſive

ſive actualia ſint, & tranſeuntia, ut auxilia ſupernaturalia ex parte utriuſque potentiæ: quæ influentia dicitur generalis, quia ſecundum legem ordinariam divinæ ſapientiæ, datur, juxta exigentiam cauſæ, & operis, & naturam motivi.

29 Non tamen dicitur *generalis* in eo ſenſu, quo volunt aliqui, ita, nimirùm, ut ipſe concurſus hîc, & nunc, ſeu influentia ſit generalis, & indifferens ad omnes effectus. Nec dicitur *generalis* eo ſenſu, quo influentia cauſæ primæ ad effectus ordinis naturalis dicitur communis, ſeu generalis, ſuppoſita completa potentia effectus in natura, quantum eſt ex ratione proprij generis; & ad diſtinctionem concurſus ſupernaturalis, quo Deus, ſpecialitèr iuſluens, ſupplet defectum naturæ, quæ ex ſe nequit in tales effectus exire. Neque dicitur etiam *generalis* eo modo, quo adjutoria communia extrinſeca dicuntur generalia, ſicut aſſerebat Pelagius de lege, & revelatione, de doctrina Chriſti, & eius exemplo. Neque etiam dicitur *generalis* eo modo, quo gratia ſufficiens, ſecundum aliquos, dicitur dari, tam juſtis, quam injuſtis, tam converſis, quam non converſis. Sed dicitur *generalis*, ſumpta tali denominatione à lege divinę ſapientię, qua decernitur, & à providentia, regulata per eandem legem; lex enim, texte Doct., in 1. diſt. 44. q. unic. *in corpore, non reſpicit caſum aliquem particularem, aut perſonam, ſed dumtaxat judicium ſecundùm legem.*

30 Hæc autem lex ordinaria divinæ ſapientię, quę dicitur communis, reſpectu baptizati, & fidelis peccatoris, de quo agit Doct. hîc, eſt lex Evangelica, quæ includit Auctorem gratiæ, & reliqua media, ordinata ad ſalutem hominis viatoris, ut quod fides per dilectionem operetur, & quod Chriſtus, ut caput, influat in fideles, tamquam in membra, & in hoc ſenſu intelligit Doct. influentiam generalem, prout comprehēdit diſpoſitionē legis quoad omnia media, requiſita ad ſalutem, non diſcernendo inter media ſufficientia, aut etiam efficatia ſecundum diſpoſitionem legis Evangelicæ. Qui quidem modus loquendi non ſemel legitur in Auguſt., qui aliquando ſub nomine generico *providentiæ* comprehendit gratiam, & adjutoria, etiam efficatia.

31 Audiamus ipſum lib. de Perfectione juſtitiæ contra Celeſt. ratiocinatione 17., ubi introducit Celeſtium probantem ex

ex illo Apoſtoli: *quod vult faciat*, aliquod bonum poſſe fieri ſine gratia; reſpondet Sanct. Doct.: *quod vult faciat, &c. Ibi, ut arbitror, ubi ſequitur, & dicit: non peccat, ſi nubat, qua ſi pro magno habendum ſit, velle nubere, ubi de adjutorio divinæ miſericordiæ operoſius diſputatur. Aut verò etiam prodeſt aliquid velle, niſi Deus providentia, qua gubernat omnia, marem, fœminamque conjungat:: quaſi alitèr ſit voluntarium bonum, niſi cum Deus operatur in nobis & velle, & operari pro bona voluntate.* Ubi loquitur Auguſt. de Auxilio, quod datur ad ſervandam pudicitiam conjugalem, refrenandamque concupiſcentiam ſub appellatione *providentiæ univerſalis*, qua Deus omnia gubernat; & comprehendit ſub providentia ſic generali idem auxilium, ut eſt ſpeciale, & efficax, dans velle, & operari.

32 Et clarius lib. 1. Retractationem cap. 15. ubi explicans, quod dixerat in expoſitione Epiſt. ad Rom., ait: *ubi dixi, gratiam eſſe in redemptione peccatorum, pacem verò in reconciliatione Dei, ubicumque hoc dixi, non ſic accipiendum eſt, ac ſi pax ipſa, & reconciliatio non pertineant generalem, ſed, quod ſpecialitèr nomine gratiæ, remiſſionem ſignificaverim peccatorum, ſicut legem ſpecialitèr dicimus, ſecundum quod dictum eſt: lex, & Prophetæ, & generalitèr, ut in ea ſint.* Ubi Sanct. Doct. ſub appellatione *gratiæ generalis* intelligit reconciliationem peccatoris cum Deo, nec non & alia dona diverſa è redemptione peccati.

33 Hanc verò providentiam Dei ſupernaturalem dividit Subt. Doct. quodlib. 21. in ſuas ſpecies, quarum una eſt communis, alia verò particularis. Communem, ſeu generalem appellat illam, quæ eſt omnium rerum, & in ſpecie etiam naturæ rationalis. Specialem verò dicit illam, quæ eſt ex electione, quadam, ſecundùm quam providet unicuique hominum, ſecundum merita præſentia, vel futura, & occulta nobis, tamen ſibi præſentia: & ſecundum utramque iſtam providentiam, dicit Doctor, omnes caſus regulari, & in Deum redducendas, ut in cauſam per ſe intendentem ipſos, non verò ad naturam, vel impulſum, ut volebant Philoſophi.

34 Quapropter ſub nomine influentiæ generalis comprehendit dona, per ſe neceſſaria ad deteſtationem peccati, ut oportet in ordine ad juſtificationem; quæ dona multi-

pli-

pliciter **generalia** dicuntur. Primò ut cadunt ſub legè, & providentia ordinaria legis gratiæ, ex qua ſunt. Secundo dicuntur generalia, comparativè ad ſuppoſita, quibus conceduntur, ut ſunt electi, vel alij, quibus Deus prębet juſtificationem pro tempore, quam, ipſi peccantes, deſſerunt. Tertiò dicuntur generalia ex ſua ſpecie, quia non eodem modo accidit vocatio peccatorum, nam, ut docet Doct. hic in litteras, ex varijs motivis virtutum contingit homini peccatum deteſtari. *Quis enim*, inquit Div. Proſper cap. 14. contra Collatorem, *perſpicere, aut enarrare poteſt, per quot affectus viſitatio Dei animum ducat humanum, ut quę fugiebat, ſequatur; quæ oderat, diligat; quæ faſtidiebat exuriat, &c.? Hæc omnia operatur unus, atque idem Spiritus, dividens ſingulis, prout vult.* Ex quibus apparet ratio, cur dicatur *influentia generalis*, quamvis, reſpectu illius, cui conceditur, ſit ſpecialis gratia, & benevolentia, ut concedit Doct. pluribus in locis, docens, peccatorem, cui Deus concedit pœnitentiam, incurrere debitum ſpecialis gratitudinis.

35 Unde apparet, quam immeritò tribuitur Doctori ſententia afferens, pœnitentiam poſſe haberi ex naturalibus tantum cum communi influentia, quæ omnibus debetur ex dono creationis; nam, præter omnia loca eius adducta, ulterius in 1. diſt. 17. quæſt. 2. artic. 1. ait: *hoc autem, quo homo meritoriè agit, non poteſt eſſe pura natura, quia tunc ex ſolis naturalibus poſſet meritoriè agere, quod videtur error Pelagij.* Idem repetit art. 2. dicens: *actum ex puris naturalibus eſſe meritorium, appropinquat errori Pelagij.* Et, licèt hic tantum intendat neceſsitatem gratiæ habitualis, tamen ejus ratio concludit, actum non eſſe in poteſtate voluntatis ex natura potentiæ, niſi detur aliquid, ipſam elevans, nam: *nihil*, inquit, *eſt in poteſtate voluntatis* (intellige de potentia ordinaria) *niſi principium ejus ſit formaliter in ipſa.* Idem docet in 4. diſt. 49. quæſt. 11. ubi inquirit: *utrum homo ex puris naturalibus poſsit conſequi beatitudinem?* Et adductis quinque argumentis pro parte affirmativa, ait: *contra: ad Romanos 6.: gratia Dei vita æterna.* Item: *hoc eſt perfectionis in natura humana, ut dictum eſt quæſt. 1. Prologi, ſcilicet, quod naturalia non ſufficiant ad perfectionem, quę eſt gratia, & gloria. Præterèa hæc eſt maior hæreſis, quam hæreſis Pelagij, qui poſuit, quod homo ſine gratia poſſet juſtificari.*

De-

36 Denique celebris in Doct. locus, tollens omnem ambiguitatem circa intelligentiam huius vocis: *ex naturalibus*; nam quodlib. 14. §. *ex his, & ſimilibus authoritatibus*, ſub num. 5. ait: *ſed ultra ipſam fidem acquiſitam, habemus fidem infuſſam, & ad illam habendam, licet poſsit homo ex naturalibus ſe diſponere, non tamen ex natura intrinſeca, nec etiam concurrentibus quibuſcumque cauſis, naturaliter motivis, intellectus ad eam poteſt attingere, quia illam ſolus Deus infundit.* In quibus verbis contraponit Doctor ly *ex naturalibus* ad ly *ex natura intrinſeca, etiam concurrentibus quibuſcumque cauſis, naturaliter motivis*; quæ quidem contra poſitio Doctoris manifeſtat, ipſum aliud intellexiſſe per ly *ex natura intrinſeca, etiam concurrentibus, &c.*; nam de primò aſſerit, quod homo *ex naturalibus* poteſt ſe diſponere, ad fidem infuſſam recipiendam, quæ à ſolo Deo infunditur. De ſecundò vero, ſcilicet, de ly *ex natura intrinſeca*, hoc conſtanter negat; quod tamen fruſtrà negaret, ſi per ly *ex naturalibus* voluiſſet ullo modo excludere auxilia ſupernaturalia, quibus homo poſſet ſe diſponere ad recipiendam fidem infuſſam. Hæc ſolutio eſt aliquantulum lata, ſed neceſſaria ad ora cenſurantium obturanda.

37 Qui breviorem voluerit parare reſponſionem, ex jam dictis diſtinguat, ut diſtinctum eſt, dicat Subtilem Doct. per communem influentiam intellexiſſe concurſum Dei ſupernaturalem cum creaturis rationalibus ad opera ſalutis exequenda; talem influentiam dici *ſupernaturalem*, quia non debetur naturę, dici verò *communem*, quia omnibus eſt parata. Declaratur: creatura, ex quo cauſa ſecunda ſit dependet à prima in eſſe, & operari; ideoque in omnibus ſuis operationibus indiget concurſu Dei; operationes autem creaturæ rationalis multiplicis ſunt generis; nam quædam ſunt merè naturales, ſeu neceſſariæ, quędam liberę, & contingentes, & inter iſtas, quędam ſunt moraliter bonæ, necdum in genere moris ſimpliciter, ſed etiam in genere ſupernaturali, quę diſponunt de congruo ad ſalutem: aliæ verò in eodem genere ſupernaturali diſponunt de condigno, ut ſunt opera facta in gratia: quædam, quæ ſolis electis conveniunt; & quędam, quæ ſpecialibus quibuſdam electis, ſed non omnibus conveniunt. Quæ omnia ſunt

adeò per ſe nota, ut à neminè negentur.

38 Concurſus ergo, quo Deus ad omnia iſta opera concurrit, licèt eſſentialiatèr, & fundamentalitèr ſpectatus, ſit unus, & idem, terminativè tamen, ſeu prout terminatur ad diverſas operationes, diverſam ſortitur denominationem; ideòque talis concurſus aliquandò dicitur *naturalis*, aliquandò *ſupernaturalis*; aliquandò *generalis*; & aliquandò *ſpecialis*, ita quod non ſolùm concurſus Dei dicitur generalis, quia per eum Deus concurrit ad operationes omnium creaturarum, ut Auctor naturæ, & cauſa prima, ſed etiam, in genere ſupernaturali dicitur concurſus generalis, & ſpecialis, quorum primus dicitur ille, quo Deus concurrit cum omnibus hominibus ad opera ſupernaturalia, de congruo diſpoſitiva ad ſalutem; ſecundus verò dicitur ille, quo Deus concurrit cum prædeſtinatis. Vel alitèr: in ordine ſupernaturali poteſt dici generalis ille concurſus, quo Deus, ut Auctor gratiæ, concurrit ad opera meritoria gloriæ de condigno, ſpecialis verò, quandò concurrit ad quædam peculiaria opera alicuius prædilecti, uti eſt concurſus, quo cum Martyribus concurrit ad tormenta patienter tolleranda, vel cum B. V. ad Generationem Chriſti, & alia hujuſmodi.

39 Neque gratis, & abſque fundamento notionem concurſus generalis transferimus ad ordinem ſupernaturalium agibilium; nam ſicut ille concurſus, quo Deus cum omnibus creaturis concurrit, dicitur generalis, quia Deus cum ſua providentia decrevit, cum omni creatura concurrere, indifferentèrque cum omnibus creaturis elargitur; è contra verò dicitur ſpecialis ille concurſus, quem non decrevit Deus dare, neque dare poteſt, ut Auctor naturæ, cuiuſmodi eſt concurſus naturę indebitus ad credendum, ſperandarum, & diligendum ex fine ſupernaturali. Item, cum in ordine ſupernaturalium agibilium; dentur quędam opera ſupernaturalia, omnibus communia, id eſt, quæ omnis homo poteſt, & debet exercere, ut ſunt opera, diſponentia de congruo ad ſalutem, concurſus, quo Deus cum viatoribus ad talia opera concurrit, eſt quidem ſupernaturalis, gratia præveniente, & adjuvante aſſociatus; iam dici poteſt, & debet generalis, ſeu communis; quia omnibus datur, & in eo non diſcriminantur viatores, qui debent operari, ſicut oportet ad ſalutem. E contra verò con-

concurſus ille dicitur ſpecialis in ordine ſupernaturali, qui in tali ordine ſpecialitèr à Deo communicatur aliquibus, ad elicienda quędam opera heroica, valdè ardua, & difficilia, adhuc intra ordinem gratię. Unde patet, Doct. per *communem influentiam* intellexiſſe providentiam generalem ordinis gratię, & non naturæ; & conſequentèr, ipſum longiſsimè diſtare à Semipelagianorum ſententia.

40 Replicabis 1.: homo, exiſtens in peccato pro ſtatu naturę lapſæ, poteſt habere aliquem motum attritionis ex puris naturalibus, ſed hęc attritio eſſet ſufficiens diſpoſitio, ad gratiam juſtificationis ſuſcipiendam: ergo homo lapſus poteſt, &c. Prędmiſſę videntur eſſe Subt. Doct. in 2. diſt. 7. q. unic. §. *de ſecundo dico*, ℣. *ſed hic, eſt dubium.* n. 16. Reſp. negando mai., cum min.; quia Doct. ibi neutrum tenet. Quod, ut pateſiat, ſciendum eſt, Doctorem in illa quæſt. inquirere: *an malus Angelus vellit neceſſariò malè?* Et propoſitis argumentis Div. Thomæ, & Henrici, reſolvit ipſe quęſtionem, prædmittendo primo, malum Angelum poſſe velle aliquod bonum ex obiecto: ſecundò, ipſum habere potentiam, receptivam actus meritorij: tertiò, ipſum habere potentiam activam partialem eiuſdem actus, non tamen eſſe in eius poteſtate mereri: quartò, ipſum non poſſe acquirere aliam concauſam meriti, ſcilicèt, gratiam: & quintò tandem, ipſum non poſſe, ſe diſponere ad talem gratiam.

41 Sed circa hoc ultimum movet dubium, dicens: *ſed hic eſt dubium :: an ſcilicèt Angelus malus, habens voluntatem, tamquam principale principium activum, poſsit ſe diſponere ad gratiam? Et ſi hoc, videtur, quod in poteſtate eius ſit benè velle, ſicut in poteſtate peccatoris viatoris; non plus enim poteſt peccator viator malus, niſi ſe diſponere, & tunc ſibi dabitur gratia à Deo, qua benè poſteà agit. Utrùm autem viator poſſit habere aliquem motum attritionis ex puris naturalibus, exiſtente influentia generali: vel requiratur aliqua operatio ſpecialis? De hoc in 4.; ſed ſuppoſito, quod ſic, negaret aliquis jam potentiam diſpoſitivam ab Angelo damnato, & diceret, eam convenire poſſe peccatori viatori.*

42 In quibus verbis nihil omninò docet contra noſtram concluſionem; nam, ut ex littera conſtat remittit ad lib. 4. ſententiarum reſolutionem illius dubij, an, nimirum, viator poſsit habere aliquem motum

tum attritionis ex puris naturalibus, vel an ad hoc requiratur aliqua operatio ſpecialis; inquit, quod exſupoſitione, quod viator poſſet ex puris naturalibus, ſe diſponere ad gratiã, non propterea hoc idem concedendum eſſet de Angelo malo, & meritò quidem; quia non eſt par ratio de homine viatore, quantumcumque malo, ac de Angelo malo non viatore; cum primus ſit adhuc in via, ſecundus verò in termino. Unde Doct. hic uniformitèr procedit de Angelo malo, ac de homine peccatore, accipiendo utrumque, vel in ſtatu termini, ſeu damnationis, vel in ſtatu viæ, & aſſerit, quod ſi homo pro ſtatu vię poſſet hoc, vel illo modo ſe diſponere ad gratiam, hoc idem poſſet facere malus Angelus pro ſtatu viæ. Quarè, ſicut dicitur de peccatore, pro ſtatu vię, quod poſſet, ſe diſponere ad receptionem gratię, mediante cooperatione gratiæ actualis, hoc idem dicendum eſt de Angelo malo viatore. Propterèaque Angeli mali viatores malè fecerunt, non ſolum primò cadendo, ſed etiam poſteà non reſurgendo.

43 Unde quomodocumque homo lapſus in peccato exiſtens pro ſtatu vię poteſt ſe diſponere ad gratiam, eodem modo, & facilius poteſt Angelus malus, viator exiſtens, ſe diſponere, ad receptionem gratiæ; quod verò neutter ſe diſponeret ſine gratia docet expreſsè Doct. in hac ipſa quæſt. §. *aliud dubium eſt*, ¥. *cum ergo arguitur*, num. 21. ubi ſic replicat contra ſe: *iſta* (ſupplè obſtinatio mali Angeli) *eſt à voluntate ſola: ergo voluntas ſe ſola poteſt in oppoſitum reſilire. Reſp.*, inquit Doct., *quod ad reſiliendum meritoriè requiritur aliud principium à voluntate, puta, gratia, quàm Angelus malus ex ſe non poteſt habere, & Deus, ſecundum quod deſeruit ipſum, diſpoſuit, ſibi eam non dare.* In quibus verbis duo diligentèr conſideranda ſunt. Primum eſt, quod ad reſiliendum meritoriè ab obiecto, in quod voluntas inordinate, ſe inclinavit, requiritur aliud principium à voluntate, puta, gratia; ſed gratia, quę requiritur, ad reſiliendum meritoriè à tali obiecto, ſolum poteſt eſſe gratia actualis movens, & excitans potentiam, ut ex terminis conſtat; nam gratia habitualis non datur ad reſiliendum: ergo gratia, quam requirit Doct. hic, ad meritoriè reſiliendum, eſt ſola gratia actualis; & conſequentèr juxta ipſum talis gratia eſt neceſ-

ceſſaria, ſive in homine, ſivè in Angelo viatore, ad ſe diſponendum, &c.

44 Secundum, quod advertendum venit eſt, quod unica ratio à priori, cur Angelus malus, in termino exiſtens, non poſsit habere hujuſmodi gratiam ad reſiliendum, eſt; quia Deus, ſecundum quod ipſum deſeruit, diſpoſuit ſibi eam non dare, quam diſpoſitionem non exercet Deus erga peccatores viatores, quantumcumque perverſos. Ita Doct. expreſsis terminis loco proximè citato eodem numero dicens: *ex dictis ergo, videtur, quod :: non ſit aliqua cauſa permanentiæ eorum* (id eſt Angelorum) *in malo, niſi derelectio divina, ſive quod diſpoſuit, non dare eis gratiam, cum ſint in termino, quomodo non diſpoſuit de viatoribus malis.* En quomodò Doct. ſemper eſt conſtans in aſſerendo, quod Deus ex ſua bonitate, & miſericordia ſemper dat viatoribus gratiam, qua reſurgere valeant à peccato; ſed gratia, qua peccator reſurgere valet, neceſſariò eſt gratia actualis; eum gratiam habitualem per reſurrectionem à peccato conſequatur homo: ergo talis gratia actualis, juxta Doct., ſemper eſt neceſſaria ad reſurgendum; & conſequentèr ſine ipſa non poteſt peccator ſe diſponere ad gratiam juſtificationis.

45 Replicabis 2.: voluntas pro ſtatu naturæ lapſæ poteſt velle quidquid intellectus ei proponit, & modo, quo proponit; ſed intellectus pro ſtatu naturæ lapſæ poteſt ex puris naturalibus proponere voluntati, Deum ſub ratione ſummi boni eſſe diligendum: ergò voluntas ex puris naturalibus poteſt velle tale bonum; ſed huiuſmodi velle eſt ſufficiens diſpoſitio ad gratiam juſtificationis: ergo voluntas poteſt ex puris naturalibus, &c. Præmiſſæ ſunt Doct. in 3. diſt. 27. q. unica. §. *iſtis igitur rationibus non innitendo*, num. 13. ubi ait: *ratio naturalis oſtendit naturæ intellectuali, eſſe aliquid ſummè diligendum ::: igitur dictat ſolùm ſummum bonum eſſe ſummè diligendum; & per conſequens, voluntas hoc poteſt ex puris naturalibus; nihil enim poteſt intellectus rectè dictare, in quod dictatum non poſsit voluntas naturalis naturaliter tendere.*

46 Reſpondeo, conceſſa mai., diſtinguendo min.: ſed intellectus ex puris naturalibus poteſt proponere voluntati, Deum ſub ratione ſummi bo-

boni eſſe diligendum, tamquàm Auctorem naturæ, & dilectione naturali, nullatenùs conducente ad juſtificationem, concedo min.: ut Auctorem gratiæ, & dilectione ſupernaturali, ad juſtificationem conducente, nego min. Et diſtinguo conſequens eiſdem terminis, & nego ſubſumptam. Doct. ergo ſolum vult, hominem pro ſtatu naturę lapſæ poſſe naturaliter cognoſcere, Deum eſſe ſummum bonum, ſummèque diligendum, tamquam Auctorem naturę; quæ quidem dilectio nullatenus conducit ad juſtificationem. An verò poſsibilis ſit talis dilectio Dei, ut Auctoris naturæ ſuper omnia, pro ſtatu iſto, eſt ſpecialis difficultas: cuius partem affirmativam potius pro nunc ſupponimus, quam diſputamus. Non tamen docet Doct., nec hic, nec alibi intellectum ex puris naturalibus poſſe cognoſcere Deum, ut Auctorem gratiæ, & glorię: nec voluntatem ex naturalibus puris poſſe eum ſub tali conſideratione diligere.

47 Replicabis 3.: Subt. Doct. in 2. diſt. 28. quæſt. unic. §. *et poteſt illa opinio*, num. 8. docet, voluntatem, mediante actu executivo iſtius præcepti ſupernaturalis: *diliges Dominum Deum tuum*, ſe diſponere de congruo ad gratiam gratificantem; ſed voluntas, juxta ipſum ibi exequitur aliquandò hunc actum ſine omni gratia: ergo voluntas poteſt naturaliter ſe diſponere ad gratiam gratificantem. En ejus verba: *quandòcumque autem voluntas exequitur actum huius præcepti: diliges Dominum, &c., licèt informis, & diſponit ſe de congruo ad gratiam gratificantem, ſibi oblatam, vel reſiſtet, & peccabit mortaliter, vel conſentiet, & juſtificabitur.* Reſpondent aliqui Scotiſtæ, Doct. loqui de diſpoſitione de congruo, negativè tali; quatenùs voluntas poteſt naturaliter non ponere obicem ad recepcionem gratię; non verò de diſpoſitione de congruo, poſitivè tali, quæ inferat infuſsionem gratię per modum meriti de congruo. Sed, omiſſa hac doctrina, quam poſtea ex inſtituto examinabimus,

48 Reſpondeo diſting. mai.; docet, voluntatem, &c., ſe diſponere de congruo ad gratiam gratificantem, mediante auxilio ſupernaturali, conc. mai.: ſine tali auxilio, nego mai. Et diſting. min.: ſed voluntas aliquandò exequitur hunc actum, ſine omni gratia gratificante conc. min.: ſine omni gratia auxiliante, & moven-

vente, nego minorem. Doct. ergo ſolùm docet, quod voluntas, licèt informis, hoc eſt, ſine habitu charitatis, poſsit ſe diſponere de congruo ad gratiam; non tamen, quod hoc valeat facere ſine gratia excitante, de qua nullam facit hic mentionem, ipſam tamen ſupponit. Itaque, quandò urget præceptum ſupernaturale de diligendo Deo amore ſupernaturali, etiam ſi quis antecedentèr non habeat charitatem ſupernaturalem, nec quidem pro anterioritate naturæ, poteſt tamen, mediante auxilio actuali, quod ſemper paratum eſt pro tali inſtanti, amare Deum ſupernaturalitèr. Et ſuppoſito, quod ipſum ſic amet, quia talis amor eſt diſpoſitio, ſecum habens annexam infuſsionem gratię, habebit quidem gratiam ſanctificantem pro illo ipſo inſtanti; ſed conſequenter tamen ad obſervantiam præcepti, quæ obſervantia antecedit natura, tamquam diſpoſitio, infuſsionem gratiæ. Ita Pontius hic pag. 771., & benè quidem.

49 Replicabis 4.: actus fidei, elicitus ſecundùm inclinationem habitus ſupernaturalis fidei infuſsę, inhærentis intellectui, poteſt eſſe ſufficiens diſpoſitio ad juſtificationem; ſed talis actus, qua liber, & qua meritorius eſt gratię ſanctificantis, poteſt elici abſque ullo auxilio ſupernaturali: ergo abſque tali auxilio poterit quis, &c. Prob. min. ex Doct. in 3. diſt. 25. q. 2. laterali, §. *ideo dico ad argùmentum*, ubi ait: *& ſtò, quod requiratur motio poſitiva voluntatis* (ut intellectus per habitum infuſsum credat) *etiam ſufficit voluntas ad ſic movendum in puris naturalibus; quia poſito vero ſupernaturali præſente intellectui, poſſet voluntas movere intellectum ad intelligendum illud, dummodò in intellectu eſſet habitus inclinans intellectum in illud, ſicut eſt in propoſito*: ergo, juxta Doct., actus fidei ſupernaturalis, qua liber, &c.

50 Reſp. negando min. Ad probat. ex Doct. dico, quod per illam particulam: *ſufficit voluntas ad ſic movendum in puris naturalibus*, ſolùm excludit Doct. à voluntate, requiſita ad credendum, omnem gratiam per modum habitus infuſsi, vel alterius concurſus ſupernaturalis, ſupplentis deffectum talis habitus infuſsi in voluntate; minimè verò excludit conſortium gratiæ actualis prævenientis, & excitantis voluntatem ad imperandum aſſenſum ſupernaturalem fidei; ſiquidem neceſsitas, vel non ne-

neceſsitas gratiæ actualis excitantis, nec directè, nec indirectè faciebat ad intentũ Doct. hic, ut patet, tum ex progreſſu totius quæſt., tum ex ipſo titulo, qui ſic ſe habet: *utrum, ut fides ſit in intellectu, neceſſe ſit aliquem habitum infuſſum eſſe in voluntate*? Cujus quæſtionis reſolutio, ut ad oculum patet, nullam habet connexionem cum neceſsitate gratię actualis, requiſitæ ad credendum.

51 Unde ipſe Doct. hic §. *et ad ſecundum*, ait: *ita hic, ad hoc, quod voluntas moveat intellectum ad credendum credibile ſufficit diſpoſitio intellectus, & non eſt neceſſarium, diſpoſitionem proportionalem illi* (nota ly proportionalem) *poni in voluntate*. Nunc ſic; ſed diſpoſitio requiſita in intellectu, ad credendum quodcumque credibile ſupernaturale, eſt diſpoſitio habitus ſupernaturalis fidei infuſſæ: ergo diſpoſitio proportionalis huic diſpoſitioni intellectus requiſita ex parte voluntatis, neceſſariò eſt diſpoſitio alicuius habitus ſupernaturalis infuſsi, in voluntate neceſſariò requiſiti, ad hoc, ut voluntas moveat intellectum ad credendum credibile, ſibi preſentatum. Hanc ergo diſpoſitionem per modum habitus ſupernaturalis infuſsi negat Doct. eſſe neceſſariam in voluntate ad hoc, ut habitus infuſſus fidei exeat in ſuum actum credendi. Ex quo conſtat, quod per voluntatem *in puris naturalibus* intelligit voluntatem ſine tali habitu, non verò ſine auxilio gratiæ actualis moventis, atque adjuvantis, de quo auxilio nihil egit Doct. in hac quęſt., nec agere debebat; cum quæſtionis reſolutio ſit omninò independens à neceſsitate, vel non neceſsitate talis auxilij.

52 Dices: Subt. Doct. in hac ipſa quæſt. expreſſe docet, nullum auxilium eſſe neceſſarium ex parte voluntatis, ad hoc, ut intellectus perfuſſus habitu fidei, exeat in actum credendi circa credibile, ſibi præſentatum ergo ruit ſolutio. Prob. antec.: in tantum eſſet neceſſarium tale auxilium ex parte voluntatis, ut intellectus crederet, in quantum aliquis actus voluntatis, movens intellectum, ſeu ipſi imperans eſſet neceſſarius, ut intellectus credibile, ſibi præſentatum crederet; nam non eſt aſsignabile, ad quid indigerer auxilio, niſi in ordiné ad elicientiam alicujus actus proprij ipſiuſmet voluntatis; ſed nullus actus voluntatis eſt neceſſarius ad hoc, ut intellectus credat: ergo nullum auxilium

ſium eſt neceſſarium , &c. Prob. minor : pura non contramotio voluntatis , non eſt actus ; ſed ad hoc ut intellectus credat fide ſupernaturali infuſſa , ſufficit , quod voluntas non contramoveat : ergo nullus actus , &c. Prob. min. ex Doct. in hac quæſt. 2. laterali , §. *ideò dico* , ubi ait : *poſita fide acquiſita , credibili præſente , poteſt intellectus per fidem infuſſam credere , dummodo voluntas non contramoveat , nec plus requiritur* : ergo ad credendum ſufficit non contramotio voluntatis.

53 Hæc replica graviſsimam tangit difficultatem, quæ in Tract. de Fide communitèr exagitari ſolet : an , ſcilicèt, requiratur ad ſupernaturalitèr credendum pia motio , ſeu affectio voluntatis ? Pars negativa communitèr ſolet attribui Scoto propter verba , nuper adducta. Scotiſtæ ſunt inter ſe diviſi. Qui partem tuentur negativam , huic replicæ, prout ad præſens attinet , deberent reſpondere diſtinguendo primum antecedens ſic: Subt Doct. docet , nullum auxilium eſſe immediatè neceſſarium ex parte voluntatis , ad hoc ut intellectus credat, conceditur antec. : nullum auxilium eſſe mediatè , & remotè neceſſarium, &c. ; negatur antec. Ad probationem diſtinguunt mai.: in tantum , &c. , in quantum aliquis actus voluntatis movens , vel remotè , & mediatè ; vel immediatè , & proximè eſſet neceſſarius , ut intellectus crederet , concedunt mai. : ſemper immediate , & proximè , negant mai. Et diſtinguunt min.: ſed nullus actus voluntatis, poſitive , & formalitèr talis , eſt neceſſarius , &c. ; concedunt min. : æquivalentèr , & interpretativè talis , negant min. Ad probationem diſtinguunt mai. : pura non contramotio voluntatis non eſt actus poſitivus voluntatis , concedunt mai. : non eſt actus æquivalens, & interprætativus, negant mai. Ad illam propoſitionem Doct.: *dummodo voluntas non contramoveat* , dicunt , ſenſum eſſe, dum actu aſſenſus fidei præſtandus eſt , poſſet voluntas contramovere , ſeu imperare intellectui , ne credat ; in quo ſenſu non crederet ; ſecùs verò ſi voluntas ipſum non diverteret à conſideratione objecti credibilis. Plura continentur in hac ſolutione , quæ modò non vacat examinare , & de quorum veritate non parum dubitari poteſt : quarè , hoc modò dicendi in ſua probabilitate relicto , quem nos modò non amplectimur , alitèr

54 Reſpondemus dictę

replicæ negando antec. Ad cujus prob. neg. min., cum min. probationis: & ad huius probationem ex Doct. explico ant. *poſita fide acquiſita, credibili præſenti, poteſt intellectus, per fidem infuſſam credere, dummodo voluntas non contramoveat, nec plus requiritur*, & hoc aſſerit Doct. ex propria mente, ſeu ex propria ſententia, nego antec.: & hoc dicit ſolum arguitivè, refutando fundamentum D. Thomę, requirentis aliquem habitum infuſſum in voluntate, ad hoc, ut intellectus per fidem infuſſam credat, conc. antec., & nego conſequentiam.

55 Doctor ergo in prędictis verbis non loquitur ex propria ſententia ut ſæpenumero ſui moris eſt, dum alias opiniones impugnat. Quod ex propria ſententia non loquatur patet ex verbis, quę immediatè, & abſque ulla interpolatione ſubjungit, dicens: *& ſto quod requiratur motio poſitiva voluntatis, etiam ſufficit voluntas ad ſic movendum in puris naturalibus.* Circa quod advertendum eſt ex num. 50., Doct. hic inquirere: *utrum, ut fides ſit in intellectu, neceſſe ſit, aliquem habitum infuſſum eſſe in voluntate?* Et reſolvit negativè contra Div. Thom. 2. 2æ.; prædictam adhibens reſponſionem disjunctivam, ſcilicèt, vel quod non contramotio voluntatis ſufficiat, ut intellectus, fide ſupernaturali habituali exornatus, habenſque obiectum credibile ſibi ſufficienter præſens, poſsit prorrumpere in actum: vel quod, quamvis iſta non ſufficiat ad aliquid credendum, non tamen ibi ſequitur intentum Div. Thomæ, ſcilicet, habitum aliquam infuſſum eſſe neceſſarium in voluntate, ad hoc ut intellectus credat; quia ad hoc, inquit, ſufficit voluntas in puris naturalibus ad ſic movendum intellectum, ſumpto ly *ex naturalibus*, ut ſuprà numero 50., & 51.

56 Ita mens genuina Doct. eſt, piam affectionem, ſeu motionem poſitivam voluntatis eſſe neceſſariam ad hoc, ut intellectus credat obiecto ſupernaturali, ſibi ſufficienter propoſito, ut expreſſe colligitur ex ipſo proximè citato in 3. diſt. 25. quæſt. 2. laterali in fine, ubi adducit contra ſe hanc replicam: *& ſi objicitur: ergo aliquis poteſt credere nollens, quia quæ ſunt in intellectu præcedunt velle.* Et reſpondet ſic: *dico, quod non ſequitur, quia actus credendi dependet ex duobus, ſcilicet, habitu inclinante, & credibili præſentato, non quomodocumque, ſed præ-*

præſentato tamquam credibili; & ſic non præſentatur niſi per doctrinam; & adhuc, ſi ſic præſentatur, non credit intellectus:: quia proponens credibile intellectui non demonſtrat, ita ut cogat intellectum ad credendum; ideò non credit niſi volens; quamvis autem voluntas ſic habeat imperium poſitivum ſuper actum credendi, non tamen habet imperium ſuper oppoſitum actum, ſtante fide, ut intellectus diſſentiat credibili propoſito per imperium voluntatis, ſed ſolùm poteſt impedire intellectum, ne exeat in actum ſuum credendi, elicitum circa credibilia propoſita.

57 Ex quibus clarè conſtat, in ſententia Doct. neceſſarium eſſe imperium poſitivum voluntatis (etiam præſuppoſitis omnibus ſignis, & motivis credibilitatis, intellectum trahentibus, & allicientibus ad aſſentiendum) ad hoc, ut intellectus ponat aſſenſum, præ ejus carentia; alioquin non dixiſſet Doct.: *& adhuc, ſi ſic præſentatur* (ſupple credibile ſub prædictis motivis) *non neceſſariò credit intellectus :: ideò non credit niſi volens.* En quomodò intellectus, iuxta Doct., adhuc in ſenſu compoſito omnium motivorum, inclinantium ad aſſenſum, remanet indeterminatus ad aſſenſum, præ eius carentia; prætereaque ſubjungit ipſe: *quamvis autem voluntas ſic habeat imperium ſuper actum credendi* (hoc eſt, ſuper actum aſſentiendi, præ carentia talis actus) *non tamen habet imperium ſuper oppoſitum, ſtante fide, ut intellectus diſſentiat*; hoc eſt, quamvis voluntas non poſsit imperarè, intellectui, habenti fidem habitualem infuſſam, & motiva ſimul credibilitatis iam cognita, ut poſitivè diſſentiat: contradictorium enim eſt, obiectum proponi, ut credibile, & ſimul, ut incredibile, ſeu non credibile, in quo tantum ſecundo ſenſu intellectus poſſet diſſentire; benè tamen poteſt ipſi imperare, ut, vel actu ponat aſſenſum, vel ut actu omittat elicientiam talis aſſenſus. Explicatur: ſtante fide in intellectu, & credibili ei ſufficientèr propoſito, non datur, juxta Scotum, libertas contrarietatis, ſeu ſpecificationis ad oppoſitum illius, quod proponitur; benè verò libertas contradictionis. Nunc ſic; ſed libertas contradictionis non exercetur abſque actu immediato, & poſitivo voluntatis, ſi eſt ad extremum poſitivum, uti eſt actus credendi: ergo ad credendum requiritur, iuxta Doct., actus poſitivus voluntatis; & conſequentèr non eſt de eius mente, quod ſuf-

ſufficiat non contra motio.

58 Eandem doctrinam habet Doct. in Collationibus Pariſienſibus, ſeu, ut alij vocant, in Diſputatis: ubi, licet nihil aſſertivè teneat, ſed potius problematicè ad utramquã contradictionis partem diſputet; tamen quotiès eius dicta ibi conformantur cum eius mente, ſive in Comment. Oxomenſibus, ſeu in Reportatis Pariſienſibus, tenenda ſunt, tamquam eius. Diſput. igitur, ſeu Collatione 9. huius operis ſic inquirit: *utrum intellectus, circunſcripto omni actu voluntatis poſsit aſſentire omni per ſe ſcibili?* Et diſtinguens de duplici per ſe ſcibili, ibi videndo, ait: *ergo circunſcripto omni actu voluntatis intellectus poteſt de ſe aſſentire omni ſcibili ab alio, non tamen omni ſcibili in ſe, quia creditur, aut Deum eſſe Trinum, & Unum eſt ſcibile in ſe; & tamen ei non aſſentitur intellectus, niſi concurrat actus voluntatis; quia ſecundum Auguſt., cætera poteſt, quamvis nollens, credere verò non niſi vollens*: ergo quamvis in hac eadem Collatione arguat Doctor, actum voluntatis non requiri ad credendum, tamen, cum detur locus expreſſus in ipſo ex dictis ſupra, idem dicẽdum venit hic in diſputatis.

59 Dices: ſed etiam Doctor dum in dicta Collatione arguit probando, non requiri actum voluntatis ad credendum, habet fundamentum in ſe ipſo in 3. diſt. 25. quæſt. 2. lat. num. 1.: ergo vel ſolutio non eſt ad rem, vel ex ipſa ſequitur, eſſe æquè probabilem in via Scoti, actum voluntatis non requiri ad credendum, ac eſt probabile talem actum eſſe neceſſarium. Prob. min. ex ipſo cit., ubi ait: *ſed contradictionem non video, quin intellectus, ſi fieret merè per ſe, & haberet obiectum præſens, poſſet intelligere, & credere, ſibi præſentato*: ergo loco citato datur fundamentum in ipſo ad aſſerendum, quod intellectus poſſet credere, nullo interveniente actu voluntatis. Reſpondetur primò negando min. Ad prob. explicatur authoritas Doct. ſic: *ſed contradictionem non video, ut intellectus, ſi fieret merè per ſe, poſſet credere abſque conſortio voluntatis habituatæ habitu infuſſo*, aut ſine actu voluntatis, procedente à tali habitu, concedo; & hoc idem ſufficiebat ad reſolvendam partem negativam quæſtionis, quam aſſumpſit ibi Scotus probandam contra Div. Thom., qui requirebat aliquem habitum infuſ-

ſum,

ſum in voluntate ad hoc, ut intellectus per habitum infuſſum fidei præſtaret aſſenſum credibili, ſibi præſentato: *ſed contradictionem non video, &c.*, abſolutè, ita quod abſque non actu voluntatis, tam nudè conſideratę, quam ut auxiliatæ aliquo dono gratiæ excitantis, nego; neque hoc ſenſu locutus eſt ibi Doctor, ut conſtat ex dictis num. 50.

60 Reſpondetur 2., alitèr explicando authoritatem: *ſed contradictionem non video, &c.*; quantum ad rationes, quibus uſus eſt D. Thomas, ad probandam neceſsitatem habitus infuſsi in voluntate, ut intellectus credat, concedo: abſolutè, ita quod intellectus abſque ullo omninò actu voluntatis, ſic, vel ſic conſideratę, poſsit credere ſibi præſentato, nego. Prima ratio Div. Thomę erat hęc: intellectus non poteſt moveri à voluntate ad aſſentiendum obiecto ſupernaturali, niſi in voluntate ſit aliquis habitus ſupernaturalis inclinans ad illud credendum. Quam propoſitionem meritò negat Doct., quia ad ſic movendum ſufficit voluntas informis cum auxilio movente. Secunda ratio erat hęc: quandò duo agentia, unum principale, & alterum inſtrumentale concurrunt ad unum effectum, agens principale debet plus, vel æquè perfici in ordine ad talem effectum, ac agens inſtrumentale, ſeu minus principale; ſed voluntas eſt cauſa principalis actus fidei, & intellectus cauſa inſtrumentalis, ſeu minus principalis: ergo cum intellectus perficiatur habitu ſupernaturali ad producendum actum fidei, potiori titulo debet voluntas perfici habitu ſupernaturali in ordine ad credendum.

61 Sed etiam hęc ratio nullius videtur momenti; cujus maiorem negat Doct. in littera; quia dato, quod intellectus foret cauſa inſtrumentalis, ſeu minus principalis actus fidei, dummodo perficetur habitu ſupernaturali, actus fidei elicitus haberet omnem perfectionem intrinſecam, & eſſentialem, quam deberet habere, etiam ſi voluntas non perficiatur habitu ſupernaturali. Exemplum ponit Doct. de falſitate maioris in inſtrumentis artium, in quibus requiruntur aliquæ diſpoſitiones ad perfectionem effectuum, ut acuties, & duritius in ſecuri ad dividendū lignum, quę tamen diſ-

po-

poſitiones non requiruntur in cauſa partiali, in manu, ſcilicet, aut in ipſa potentia loco motiva. Minor quoque eſt falſa; quia ſi conſideretur actus fidei, ut quædam cognitio ſupernaturalis eſt, tunc ſanè intellectus erit cauſa principalior ejus: ſi verò conſideretur ut liber, & meritorius eſt, tunc utique voluntas erit cauſa principalior. Quare utraque potentia in ſua linea erit cauſa principalis. Si verò cauſa principalis dicatur illa, quæ alteram determinat, tunc voluntas, cuius eſt movere, & determinare intellectum ad credendum, erit cauſa principalior: maneat ergo firmum, ſemper requiri actum poſitivum voluntatis ad credendum; & ſimiliter, ſi talis actus de congruo eſt meritorius gratiæ, erit ex virtute auxilij, & piæ affectionis ex parte voluntatis. Si quæ alia ex Doct. concurrant, declarabuntur.

62 Antequàm ulterius progrediamur, adverte, mirum eſſe, aliquos Thomiſtas ita acriter carpere Subt. Doct., propter ſuum modum loquendi in 4. diſt. 14. q. 2. art. 2. & alibi cum Doct. Angelicus pluribi clarius in favorem Semipelagianorum, cortice tantum litteræ attenta, loquatur, quàm Subt. Doct.: nam Angelicus quodl. 1. art. 8. ad primum ait: *dicendum, quod naturali dilectione, qua Deus ſuper omnia naturaliter diligitur poteſt aliquis magis, & magis uti, & quando in ſummo fuerit, tunc eſt ſumma præparatio ad gratiam habendam.* Ubi docet, dilectionem naturalem Dei in ſummo, eſſe diſpoſitionem proximam ad gratiam juſtificationis. Reſpondent aliqui Thomiſtæ, dilectionem naturalem Dei ſuper omnia non eſſe ex ſe diſpoſitionem ad gratiam, niſi imperetur à charitate, vel conjungatur cum dilectione ſupernaturali; quo pacto non poteſt conjugi in homine lapſo, quin habeat gratiam habitualem. Volunt dicere, quod homo lapſus non poteſt diligere Deum, ut Auctorem naturæ, quin intrinſicè diligat ipſum, ut Auctorem gratiæ; ſed oppoſitum ſuo loco videbimus.

63 Deindè Div. Thomas in 2. diſt. 28. q. 1. art. 4. ait: *ad gratiam, gratum facientem, habendam, ex ſolo libero arbitrio poteſt homo ſe præparare.* Et paucis interjectis: *præparatio, quæ eſt ad gratiam, non eſt per actus, qui ſunt ipſi gratiæ æquandi æqualitate proportionis, ſicut meritum æquatur præmio; & ideò non oportet quod actus, quibus homo ad gratiam habitualem ſe præparat, ſint*

ſint naturam humanam excedentes. Et in reſponſione ad tertium loquens de converſione Pauli, ait : *cum ſe ad gratiam præparavit, gratiam conſecutus eſt ; non autem oportet, quod antequam gratiam, gratum facientem acceperit, ſibi aliquod lumen gratiæ gratis datæ injuſſum fuerit.* Alia plura omitto. Thomiſtę ipſum ſalvant, dicendo, ſenſum eſſe, quod homo non indigeat alia gratia habituali ad recipiendam gratiam ſanctificantem, non verò quod Sanctus Doct. voluiſſet excludere diſpoſitionem procedentem ex auxilio ſupernaturali. Cur ergo & nobis non licebit, Doct. Subt. ſic intelligere, dum ait voluntatem *ex naturalibus* poſſe, ſe diſponere per odium peccati, &c. ?

64 Arguit. 2. : Religio, timor Dei, eleëmoſinæ, & Orationes Cornelij Centurionis fuerunt Deo acceptę, conducenteſque ad vitam æternam; ſed hæc opera elicuit Cornelius abſque operatione divinæ gratiæ : ergo ſimiliter poterit quis ſine gratia, &c. Maior conſtat ex cap. 10. Actorum, ubi dicitur, Cornelium meruiſſe videre Angelum Dei introeuntem, & dicentem ſibi : *orationes tuæ aſcenderunt in memoriam in conſpectu Dñi.* Prob. min. : initium, & origo omnis gratiæ eſt fides ; ſed pro tunc Cornelius nondum fuit fidelis ; cum primò fidem didicerit à Petro, poſtea ad ipſum miſſo : ergo, &c.

65 Reſp. negando min. Ad probat. diſting. min. : ſed pro tunc Cornelius non fuit fidelis, hoc eſt, nondum habuit fidem explicitam de Chriſto, conc. : fidem implicitam, & inchoatam, nego min. Unde, licèt Cornelius, nondum explicitè credidiſſet in Chriſtum, antequàm in fide fuiſſet inſtructus à Petro, tamen non carebat omni fide, ut docet Auguſt. lib. de Prædeſtinatione Sanctorum cap. 7., ubi de Cornelio ait : *nec tamen ſine aliqua fide* (id eſt, inchoata, vel implicita) *donabat, & orabat; nam quomodo invocabat, in quem non crediderat ? Sed, ſi poſſet eſſe ſine fide Chriſti ſalvus, non ad eum edificandum miteretur Architectus Apoſt. Petrus. Quidquid igitur, & antequam in Chriſtum crederet, & cum credidiſſet, benè operatus eſt Cornelius, totum Deo dandum eſt, ne forte quis extollatur.*

66 Arguitur 3. ex illo Zachariæ 1. : *convertimini ad me.* Et Prov. 23. : *fili, præbe mihi cor tuum* ; ſed in his verbis innuitur, hominem ex ſuis viribus, &c. Ergo ita eſt. Nego min. ; quia talia loca Script.

non

non ſic intelliguuntur , ac ſi nos , præveniendo gratiam Dei, inchoaremus noſtram ſalutem; alioquin gratia non eſſet gratia; ſed ſic intelliguuntur , ut detur illęſa noſtra voluntas,quandò ſimul cum gratia operatur; nam etiam in operatione ſalutari habet libertas noſtra ſuas partes , non quidem pręviniendo , ſed ſubſequendo ; non præoperando , ſed cooperando. Unde dixit Trid. ſeſſ. 6. cap. 5. : *cum dicitur : convertimini ad me , & ego convertar ad vos , libertatis noſtræ admonemur* : cum reſpondemus , *converte nos Domine ad te , & convertemur, gratiam Dei nos præveniri fatemur.*

67 Arguit. 4. ex illo Matth. 7. : *petite , & accipietis ; quærite , & invenietis, pulſate , & aperietur vobis* ; ſed hæc verba indicant , Deum velle dare ſuam gratiam petentibus ipſam : ergo, &c. Diſtinguo min. : petentibus ipſam ex virtute gratiæ prævenientis, conc. : petentibus eam ex viribus naturæ , nego min. Solutio eſt clara ex dictis.

68 Arguit. 5. : quod dicit ordinem immediatum ad gratiam juſtificantem eſt ultima diſpoſitio ad ipſam; ſed homo lapſus poteſt ex proprijs viribus facere aliquid , dicens talem ordinem ad gratiam ; ergo, &c. Prob. min.: opus moraliter bonum dicit ordinem immediatum ad gratiam juſtificantem ; nam inter hanc , & tale opus non datur medium; ſed homo ex proprijs viribus poteſt facere opus moraliter bonum : ergo , &c. Nego min. Ad probat. diſting. mai. : opus moraliter bonum , elicitum mediante auxilio ſupernaturali, dicit ordinem , &c. , conc. mai. : elicitum ex ſolis viribus naturæ , nego mai.; & prob.imbibitam ; quia inter opus moraliter bonum , & ipſam gratiam ſanctificantem defacto neceſſariò mediant diſpoſitiones ſupernaturales, ut gratia ſanctificans , connaturaliter recipiatur.

69 Arguit. 6. : ſicut negatio eſt cauſa negationis, ita affirmatio eſt cauſa affirmationis ; ſed peccata oppoſita operibus moraliter bonis indiſponunt hominem ad recipiendam gratiam habitualem : ergo ipſa opera bona moralia diſponunt ad talem gratiam. Reſp. negando mai. ; quia licet , quando affirmatio eſt cauſa adęquata affirmationis , negatio quoque debeat eſſe cauſa adæquata negationis ; non tamen valet è contra. Et ratio eſt , quia negatio eſt de genere mali , quapropter deffectus cuiuſcumque requiſiti ſufficit ad eam inferendam:

dam : affirmatio verò eſt de genere boni ; ideoque ad eam inferendam non ſufficit hoc, vel illud requiſitum , ſed requiritur concurſus omnium. Unde ad negandam exiſtentiam alicuius effectus , ſufficit negatio cauſæ , quantumvis remotæ; & tamen , ut effectus exiſtat, non ſufficit cauſa remota , ſed ulterius requiritur cauſa proxima cum virtute expedita ad agendum in ſuo ordine. Applicando autem ad rem dicimus, quod, ut homo diſponatur ad gratiam , non ſufficit ſola virtus ejus naturalis, ſed ultra requiritur, quod per aliquod comprincipium ſupernaturale conſtituatur in actu primo proximo ordinis ſupernaturalis, ut ſupernaturalitèr operetur,quod homo ſe ſolo nequit facere.

70 Arguit. 7. : ultima diſpoſitio ad gratiam debet eſſe aliquis actus humanus, ut voluntarius, & liber ; ſed quod actus humanus ſit voluntarius, & liber non provenit à gratia, ſed ex ſola facultate liberi arbitrij ; ſiquidem gratia determinat ad unum , ſcilicet , ad bonum: ergo ſola voluntas ſufficit , &c. Diſtinguo min. : ſed, quod actus humanus ſit voluntarius , & liber , voluntarietate , & libertate purè naturali, non provenit à gratia , conc.: voluntarietate , & libertate ſupernaturalizata, nego min. Unde in ultima diſpoſitione ad gratiam reperiuntur iſtæ duæ formalitates ſcilicèt libertas, & ſupernaturalitas , quarum prima correſpondet libero arbitrio , & ſecunda gratia ; ipſe tamen effectus utriuſque concauſæ , ſcilicèt diſpoſitio , eſt totus totalitate effectus ab utroque comprincipio : ad modum, quo dicitur de viſione beatifica , reſpectu intellectus , & luminis gloriæ : & de fruitione reſpectu voluntatis , & habitus charitatis.

71 Arguit. 8.: quo plura opera moralitèr bona exercet homo , eo magis diſponitur ad gratiam ; ſed homo ex proprijs viribus poteſt talia opera maxima intenſione exercere : ergo poteſt naturalitèr , &c. Prob. mai. : homo , quo plura opera moralitèr bona exercet , eo fit minus ineptus ad gratiam conſequendam ; cum huiuſmodi ineptitudo proveniat à peccatis , quę impediuntur per exercitium bonorum operum; ſed ineptitudo , ſeu indiſpoſitio ad aliquam formam nequit minui , quin creſtat diſpoſitio, ſeu habilitas ad eam recipiendam : ergo, &c. Urgetur: ubi requiritur minus auxilium , ut homo diſponatur ad gratiam, ibi requiritur maior diſpoſitio ad eam obtinendam ; ſed in

eo, qui plura opera moraliter bona exercet requiritur minus auxilium pro ejus converſione, quam in eo, qui talia operia non exerceret, ſed potius per repetita peccata impedimentum apponit divinę gratię: ergo quanto plura opera moraliter bona exercet homo, tanto magis diſponitur ad gratiam conſequendam.

72 Reſp. negando ſuppoſitum primę mai.; ſupponit namque, quod homo per unum, vel plura opera moraliter bona, elicita ex viribus ſolius naturę, diſponatur ad gratiam: quod falſum eſt. Unde ſicut homo per primum opus moraliter bonum non diſponitur poſitivè ad gratiam; cum tale opus nullum dicat ordinem exigentiæ ad illam, ſed præciſè, & adæquatè tendat in finem aliquem naturalem, ita per repetitionem prædicti operis non fit homo poſitivè habilior, magiſque diſpoſitus, ut gratiam conſequatur. Ad prob. diſting. mai.: homo, &c.; fit minus ineptus ad gratiam conſequendam, ſumpta minori ineptitudine pro vitatione novi peccati, mediante exercitio bonorum operum, conc. mai.: ſumpta minore ineptitudine pro expulſione peccati antecedentis, aut pro ullo ordine exigentiali ad gratiam juſtificationis, nego maiorem.

73 Itaque, licet homo lapſus, exiſtens in mortali, poſſit naturaliter ſe exercere, ſaltim pro brevi tempore, in operibus moraliter bonis, medijs, quibus vitat peccata nova, quamvis antiquum, in ipſo præexiſtens non expellat; non tamen per tale exercitium redditur minus ineptus ad receptionem gratiæ; cum, propriè loquendo, ſolum inde ſequatur, quod non reddatur magis ineptus, nec novam indiſpoſitionem inducat. Ratio igitur diſpoſitionis, propriè talis, non conſiſtit in vitatione novi impedimenti, ſed in expurgatione ſubiecti à diſpoſitione, contraria ad novam formam inducendam. Unde cum homo per opera moralia ordinis naturalis non ſe expurget à peccato mortali, nec ad gratiam accedat, inde eſt, quod per receptionem talium operum, ſolum non ſe indiſponit; minime tamèn ſequitur, quod ſe diſponat ad ipſam. Verum eſt, quod, ſi duo ſimul ad gratiã reſurgunt quorũ unus antecedentèr ſe exercebat in operibus bonis, & alter in malis, poſtea promptius, & facilius ſe exercet in actibus virtutum, tam moralium, quam infuſſarum ille, quĩ

qui conſuetudinem habebat benè operandi, in ſtatu peccati exiſtens, quam alter, qui malè operando habitum vicioſum acquirebat.

74 Ad urgentiam nego mai.; quia idem auxilium requiritur in eo, qui exercet plura opera moralitèr bona, ac in eo, qui efficit pauciora, vel nulla; ſi ſermo ſit de auxilio, requiſito ad ultimam diſpoſitionem, ut debet eſſe. Verum, ſi loquatur de diſpoſitionibus remotis, quæ incipiunt per emoltionem cordis; attendemuſque ad communem, & ſuavem converſionem peccatoris, fatendum eſt plura auxilia gratię deſiderari ad converſionem illius, qui per plura peccata eſt quaſi obſtinatus in malo, quam illius, qui plura opera bona exercet. Hoc tamen non provenit ex eo, quod unus, vel alter eorum habeat ullam diſpoſitionem ad gratiam; ſed ex eo, quod unus ſit minus indiſpoſitus, quam alter, eo quòd habeat pauciora impedimenta. Exemplum: ponantur duo ligna, quorum unum, ſit frigidum, ut duo, & alterum ut ſex; neutrum tamen habet gradum aliquam caloris, & conſequentèr neutrum eſt poſitivè diſpoſitum ad formam ignis habendam; & nihilominus frigidum, ut duo, eſt minus indiſpoſitum ad formam ignis, quam frigidum ut ſex. Et, ſicut ex eo, quod requiratur maior virtus ad diſponendum frigidum, ut ſex, ad formam ignis, quam ad diſponendum frigidum, ut duo, non ſequitur, quod frigidum ut duo habeat aliquam diſpoſitionem poſitivam ad formam ignis; cum talis poſitiva diſpoſitio non conſiſtat in maiori, vel minori carentia frigiditatis, ſed in poſitione caloris: ita ex eo, quod copioſior gratia requiratur ad converſionem maximi peccatoris, quam ad converſionem alterius, minora peccata habentis; minimè infertur, quod iſte habeat ullam diſpoſitionem poſitivam ad gratiam, ſed ſolum, quod, ſit minus indiſpoſitus ad eam habendam, quam peccator obſtinatus.

75 Arguit. 9.: ſi actus vindicandi peccatum, ut eſt offenſivum Dei, non eſſet à Deo ordinatus ad finem ſupernaturalem; requireretque Deus proportionem inter talem actum, & finem ſupernaturalem, jam iſte actus poſſet fieri ex viribus ſolius naturæ; ſed hujuſmodi actum vindicativum, eſſe ordinatum, & volitum à Deo, ut quid proportionatum inter ipſum, & finem ſupernaturalem, eſt denominatio extrin-

trinseca in ipso actu ordinato: ergo ultra vires naturæ nihil requiritur, ut talis actus sit medium, seu dispositio ad gratiam. Confirmatur: tota substantia talis actus, seu alterius cuiuscumque dispositionis ad justificationem est intrinsicè naturalis: ergo tota potest produci à natura; & consequentèr ultima dispositio ad gratiam à sola natura, &c.

76 Resp. distinguendo min.: sed esse ordinatum, &c.; est denominatio extrinseca, supponens denominationem intrinsecam divini influxus, vel in ipso principio productivo, vel in actu producto, conc.: est denominatio extrinseca, purè naturalis, seu non supponens, &c.; nego min. Denominatio igitur meriti, & ordinati in actibus moralibus, conducentus prout oportet ad salutem, secundum leges præsentis providentiæ, servat talem ordinem, ut Deus, volens peccatorem justificare, decernit hoc facere medijs actibus moralitèr bonis faciendis ex motivo supernaturali, eliciendisque cum auxilio gratiæ. Unde illi actus, qui aliundè essent merè naturales, si ex fine naturali fierent, sunt deputati, & à Deo ordinati ad rationem dispositionis meritoriè de congruo gratiæ justificantis, eo ipso, quod ex fine supernaturali, & auxilio gratiæ eliciantur: contrarium accideret, si Deus, ut potest, naturam beatificabilem, in puris naturalibus existentem, eiusque actum ad meritum salutis æternæ acceptaret, ut docet Doctor in 1. dist. 17. quæst. 3.

77 Ad confirmationem disting. antec.: tota substantia talis actus, qui non est meritum de congruo gratiæ justificationis, est intrinsecè naturalis, conc. antec.: substantia actus, qui est meritum congruum, seu dispositio ad justificationem, subdistinguo; est intrinsecè naturalis, scilicèt, non habet in se aliquam formam supernaturalem, transeat antec.: est intrinsicè naturalis, id est, non fit ab aliquo com principio supernaturali, nego antec. Dixi *transeat antecedens*, quia secundum diversitatem opinionum, influxus divinę gratiæ naturę rationali indebitus, ad se disponendum ad justificationem, ab aliquibus dicitur recipi in ipso actu dispositivo, & tunc talis actus habet in se formalitatem illam in-

influxus ſupernaturalis : ab alijs verò dicitur recipi, non in actu, ſed in voluntate, & tunc talis actus tantum effectivè, non verò formalitèr dicitur ſupernaturalis. Huic ſecundò modo magis videtur accedere Doct. in 4. diſt. 10. q. 6., ubi docet, ſupernaturalitatem in rebus creatis attendi penes ordinem ad agens. Sed quidquid ſit de hoc, perinde eſt, ad noſtrum propoſitum ; cum nobis ſufficiat dicere, actus diſpoſitivos peccatoris ad juſtificationem eſſe talis conditionis, ut fieri nequeant à natura, ſed neceſſario ad eos concurrere aliquod comprincipium ſupernaturale.

78 Arguitur denique ex Doct. in Reportat. lib. 2. diſt. 7. quæſt. 3. in reſolutione primæ quæſt. §. *dico igitur ad quæſt.* num. 13. ubi ait : *& ſi dicatur, quod neceſſe eſt in juſtificatione impij, quod primò immediatè infundatur à Deo gratia gratis data, non videtur mihi, quod neceſſe ſit, ponere gratiam gratis datam præcedere hunc motum*; quia plura non ſunt ponenda ſine *neceſsitate*. Et paulò poſt num. 16. ℣. *item, niſi ſic eſſet*, ait: *igitur, ut videtur, homo ex ſe poteſt habere primum motum ex diſpoſitione propria cum communi influentia Dei.* Ex quibus ſic : ut impius juſtificetur, non eſt neceſſarium juxta Scotum, quod gratia gratis data primò, è immediatè à Deo infundatur impio, ſeu quod præcedat eius motus ; ſed gratia gratis data, de qua Doct. hic, nequit eſſe aliud, quam auxilium ſupernaturale præveniens : ergo tale auxilium, iuxta Doct. non eſt neceſſarium, ut impius juſtificetur ; & conſequentèr naturalitèr poterit, &c. Iſte ſecundus textus manet explicatus in reſponſione ad primum argumentum, explicando illud : *cum communi influentia*.

79 Ut legi prædictam auctoritatem, miratus ſum, Noſtrum Cavellum in ſuo Scholio 3. ſuper quæſt. 1. diſtinctionis 14. lib. 4. Reportat. citaſſe Doct. in 2. Report. diſtinct. 6. num. 8. (debebat dicere diſtinct. 7. num. 13.) ut Auctorem iſtius propoſitionis : *neceſſe eſt, quod in juſtificatione impij primò immediatè à Deo infundatur gratia gratis data* ; nam, licèt verùm ſit, hęc verba ibi reperiri, ſenſum ta-

tamen contradictorium faciunt, ſecundum quod jacent in littera, & adducuntur in argumento num. antec. Legantur, & conſtabit. Ex quo patet, hæc verba, prout à Scholiaſte citato adducuntur, non poſſe tribui Doctori.

80 Pro cuius mente indaganda, advertendum eſt primo ex dictis in antec. Tract., quod auxilium ſeu gratia actualis excitans non conſiſtit in aliqua entitate, ſeu qualitate, à ſolo Deo phyſicè totalitèr producta, nihil omnino cooperante potentia vitali creata ad ejus productionem phyſicam. Ibi enim diximus, gratiam excitantem conſiſtere in actibus vitalibus ſanctę cogitationis, ſeu illuminationis ex parte intellectus, motuſque ſubiti, ſeu piæ affectionis ex parte voluntatis. Quam doctrinam potius hic ſupponimus, quam diſputamus, contra Thomiſtas, communitèr docentes, gratiam excitantem conſiſtere in quadam qualitate fluida, & mortua priori natura operatione, & quaſi intermedia inter actum prædeterminativum Dei, & operationem voluntatis creatæ: quæ qualitas inter ipſos communitèr appellari ſolet *motio quædam virtuoſa, & cauſalitas Dei moventis*, à quo ſolo producitur, nihil cooperante potentia vitali. Videantur ibi dicta, ut rationes in contrarium ſolvuntur.

81 Advertendum eſt 2., quod Doct. citat., reſolvens prim. quæſt. in ordine, quę inquirit: Utrum mali Angeli poſsint pœnitere? Tangit quatuor modos juſtificandi impium. Utque Deus non dicatur acceptator perſonarum, ſed potius in manu cuiuſque ſit concurrere ad ſuam juſtificationem, præfert quartum modum juſtificandi, ut probabiliorem, ſcilicet, quod ex duobus, quibus Deus æqualitèr aſsiſtit per generalem influentiam ordinis gratiæ, unus concurrit per liberum arbitrium, alius non. Accipite proceſſum litteræ: *quadruplicitèr poteſt ſalvari impius. Primo, quod Deus infundat claritatem abſque aliquo motu eius bono in Deum, ſicut in parvulum, vel dormientem. Secundo, ſi Deus infundat charitatem cum aliquo motu ejus in Deum, ſimul durante cum infuſione charitatis, ita quod ille motus ſit immediatè à Deo, ſicut charitas.* Notate hæc ultima verba, in quibus dicitur illum motum eſſe immediatè à Deo, ſicut eſt ipſa charitas; ſed charitas ſic eſt à ſolo Deo, ut potentia vitalis ad eam nihil cooperetur: ergo & motus impij ad juſti-

fi-

ficationem in hoc ſecundo modo juſtificandi.

82 *Tertiò*, proſequitur Scotus, *ſi præcedat bonus motus liberi arbitrij charitatem infuſſam duratione : & hoc dupliciter poteſt intelligi , vel quod ille motus ſit à Deo immediate effectivè* (en etiam, quomodo à motu ad juſtificationem in hoc tertiò modò excludit cooperationem potentiæ vitalis creatæ) ; *vel quod ille bonus motus ſit effectivè à libero arbitrio, licet , non ſit bonus , hoc eſt, gratuitus* (intellige de condigno) ; *ita quod Deus ſolum coagat libero arbitrio in cauſando hunc motum , ſecundùm generalem influentiam : & ille eſt quartus modus. Si primò modo juſtificetur , ipſe non dicitur pœnitere , quia nullum motum habuit in Deo , priorem natura, nec duratione. Secundo modo , poteſt dici aliquomodo pœnitere , qui , ſi iſte bonus motus , qui eſt ſimul duratione cum charitate , ſit prius natura charitate , tunc poteſt dici pœnitere , ſed non debet dici talis ſalvatus per pœnitentiam quia ex quo ſunt ſimul duratione , ſimul pœnitet , & Deus infundit , & immediatè cauſat iſtum motum ; & ideo non meruit de congruo habere gratiam.* Et in margine addit Marginiſta : *non pœnitet per id, quod à ſolo Deo fit.*

83 *Tertiò modò præcedit bonus motus duratione charitatem infuſſam , vel gratiam. Et , ſi dicatur , quod neceſſe eſt , quod in juſtificatione impii primo immediatè à Deo infundatur gratia gratis data ; non videtur mihi , quod neceſſe ſit ponere, gratiam gratis datam præcedere iſtum motum ; quia plura non ſunt ponenda ſine neceſsitate ; & iſte motus in Deum , qui eſt immediatè à Deo , per liberum arbitrium , ſufficit reſpectu gratiæ , gratum facientis de congruo : igitur inutile eſſet , ponere gratiam gratis datam præcedentem , cum nihil faceret.*

84 Et paucis interpoſitis ſic proſequitur num. 15. : *ideò magis videtur , quod ſit tenenda quarta via , quod hic ſint duo æqualitèr diſpoſiti , & Deus utrique aſſiſtit coagendo ſecundum generalem influentiam , & tunc unus movetur in Deum effectivè à libero arbitrio , alius non. Iſte poteſt eſſe bonus motus bonitate moris , & ſi non ſit motus gratuitus , acceptus Deo, ſicut exiſtens in charitate ; & tunc Deus influit de congruo alteri charitatem , alteri non ; ita quod diſtinctivum initians incompletè eſt à libero arbitrio* (intellige ſimul cum gratia, ſicut notat hic Marginiſta) , *tamen non poteſt eſſe diſtinctio quantum ad acceptionem actus , antequam*

Deus

Deus immediatè diſtinguat iſtud. Et poſt pauca ait : *igitur, ſi intellectus oſtendit ſibi* (impio ſcilicèt) *obiectum, in quo eſt verum bonum, poſſet illud eligere, ſaltèm informitèr, quantumcumque maneat ſimplicitèr averſus à bono. Cum iſta electione informi finis ſimplicitèr poteſt voluntas habere aliquam diſplicentiam informem de peccato commiſſo, quæ non eſt meritoria* (de condigno) *quia non eſt in gratia.* Et tandem num. 16. ſic concludit : *igitur, ut videtur, homo ex ſe poteſt habere primum motum ex diſpoſitione propria cum communi influentia Dei, illud ſalvat aliquam operationem naturæ in juſtificatione, quod non ſe habet tantum paſſivè, & quod Deus non eſſet acceptator perſonarum, & quod exiſtens in peccato mortali, poteſt per naturam ſuam cum influentia generali habere bonum actum moralem; ideò videtur quarta via probabilior.* Nimirùm quod bonus motus, qui dicitur diſpoſitio de congruo ad juſtificationem, ſit effectivè à libero arbitrio peccatoris, Deo ipſi coagente ſecundum generalem influentiam ordinis gratię. Quibus præmiſsis,

86 Reſp. argumento diſting. mai. : ut impius juſtificetur non eſt neceſſarium, juxta Doct., quod gratia gratis data, à ſolo Deo creata independentèr ab omni cooperatione potentiæ vitalis, primò & immediatè à Deo infundatur impio, ſeu, quod præcedat eius motum, conc. mai. : non eſt neceſſarium, quod gratia gratis data, immediatè producta à Deo, & ſimul à potentia vitali phyſicè cooperante, & immediatè, & primo infundatur impio, nego mai. : Et quoad ſecundam part., ſcilicet, *ſeu quod præcedat eius motum*, ſubdiſtinguo : non eſt neceſſarium, quod præcedat ejus motum indeliberatū, conc. mai. ; immò hoc implicaret, quia gratia gratis data, in noſtra ſententia, eſt intranſitivè ipſemet actus indeliberatus: non eſt neceſſarium, quod præcedat eius actum deliberatum, & liberum, nego mai. Et diſting. min. : ſed gratia gratis data, de qua Doct. hic, quamque, ait, non neceſſariò præcedere actum diſpoſitivum ad juſtificationem, nequit eſſe aliud, quam auxilium ſupernaturale præveniens, à ſolo Deo productum, independentèr à cooperatione potentiæ vitalis (ſi detur tale auxilium), conc. min. : nequit eſſe aliud, quam auxilium ſupernaturale præveniens, conſiſtens in actibus indeliberatis intellectus, & voluntatis, nego minorem; quia gra-

gratia gratis data in hoc ſecundo ſenſu neceſſariò requiritur in via Doct., nedum ut impius ſe diſponat ad juſtificationem, ſed etiam, ut iuſtus meritorie de condigno operetur, iuxta dicta in probationibus.

87 Ex quibus omnibus, ſi comparentur cum authoritate, in argumento adducta, conſtat, Doct. hic nihil docere, quod non ſit undequaque conſonum noſtræ concluſioni; nam ſi dicit, gratiam gratis datam non videri neceſſariam ad hoc, ut impius ſe diſponat de congruo ad juſtificationem, loquitur de illa gratia gratis data, quæ ſecundum aliquos DD. à ſolo Deo effectivè producitur, potentia vitali, nihil omninò cooperante; non verò de gratia gratis data, conſiſtente in actibus indeliberatis intellectus, & voluntatis, qui fiunt in nobis ſine nobis liberè, & cum advertentia operantibus, phyſicè tamen, & neceſſariò concurrentibus.

88 Quod ſolum ibi excludat gratiam gratis datam, quæ à ſolo Deo independenter à potentia vitali produci poteſt, patet, tum primò, quia inutile eſſet ponere talem gratiam præcedentem bonum motum, cum nihil faceret. Tum ſecundò, quia ſi poneretur talis gratia, à ſolo Deo producta, & præcedens bonum motum, haberet infallibiliter producere, ſeu ſecum ferre juſtificationem, & ſic natura nullam cooperationem haberet in juſtificatione ſui, ſed merè paſſivè ſe haberet, quod intendit Doct. evitare, tamquam inconveniens. Tum tertiò, quia ſi poneretur talis gratia, ſic antecedens, & independens à liberò arbitrio, non poſſet ſalvari, quod Deus non eſſet acceptator perſonarum; quia, ut ait Doct. in littera num. 14. in fine: *aut Deus cauſat iſtam motionem in hoc ſicut in iſto, cum æqualitèr poſsit? Aut non cauſat? Si ſic: uterque recipit: igitur de congruo debet recipere ſecundam gratiam. Si non: igitur videtur acceptator perſonarum.*

89 Nullum verò ex iſtis inconvenientibus ſequitur ex modo dicendi Doct., docentis ſecundum quartam viam, quam ipſe tenet, quod ex duobus impijs æqualitèr diſpoſitis, & quibus Deus æqualitèr aſsiſtit coagendo ipſis ſecundum generalem influentiam ordinis ſupernaturalis ſuæ gratiæ, unus moveatur in Deum effectivè à libero arbitrio, quia vult; alius verò non ſic movetur, quia non vult, etſi habeat eandem aſsiſtentiam ex parte Dei

ac ille, qui convertitur. Unde, quando dicit Doct. in littera, *quod actus elicitus per liberum arbitrium cum illa influentia generali, ſit actus bonus moralis*, per hoc minimè ſignificat, talem actum poſſe produci à ſola natura; nam etiam vocat hic motionem ſpecialem à Deo immediatè cauſatam ſimul cum libero arbitrio, ut eſt diſpoſitio ad juſtificationem *motum bonum moris*, ſeu actum moralitèr bonum. Inſuper in littera nullum actum vocat ſupernaturalem, niſi illum, qui eſt gratus, id eſt, meritorius de condigno, qui, inquit, tantum reperitur, ubi adeſt charitas, quod quidem veriſsimum eſt; proptereaque motum cum influentia generali præcedentem juſtificationem, vocat hic electionem informem, & diſplicentiam informem, *quæ*, inquit, *non eſt meritoria, quia non eſt in gratia*. Per quod patet ad argumentum, quomodocumque fundatum in prædicto textu.

QUÆST. SECUNDA.

An homo lapſus poſsit naturaliter ſe diſponere remotè ad juſtificationem? Ubi de illo axiomate: facienti, quod eſt in ſe Deus non denegat gratiam.

90 EX quæſt. antec. conſtat, hominem pro ſtatu iſto non poſſe ex viribus ſolius naturæ ſe diſponere proximè ad juſtificationem; quare nunc reſtat examinandum: an poſsit remotè ſic ſe diſponere. Et ſenſus huius quæſt. eſt: utrum homo ex viribus ſolius naturę poſsit elicere aliquod opus moralitèr bonum, quod ſit proximè meritorium de congruo primę gratiæ auxiliantis? In quo dubio varij ſunt modi dicendi, ut poſtea conſtabit. Pars negativa eſt communis in utraque Schola contra Semipelagianos, ſeu Maſsilienſes, aſſerentes, initium ſalutis eſſe ex nobis. Pars affirmativa, licèt non in ſenſu hæreticorum, ſed cum aliquibus reſtrictionibus, poſtea referendis, defenditur à multis Ieſuitis poſt Molinam. His prę̃miſsis, ſit

91 Concluſio: *homo lapſus per ſolas naturæ vires nequit ſe ſolo mereri, aut conſequi primam gratiam auxiliantem*. Prob. primò

primò concluſio ex Concilio Arauſicano 2., can. 25. dicente: *hoc etiam ſalubritèr profitemur, quod in omni opere bono nos non incipimus, & poſtea per Dei miſericordiam adjuvamur; ſed ipſe in nobis, nulli præcedentibus bonis meritis, fidem, & amorem ſui prius inſpirat.* Idem docet Trident. ſeſſ. 6. cap. 5. dicens: *juſtificationis exordium in adultis à Deo per Ieſu-Chriſti prævenientem gratiam, ſumendum eſſe, hoc eſt ab ejus vocatione, qua, nullis eorum exiſtentibus meritis, vocantur*; ſed ſi homo ex viribus ſolius naturæ poſſet poſitivè ſe diſponere ad primam gratiam excitantem, exordium noſtrę juſtificationis non eſſet à vocatione Dei, qua nullis exiſtentibus meritis ex parte noſtri, nos vocat: ergo homo ex viribus naturæ non poteſt ſe poſitivè diſponere, adhuc remotè, ad juſtificationem. Idem docent communitèr SS. PP., & præcipuè D. Auguſt., & Proſper contra Maſsilienſes.

92 Prob. 2. ratione: implicat primum auxilium gratiæ non eſſe gratiam; ſed ſi homo ex viribus ſolius naturæ poſſet ſe poſitivè diſponere ad primam gratiam auxiliantem, iam tale auxilium non eſſet gratia: ergo, &c. Prob. min.: caſu, quo homo poſſet ſe poſitivè diſponere ad primum auxilium gratię, jam tale auxilium non excederet facultatem, & exigentiam naturæ, nudè ſumptæ; ſed eo ipſo, quod non excederet facultatem, & exigentiam naturæ, nudè ſumptæ, tale auxilium non eſſet gratia ſupernaturalis, de qua eſt quæſtio: ergo, ſi homo, &c. Hæc ratio fundatur in illo Pauli ad Rom. 11.: *ſi autem gratia, jam non ex operibus, aliòquin gratia non eſſet gratia.* Et ad Epheſios 2.: *gratis eſtis ſalvati per fidem, & hoc non ex vobis; Dei enim donum eſt.*

93 Confirmatur: ſi homo ex naturalibus poſſet ſe poſitivè diſponere ad primam gratiam excitantem, ſeu prævenientem, jam talis gratia non diceretur excitans, aut præveniens, ſed potius excitata à nobis, & à nobis præventa; ſed hoc, ut patet, eſt abſurdum: ergo, &c. Maior conſtat; quia ſi ex viribus naturę noſmetipſos præpararemus ad gratiam, Deum præveniremus, ipſumque excitaremus ad conferendam nobis gratiam. Urgetur: eo ipſo, quod homo ex puris naturalibus poſitivè ſe ipſum diſponeret ad primam gratiam, etiam ex puris naturalibus ſe ipſum diſcerneret, & non ex gratia Dei; ſed hoc eſt contra illud Pauli: *quis*

eſt,

eſt, qui te diſcernit ? Quid habes, quod non accepiſti :: quis prior dedit illi & retribuetur ei, quoniam in ipſo, & ex ipſo, & per ipſum ſunt omnia: ergo, &c.

94 Arguit. 1. ex Chryſoſtom. homil. 17. in Ioann. ajente : *hinc admonere poſſumus, Deum ſuis in beneficijs noſtras non prævenire voluntates :: ſed cum nos prompto, paratoque animo ad ſuſcipiendam gratiam exhibemus, tunc multas offert nobis ſalutis occaſiones.* Et homil. 12. in Epiſt. ad Hębreos : *oportet nos quippè eligere primum, quæ bona ſunt : & tunc, ipſe quæ ſua ſunt introducit : non antecedit noſtras voluntates, ne lædatur arbitrium : cum autem nos elegerimus, multam, tunc nobis offert auxiliationem* ; ſed hæc doctrina eſt eadem cum doctrina Caſsiani, qui fuit Maſsilienſium Anteſignanus, Diſcipulusque ejuſdem Chryſoſtom. : ergo vel dicendum eſt, quod homo poteſt ſe naturaliter diſponere ad primam gratiam excitantem : vel quod Chryſoſt. fuerit ciuſdem ſententiæ cum Semipelagianis. Vazquez prima parte Diſput. 91. cap. 8. judicat, non ſolum Chryſoſt., ſed reliquos Patres Grecos lapſos eſſe in Semipelagianiſmum.

95 Sed ſanè eſt valdè dubium Chryſoſtom., cum tot Patribus in Semipelagianiſmum inducere ; cum relata Chryſoſtom. verba facile explicentur. Prima ergo auctoritas ſic explicatur: hinc admonere poſſumus, Deum ſuis in beneficijs principalioribus noſtras non prævenire voluntates, ſed à nobis incipiendum eſſe, concedo : in beneficijs minus principalibus ſupernaturalibus tamen, nego. Declaratur ſolutio : licèt utraque gratia, tam excitans, quam ſanctificans ſit beneficium ſupernaturale, tamen gratia ſanctificans præfertur excitanti, quia iſta ſolum movet ad diſponendum, illa verò animam à maculis emundat. Unde, dum dicit Chryſoſt., quod Deus in ſuis beneficijs non prævenit noſtras voluntates, ſed quod noſmetipſi incipimus, intelligendus eſt de beneficio gratię ſanctificantis, quam minimè conſequeremur, ſi noſmetipſi non inciperemus, non quidem ex nobis ſolis, ſed ſimul ex adjutorio gratiæ excitantis, eliciendo aliquod opus ſupernaturale, meritorium de congruo gratiæ juſtificantis.

96 Hęc ſolutio non eſt voluntaria, ſed fundata in ipſo Chryſoſt. homil. 70. in Matth. ajente : *vocatio, & purgatio ipſa ex gratia ſunt, ut vero vo-*

ca-

catus jam, & candida indutus veſte (id eſt, gratia ſanctificante) *ſe ipſum non maculet, ad diligentiam quoque pertinet vocatorum; nam non quia dignus, ſed quia gratia tibi largita eſt, vocatus fuiſti; oportebat te vicisſim pro gratia non nihil reddere.* Et homil. prima ſuper Epiſt. ad Epheſios: *ſi Chriſti fidem amplectimur: ſi ad Deum acceſſerimus hoc eſt eius munus eſt, qui nos vocavit; ſed tamen hoc noſtrum.*

97 Ad ſecundam auctoritatem dicimus Sanct. Doct. ibi diſputantem contra Manicheos, negantes liberum arbitrium exciſsivè locutum eſſe, nimis exaltando vires liberi arbitrij, quòd frequentèr facit in ſuis ſermonibus ad Populum, ne torperet iſte à bonis operibus, ſed divinæ gratiæ per liberum arbitrium cooperaretur. Solum ergo intendit, Deum non ſic prævenire voluntatem, ut electionem ejus liberam impediat, ut delirabant Manichei, omnia tribuentes fatali cuidam neceſsitati. Unde, quod in prædictis verbis ſic exceſsivè locutus ſit, non probat, eum ſtare pro Maſsilienſibus; alioquin diceremus, Auguſt., diſputantem contra Manicheum, ſtare pro Pelagio, nam ſæpe ſæpius, dum diſputat contra Manicheum, ita extollit liberum arbitrium, ut videatur opprimere gratiam: & dum diſputat contra Pelagium, negantem neceſsitatem gratiæ internæ, ita gratiam interiorem depradicat, ut liberi arbitrij videatur penitus obliviſci. Iſte arguendi modus, & utilis, & frequens eſt apud Patres, quando impugnant in hæreticis hæreſes, extremè oppoſitas medio veritatis, & fidei.

98 Arguit. 2.: opera naturalia, moralitèr bona, merentur de congruo prima auxilia gratiæ ſupernaturalis; ſed homo poteſt naturalitèr efficere huiuſmodi opera: ergo, &c. Prob. min.: ſupremum infimi attingit infimum ſupremi; ſed opera naturalia moraliter bona habent ſupremum gradum in his, quæ ſunt ordinis naturalis: ergo poſſunt attingere ea, quę ſunt ordinis ſupernaturalis infimi, quălia ſunt prima auxilia gratiæ; & conſequenter, &c. Reſp. negando mai. Ad eius prob. diſting. axioma: ſupremum infimi attingit infimum ſupremi, quando ſupremum, & infimum ſunt intra eundem ordinem, conc. mai.: quando ſunt in diverſo ordine, nego maior.

Illud.

Illud ergo proloquium : supremum infimi, &c. ; solum habet locum in illis, quæ intra eundem ordinem se invicem excedunt, ita quod sensus sit, quod supremum infimi in ordine naturali attingat infimum supremi eiusdem ordinis ; non verò, quod supremum ordinis naturalis attingat infimum ordinis supernaturalis ; cum isti ordines adæquatè se invicem excludant. Quapropter opera moralitèr bona, facta ex viribus solius naturæ, nequaquàm merentur auxilia gratię.

99 Arguit. 3. : sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis ; sed homo ratione maioris conatus liberi arbitrij consequitur maiora auxilia gratiæ supernaturalis : ergo absolutè ratione conatus ipsius liberi arbitrij potest consequi auxilia eiusdem gratiæ. Minor constat ; quia gratia præveniens consistit in aliquo actu indeliberato, quo illustratur intellectus, & excitatur voluntas ad bonum : ergo quo huiusmodi actus fuerit intensior, eo gratia pręveniens erit maior : ergo, quanto homo magis conetur, tanto maiora auxilia gratiæ consequetur. Huic argumento respondent Salmanticenses negando min. : ad cuius probat. negant antecedens; eo quod gratia pręveniens non sit, iuxtæ ipsos, formalitér aliquis actus vitalis, sed potius quædam motio mortua, & fluida, elevans, & excitans potentiam, ut prędictum actum vitalem eliciat. Sed, quia hæc doctrina non est conformis nostris principijs, ideò

100 Respondetur distinguendo min. : sed homo ratione maioris conatus liberi arbitrij, jam auxiliati per gratiam consequitur maiora auxilia, conc. min. : liberi arbitrij nudè accepti, & præcisivè ab omni auxilio, nego min. Quantumcumque ergo conetur liberum arbitrium sibi derelictum, nullum auxilium gratiæ mereri poterit : si autem auxilio primo excitanti cooperetur, merebitur ulteriora auxilia. Ad prob. conceditur antec., quod est verisimum in nostris principijs, & distinguitur consequens : ergo quo huiusmodi actus fuerit intensior intensione supernaturali, proveniente ab ipsa gratia excitante, quæ iuxta nos est actus vitalis indeliberatus, eo gratia præveniens erit maior, conc. antec. : si prædicta intensio unicè proveniret à nudo conatu liberi arbitrij, nego consequentiam. Solutio patet ex varijs locis huius Tractatus.

101 Arguitur 4. : si homo

mo ex viribus naturæ non poſſet conſequi gratiam auxiliantem, ſaltem primam, qua ſe diſponeret remotè ad juſtificationem, Deus eſſet acceptator perſonarum; ſed hoc eſt falſum: ergo, &c. Prob. mai.: ſi Deus pro libito ſuæ voluntatis non attentis bonis operibus hominum, uni ocioſo peccatori conferret auxilia, alteri verò, qui ſe pro viribus præpararet ad gratiam, non conferret, hæc inæqualitas non poſſet non reduci in voluntariam acceptationem ex parte Dei: ergo, &c. Huic argumento reſpondetur negando mai. cum ſua probatione. Ratio eſt; quia tunc ſolum contingit vitium acceptionis perſonę, quando ſuperior æqualitèr utrique debet, & uni ſalvet, & alteri non, quod vitium eſt oppoſitum juſtitiæ diſtributivæ; Deus autem, abſolutè loquendo, nulli debet ſuam gratiam, ſiquidem nulla creatura habet jus ad huiuſmodi formam, quam Deus donat ex merò titulo ſuæ libertatis, & quidem omnibus affluentèr, ut manet dictum in 1. Diſputat. præſentis Tract.; unde in ipſo nulla acceptatio perſonarum reperitur. Dixi *abſolutè loquendo*, ſuppoſita enim elevatione naturæ rationalis ad finem ſupernaturalem, ipſi omninò indebitum, iam Deus tenetur conferre omnibus, & ſingulis: uti defacto confert, & collaturus eſt ſemper auxilia, ſaltem mediatè ſufficientia, quæ ſunt media neceſſaria, & indiſpenſabilitèr requiſita ad talem finem conſequendum. Quare, quod unus adultus juſtificetur, altèr verò non, provenit ex eo, quod unus cooperatur gratiæ excitanti, alter verò eandem, vel maiorem pro ſuo libito reſpuit.

102 Et, ſi dicas, quod prima gratia, cui non datur; ex impedimento, & demeritò non datur: ergo viciſim, cui datur talis gratia ex meritò, & diſpoſitione poſitiva datur. Contra eſt, quia Deus ſemper eſt magis pronus, ad miſerendum, quam ad puniendum; ideoque donat gratiam ſine meritis, non verò ipſam denegat ſine demeritis, modo inferius explicando; ſiquidem negatio gratiæ eſt actus juſtitię, juxta illud Oſeæ 13.: *perditio tua ex te, Iſrael; tantummodo in me auxilium tuum.*

Arguit. 5.: facienti, quod eſt in ſe, Deus non denegat gratiam; ſed homo ex proprijs viribus poteſt facere quod in ſe: ergo, &c. Hoc argumentum petit explicationem legitimam prædicti axiomatis: *facienti, &c.*, quod licet Calvinus lib.

2. Inſtitutionum cap. 3. vilipendat, ipſum vocans irriſoriè *Axioma Ochamicum*, tamen non eſt contemnendum, cum multi Theologi antiquiores Ochamo, utantur eo. Difficultas ergo eſt: an tale axioma debeat explicari, & intelligi de facienţe, quod eſt in ſe ex viribus ſolius naturę: an verò ex viribus gratię? Intelligendum eſſe tale axioma in primo ſenſu multi defendunt poſt Molinam, dicentes, Deum aliquam legem ſtatuiſſe de conferenda prima gratia auxilianţe, facienti, quod eſt in ſe ex viribus naturæ: immò Leſius, & Henrice dicunt, hanc opinionem fuiſſe multis ab hinc annis in Eccleſia Dei communitèr receptam. Reliqui Theologi utriuſque Scholę communitèr dicunt, prædictum axioma eſſe verum, ſi intelligatur de facienti, quod eſt in ſe ex viribus gratiæ; & conſequenter, nullam eſſe legem infallibilem, aut pactum de conferenda prima gratia auxilianţe, facienti, quod eſt in ſe ex viribus naturę.

104 Et, licet aliqui Theologi aſſerant, quod homini auferenti impedimenta gratiæ, Deus infallibilitèr gratiam conferat, hoc tamen non eſt intelligendum de ulla diſpoſitione poſitiva, ſive proxima, ſivè remota, ſed tantum de diſpoſitione purè negativa; in quo ſenſu iſta opinio nullatenùs concidit cum errore Semipelagianorum. Quidquid autem ſit de iſta diſpoſitione negativa, quam, ut probabilem, admittimus; dummodò excludatur omnis lex infallibilis, de conferenda gratia intuitu talis diſpoſitionis, unicè eſt dubium de diſpoſitione poſitiva, ſivè proximè, ſivè remotè tali, fundantem legem infallibilem, ſivè pactum ex parte Dei, de conferenda prima gratia operanti ex viribus ſolius naturæ. Quo ſuppoſito, dicimus ad argumentum, prędictum axioma ſolum eſſe verum de facienţe, quod eſt in ſe ex viribus gratiæ; quo ſenſu abſque controverſia, & ſine periculo admittitur ab omnibus; cum omnes doceant quod is, qui bene utitur primo auxilio gratiæ, eo ipſo diſponitur ad ulteriora auxilia conſequenda. Per quod patet ad argumentum diſtinguendo mai.: facienti, quod eſt in ſe ex viribus gratiæ, Deus, &c., conc. mai.: facienti, quod eſt in ſe ex viribus tantum naturę, Deus non denegat gratiam, ſubdiſtinguo: non denegat, id eſt, infallibilitèr confert intuitu talis operis, nego mai.: non denegat, hoc eſt, purè contingentèr, & motus unicè ex ſua miſericordia, dat gratiã

omitto

omitto mai. Dico *omitto*; quia, ſi confert gratiam, non eſt intuitu operis, eliciti ex viribus naturæ.

105 Dices contra hoc: id concedendum eſt Deo, quod magis decet liberalitatem, & miſericordiam eius; ſed dari legem, ſeu pactum conferendi auxilia gratiæ ei, qui facit totum, quod eſt in ſe ex viribus naturæ, magis decet liberalitatem, & miſericordiam Dei: ergo datur talis lex. Prob. min.: rationi conſonum eſt, quod Deus manifeſtet ſuam liberalitatem magis cum illo, qui ſtudioſus eſt, in benè moralitèr operando, quam cum altero, qui eum quotidiè offendit; videtur enim irrationabile, quod Deus æqualitèr ſe gerat cum ſtudioſo, ac cum ocioſo: ergo, &c. Confirmatur primò: ex noſtra ſententia ſequitur, quod ſalus noſtra non eſſet in noſtra poteſtate; cum auxilia gratiæ ſint nobis omninò indebita; ſed hoc nequit dici, quin cauſetur in nobis aliquod genus deſperationis: ergo datur huiuſmodi pactum. Confirm. 2.: quia inde ſequeretur, quod homo abſque ſua culpa careat auxilijs, etiam ſi faceret totum, quod eſt in ſe ex viribus naturæ, ad quod tenetur, & non ad amplius; ſed hoc eſt contra Trident. ubi docet, hominem non deſeri à Deo, quin Deus prius deſeratur ab ipſo: ergo, ſi homo non ponit obicem, infallibilitèr conſequetur primam gratiam auxiliantem.

10 Reſpondeo, conceſſa mai., negando min.; quia cum lex de danda gratia omnibus, facientibus, quod eſt in ſe per vires naturæ, unicè dependeat à ſola Dei voluntate, quę nobis non innoteſcit niſi per teſtimonia Sacræ Scripturæ, hinc eſt, quod dum nullum ſit teſtimonium Script., ex quo ſufficientèr probari poſsit exiſtentia talis legis, huiuſmodi lex admittenda non eſt. Ad probat. diſting. antec.: rationi conſonum eſt, quod Deus magis manifeſtet ſuam liberalitatem cum illo, qui ſtudioſè, & benè moralitèr agit, quam cum eo, qui ipſum continuò offendit, ita ut hęc Dei liberalitas reſpiciat pro motivo opus purè naturale moralitèr bonum, nego: ita ut reſpiciat pro motivo unicè ſuam bonitatem, & miſericordiam, concedo. Bonitas ergo Dei, eiuſque liberalitas non magis reſplendet in eo, quod ſua auxilia communicet facientibus quod eſt in ſe ex viribus naturæ, quam, quod ea conferat hominibus, cum quotidiè offendentibus: immò reſpectu

tu eorum videtur magis reſplendere ſuâ miſericordia, & liberalitas. Utriſque verò, tam operantibus benè moraliter ex viribus naturę, quàm malè utentibus eiſdem viribus purè miſericorditer confert Deus huiuſmodi gratię dona.

107 Ad prim. confirm. diſting. mai.: ex noſtra ſententia ſequeretur, quod ſalus noſtra non eſſet in noſtra poteſtate, diviſivè ab auxilio gratiæ, conc. mai.: ſuppoſita gratia, quam Deus omnibus confert, illuminat enim omnem hominem venientem in hunc mundum, nego mai. Nos ergò dicimus, quod homo, quantumcumque benè operetur ex viribus naturę, numquam faciet aliquid poſitivè conducens ad ſalutem ęternam; ſecús verò dicendum, ſi cooperetur primæ gratiæ excitanti, ut poteſt; cum Deus eo fine, & non alio eam conferat omnibus exiſtentibus in via. Ad ſecundam confirm. nego mai., ſi intelligatur de primis auxilijs gratiæ; quia ſicut homo ex natura ſua non poteſt ullo modo mereri talia auxilia prima, ita nec ex culpa ſua illis carere; ſiquidem ſuppoſita ordinatione naturæ intellectualis ad finem ſupernaturalem, omnibus individuis talis naturæ conferuntur auxilia neceſſaria, quibus finem ſuum conſequi valeant. Quod ſi Deus aliquando non dat ſua uberiora auxilia, hoc facit, eo quod creatura primis auxilijs non correſpondeat. Quando autem dicitur ex Trid., quod Deus neminem deſerit, niſi prius deſeratur, loquitur ibi de gratia ſanctificante qua Deus juſtum non privat, quin iſte per prius deſerat ipſum.

108 Si dicatur, poſſe dari actum purè naturalem circa obiecta virtutum infuſſarum, ut ſi quis actu purè naturali præſtaret aſſenſum Myſterijs fidei, aut diligeret Deum ſuper omnia dilectione purè naturali; quī actus aliquomodo, ſaltim remotè, diſponeret ad juſtificationem. Dico, quod quamvis hi, & ſimiles actus ex natura rei poſint darī, quod non negamus, falſum tamen eſt, eos ullo modo, nec adhuc remotè, diſponere ad ſalutem, eo ipſo quod ſupponantur fieri abſque omni adjutorio divinæ gratiæ. Quod ſi cum tali adjutorio elicerentur, tunc ſupponeretur illuminatio ſupernaturalis in intellectu, affectioque ſupernaturalis in voluntate, & conſequentér tales actus eſſent eliciti, prout oportet ad ſalutem; & ſic, meritorij de congruo proximè, vel remotè ad juſtifica-

ficationem.

109 Si arguatur cum Patre Ferre Tract. 11. de Merito Juſti artic. 5., ubi citat pro ſe Auguſt., Div. Thom., Subt. Doct., Durandum, & alios antiquos Theologos, quod opera moraliter bona, elicita abſque ulla gratia ſupernaturali, ſint meritoria de congruo primę gratię excitantis, eo quod talia opera naturalia ſint à Deo prędefinita, pręparata, & prædeſtinata, ut danda in tempore per gratiam non quamcumque, ſed per gratiam, facientem, nos velle, & facere bonum, iuxta illud Ezceq. 9.: *faciam, ut in præceptis meis ambuletis*; & ne putes ipſum loqui de gratia ſupernaturali, quæ in ſententia Thomiſt. facit: nos velle, paulò poſt excludit gratiam ſupernaturalem, aſſeritque, gratiam, à ſe requiſitam, eſſe auxilium purè naturale Dei moventis; & ad tollendam, inquit, æquivocationem, ſciendum eſt, hujuſmodi gratiam, purè naturalem, conſiſtere in concurſu Dei generali, non concomitanti, nec ſimultaneo, ſed phyſicè prædeterminante, ac prævio, ſine quo nulla cauſa ſecunda poteſt elicere aliquam actionem.

110 Sed quamvis hæc doctrina de neceſsitate concurſus prævij ad quamlibet actionem creatam, ſivé naturalem, ſivè ſupernaturalem, ſit communis in Schola Thomiſt., non video, quomodo dicat, eſſe de mente D. Thom., quod opera purè naturalia, & ſi aliundè prædefinita, ac prædeſtinata, ſint meritoria de congruo primæ gratiæ auxiliantis; cum Thomiſtæ de mente D. Thomæ communiter doceant, opera purè naturalia nullo modo eſſe meritoria primæ gratiæ auxiliantis; & meritò quidem, nam ſic repetitur definitum in Concil. Arauſicano 2., & in Trident. verbis ſupra poſitis, & adductis in prima probat. concluſ. Ex quibus ſequitur, quod Ferre non rectè procedit in præſenti.

111 Reſpondet tamen iſte Thomiſta, quod Trid. citat. ſolum excludit meritum condignum, quod eſt propriè meritum, non verò meritum de congruo, quod ſolum impropriè dicitur meritum; non enim, inquit, repugnat gratiæ actuali ſupernaturali, qualis eſt vocatio ad fidem ſupernaturalem, cadere ſub merito de congruo operum pręcedentium. Nec obſtat, inquit, quod Trident. excludat meritum, cum univerſali diſtributione negativa per illa generalia verba: *nullis eorum exiſtentibus meri-*

tis

tis vocantur ; quia negatio ſolum diſtribuit terminum ſecundùm propriam ſignificationem, niſi ponatur additum alienans: ſicut , dum dicitur : *nullus homo eſt in Eccleſia* , quod verum eſt, nullo homine vivo in illa exiſtente,quamvis ibi ſint multi homines mortui,& picti.

112 Sed hæc evaſio non quadrat menti Concilij , loquentis ibi tantum de gratia præveniente , ſeu vocationis, qua Deus vocat peccatores ad pœnitentiam , nullis eorum exiſtentibus meritis , tam de condigno , cum iſta non reperiantur ſine gratia habituali , dignificante perſonam merentem , quam de congruo,quæ dari nequeunt , quin Deus per prius purè liberalitèr , & gratuitò peccatores per Spiritus Sancti illuminationem excitet ſua divina gratia , qua liberè moveantur in Deum, credentes , vera eſſe , quę divinitus promiſſa , & revelata ſunt , ut ſic paulatim diſponantur , ad gratiam juſtificationis recipiendam , prout tradit ibi Trident. cap. 6. Hæc autem excitatio, quæ mediante illuminatione Spiritus Sancti , liberè moventur in Deum , eſt meritoria de congruo , vel uberioris auxilij excitantis , vel ipſiuſmet gratiæ juſtificationis.

113 Præterea , dicere, quod Concilium in prædictis verbis ſolum excludit meritum de condigno , non verò de congruo, videtur ſententia expreſſa Caſsiani, & Fauſti Regienſis , Semipelagianiſmi Anteſignanorum : nam Caſsianus lib. 12. de Inſtitutione Monachorum cap. 14. ait : *dicimus ergo , ſecundum ſententiam Salvatoris , dari quidem petentibus, & epperiri pulſantibus , & à quærentibus inveniri ; ſed petitionem , inquiſitionem , & pulſationem noſtram non eſſe condignam , niſi miſericordia Dei hinc id , quod petimus , dederit; vel apperuerit , quod pulſamus, vel illud , quod quærimus fecerit invenire.* Idem docet Collat. 13. cap. 13. ; ſicut & Fauſtus lib. 1. de Libero Arbitrio cap. 17. Ubi per illa verba : *ſed petitionem :: non eſſe condignam* ſolum excludit meritum condignum primæ gratiæ Caſsinus. Reſpondet Ferre , Caſsianum , & Fauſtum in re ſentire , primam gratiam auxiliantem dari meritis condignis, quamvis hoc negaverint puris verbis. Sed quis non videt, hanc eſſe puram divinationem , cum de eorum mente nobis aliundè conſtare non poſsit , niſi ex eorum verbis.

114 Si arguatur verò ſic: meritum de congruo non deſtruit gratiam ſimplicitèr dictam : ergo opera purè naturalia poſſunt eſſe meritoria de con-

congruo primę gratiæ auxiliantis. Antec. patet; nam juſtificatio eſt vera gratia; ſed nihil hominis actus contritionis, tamquam meritorius de congruo, prȩcedit juſtificationem: ergo ſimilitèr poterit opus purè naturale per modum meriti de congruo præcedere primam gratiam auxiliantem, quin deſtruat rationem talis gratiæ. Reſp. conceſſo antec., negando conſeq.: & conceſsis præmiſsis, negatur altera conſequentia; nam licèt meritum de congruo non deſtruat rationem gratiæ, ſimplicitèr dictæ, deſtruit tamen gratiam, à Concilijs, & PP. ſtabilitam contra Semipelagianos. Cum enim homo nullum opus bonum, prout oportet ad ſalutem, poſſit elicere ſine divina gratia, & opus, de congruo diſponens ad juſtificationem, pertineat ad ſalutem, ut pote juſtificationem incipiens, hinc eſt, quod nullum opus purè naturale poteſt eſſe meritorium primæ gratiæ auxiliantis; nam aliàs ſine gratia eſſet ex nobis initium ſalutis. Diſparitas verò inter contritionem, tamquam meritum de congruo ad gratiam ſanctificantem, & opus purè naturale ad primam gratiam excitantem eſt manifeſta; nam contritio dicitur meritum de congruo, diſponens ad juſtificationem, quia fit cum auxilio gratię actualis, quæ reſpicit ſalutem, opus verò naturale, eo ipſo, quod fiat ſine gratia, minimè reſpicit ſalutem, propterea quę nequit eſſe meritorium gratiæ actualis, quæ eſt initium ſalutis.

115 Pro chronide huius quęſt. advertendum eſt primo, quod quamvis quis audiat Concionatorem v. g. prędicantem, vel de Cœli gaudijs, vel de pœnis inferni, & audientis animus inardeſcat erga gaudia Cœli, vel horreſcat ad pœnas inferni, adhuc, nec proximè, nec remotè ſed diſponit ad ſpiritualem ſalutem, ſi Deus ei per prius non confert internam gratiam ſupernaturalem; nam ſemper exhortationes ad bonum, vel ſupponunt in audiente gratiam interius excitantem, ut proficiat ulterius cum ea, ad ulteriores gratias recipiciendas, vel tales exhortationes ſunt primæ vocationes externę, quibus Deus de lege ordinaria utitur ad elargiẽdas gratias ſupernaturales internas. Similitèr dicimus, orationẽ ſupponere ſemper in orante gratiam vocationis, ſine qua nemo poteſt fructuosè orare, ſeu prout oportet ad ſalutem.

116 Advertendum eſt 2. catholicam ſenſum huius axiomatis: *facienti, &c.*, iſtum eſſe: facienti, quod eſt in ſe, mediante

Dei

Dei gratia actuali, dat Deus ampliores, & uberiores gratias, & præcipuè gratiam juſtificantem. Quod ſi Deus aliquando gratiam det facienti, quod eſt in ſe ſolum ex viribus naturæ, hoc facit præciſsè ex ſua liberalitate, & miſericordia, quam etiam pro ſuo libito exercet erga maximos peccatores, continuò ponentes obicem gratiæ divinę. Quare ſtò peccatum frequentèr ſit impedimentum maioris gratiæ, quàm aliàs dediſſet Deus ex ſua liberalitate, tamen carentia peccati, ſaltèm pro aliquo brevi tempore, in quo gravis tentatio non urget, in illo, qui facit, quantum poteſt ex viribus naturæ, nullatenùs movet Deum, ad ipſi elargiendam gratiam, quamvis divina bonitas, & liberalitas reperiat ibi, ſecundum noſtrum intelligendi modum occaſionem minus ineptam, vel, ſi mavis, aptiorem ſe communicandi huic, quam alteri, ponenti obicem. Huc, videtur, reſpexiſſe Apoſt. 1. ad Timoth. cap. 1. dicens: *miſericordiam Dei conſecutus ſum, quia ignorans feci*; ubi aſsignat cauſam, non quidem poſitivam, ſed purè negativam ad gratiam ſuæ converſionis, dicens, eſſe ignorantiã, quę ſicut, aut in totũ, aut in partem pro ſua qualitate excuſſat à peccato, ita quoque minuit cauſam, propter quam Deus juſtè denegat ſpeciales gratias. Ex his concluditur, quod, licet homo ex naturalibus poſsit ſe negativè diſponere ad gratiam, quatenus ex naturalibus poteſt aliqua vitare peccata, modo dicendo in Diſput. ſequenti, numquam tamen ex naturalibus poterit apponere ullam diſpoſitionem poſitivam, ſivè proxima ſit, ſivè remota, ad primam gratiam excitantem recipiendam; cum iſta unicè veniat à liberalitate, & miſericordia divina.

DISPUT. ULTIMA.

DE RELIQUIS, PERTINENtibus ad neceſsitatem gratiæ.

QUÆST. PRIMA.

An homo lapſus ſine gratia poſsit elicere aliqua opera moraliter bona ordinis naturalis?

1 DISPUTATIONE antecedenti vidimus neceſsitatem gratiæ ad opera conducentia, tam proximè, quam remotè ad ſalutem, & juſtificationem hominis lapſi. Nunc reſtat examinandum: an gratia ſupernturalis ſit ita neceſ-

ceſſaria homini lapſo ad benè moralitèr operandum in linea naturali, ut ſine ipſa omnia opera hominis lapſi ſint moralitèr mala, ſeu peccata. Pro cuius dubij perfecta intelligentia notandum eſt primò, quod duplex poteſt conſiderari ordo hominum pro hoc ſtatu naturæ lapſæ. Primus ordo eſt eorum, qui ſunt fideles, & conſequenter habent gratiam fidei. Secundus verò eſt eorum, qui ſunt infideles; & de utriſque procedit difficultas; cum tam in his, quam in illis aliqua videantur reperiri opera, purè naturalia moralitèr bona abſque ullo auxilio gratiæ elicita.

2 Notandum eſt 2., dubium non procedere in ſenſu Luteranorum, & Calviniſtarum; nam iſti dicunt, omnia opera, non ſolum infidélium, & peccatorum fidelium, ſed etiam juſtorum eſſe peccata; opinantur enim, hominem, quantumcumque juſtum, nihil boni in ſtatu naturæ lapſæ poſſe operari, etiam ſi interveniat auxilium gratiæ, ſed potius omnia eius opera eſſe pecaminoſſa, ei tamen non nocere, neque imputari ad damnationem, dummodò firmitèr credat, ea ſibi à Deo non imputari. Sed hęc doctrina damnata eſt à Trid. ſeſſ. 6. can. 25.; & meritó quidem; nam Sacra Scriptura non inducit nos ad peccata, nec precipit, ut peccata hominum laudibus efferamus; ſed Sacra Script. ſæpè nos admonet, ut inhęreamus bonis operibus, præcipitque, ut bona opera juſtorum laudemus: ergo in juſtis multa reperiuntur opera bona.

3 Notandum 3., Michaelem Baïum, quem nuper ſequutus eſt Queſnellus, docuiſſe gratiam habitualem adeo neceſſariam eſſe ad bonum aliquod opus faciendum, quod ea abſente, etiam ſi adſit gratia actualis, omnia opera peccatorum fidelium ſint moralitèr mala, ſeu peccata; & conſequentèr omnia opera infidelium: virtuteſque Philoſophorum quibus deeſt, nedum gratia ſanctificans, ſed & gratia fidei, eſſe verè, & propriè peccata. Circa opera infidelium, ac virtutes Philoſophorum acritèr olim diſputatum fuit inter Divum Auguſt., & Iulianum Epiſcopum Pelagianum, ut patet ex ipſo Auguſt. lib. 4. contra Iulianum cap. 3.

4 Iulianus docebat primò, quod in infidelibus erant verę virtutes, quibus rectè, & ſanctè vivebant, & negabat Auguſtinus. Docebat 2., actus talium virtutum naturalium ſufficere ad juſtificandos infi-

de-

deles, quod paritèr ibi refutat Auguſt. Tandem docebat 3., veram virtutem eſſe illam, ex qua opus aliquod bonum procedebat, & hoc ſive finis fuiſſet virtuoſus, ſeu bonus, ſive fuiſſet malus, & vicioſſus, cum hoc tamen diſcrimine, quod, quando finis erat honeſtus, & virtus tendebat ad æterna, tunc opus elicitum ab infideli, erat ſalutare, & meritorium; ſi verò finis erat vicioſſus, & virtus naturalis reſpiciebat temporalia, tunc opus erat ſterile, & ad ſalutem inutile; quod etiam ibi reprobat Aug. Ex quibus conſtat, Sanct. Doct. ſolum negaſſe veras virtutes in infidelibus, in eo ſenſu, in quo Iulianus aſſerebat, eas ſufficere ad juſtificationem, & ad vitam æternam conſequendam.

5 Sed, ut hæc duplex pars controverſiæ melius intelligatur, advertendum eſt cum ipſo Auguſt. citat. veram virtutem, ſeu bonum opus morale poſſe dici tale dupliciter, ſcilicèt, vel *ratione officij*, vel *ratione finis*. Officium, inquit, eſt, quod faciendum eſt; finis verò eſt id, propterquod faciendum eſt. Explicatur: opus bonum ratione officij eſt id, quod eſt bonum ex obiecto: ſic, dare eleëmoſinam pauperi, eſt bonum *ratione officij*, ſeu obiecti, quod eſt ſublevare eius miſeriam. Si verò quis largitur eleëmoſinam propter Deum, moraliter exiſtentem in paupere, tunc opus eſt bonum, non ſolum *ratione officij*, ſeu ex obiecto, ſed etiam *ratione finis*. Unde, ut opus ſit ſimpliciter bonum, requirit Auguſt., quod non ſolum ſit tale *ratione officij*, ſed etiam *ratione finis*; nam ſi ſolum *ratione officij* eſt bonum, tunc ex deffectu circunſtantiæ finis erit malum, juxta illud axioma: *bonum ex integra cauſa: malum ex quocumque deffectu.* Ut cum claritate in hoc dubio procedamus, duplex proponenda eſt concluſio, quarum prima erit de peccatoribus fidelibus, ſecunda de infidelibus. Sit ergo

6 Concluſio prima: *ut peccator fidelis pro ſtatu iſto eliciat aliqua opera moraliter bona ordinis naturalis, non requiritur gratia actualis excitans, aut præveniens.* Prob. 1. ex Doct. in 3. diſt. 27. quæſt. unic. §. *iſtis igitur rationibus*, num. 13. ubi ait: *ratio naturalis oſtendit naturæ intellectuali eſſe aliquid ſummè diligendum :: igitur dictat, ſolum ſummum bonum infinitum eſſe ſummè diligendum; & per conſequens voluntas hoc poteſt ex puris naturalibus. Nihil enim poteſt intellectus rectè dictare, in quod dictatum non poſſit*

ſit voluntas naturalis naturalitèr tendere ; aliàs voluntas eſſet naturalitèr mala , vel ſaltem non libera ad tendendum in quodlibet ſecundum illam rationem boni, ſecundum quam oſtenditur ſibi ab intellectu : ergo , iuxta Scotum , ut peccator fidelis pro ſtatu iſto eliciat aliqua opera, moralitèr bona ordinis naturalis , non eſt ei neceſſaria gratia prę veniens ſupernaturalis.

7 Prob. 2. ex damnatione aliquarum propoſitionum: nam Pius V. , Gregorius XIII. & Urbanus VIII. damnarunt iſtam Baji propoſitionem , quæ in ordine erat 38. *omnis amor creaturæ rationalis aut vicioſſa eſt cupiditas , qua mundus diligitur, quæ à Ioanne prohibetur : aut laudabilis illa charitas , qua per Spiritum Sanctum in corde diffuſa , Deus amatur* : ergo contradictoria iſtius damnatæ propoſitionis eſt vera. Nunc ſic : contradictoria eſt hæc : aliquis amor creaturę rationalis , neque eſt vicioſſa cupiditas , neque laudabilis illa charitas , qua per Spiritum Sanctum Deus amatur ; ſed huiuſmodi amor, ut patet ex terminis , nec eſt peccaminoſſus , nec meritorius ullius prę mij ſupernaturalis : ergo talis amor erit opus moraliter bonum ordinis naturalis.

8 Clemens XI. damnavit prim. propoſit. Queſnelli , quæ ſic ſe habet : *quid aliud remanet animę , quæ Deum , atque ipſius gratiam amiſsit , niſi peccatum, & peccati conſequutiones, ſuperva paupertas , & ſegnis indigentia , hoc eſt , generalis impotentia ad laborem , ad orationem , & ad omne opus bonum* ? Ergo, ſuppoſita juſta damnatione iſtius propoſitionis , fatendum eſt , quod in anima , quæ amiſsit gratiam per peccatum , ſit potentia ad aliquod opus bonum; ſed non ad opus bonum bonitate meritoria, adhuc de congruo , ſi tale opus eliciatur abſque auxilio gratiæ , ut hic debet ſupponi : ergo ad opus bonum bonitate morali ordinis naturæ.

9 Idem Pontifex etiam damnavit propoſitionem 44. ejuſdem Queſnelli , quę ſic ſe habet : *non ſunt niſi duo amores , unde volitiones , & actiones omne noſtræ naſcuntur : amor Dei , qui omnia agit propter Deum , quemque Deus remuneratur : & amor , quo nos ipſos, ac mundum diligimus , qui quod ad Deum referendum eſt , non refert , & propter hoc ipſum fit malus* : ergo juxta mentem Pontificis , ultra amorem, qui omnia agit propter Deum , & amorem , quo nos ipſos , ac mundum diligimus, nullo modo eum referendo in Deum , datur alius amor medius , qui,

nec ſit meritorius gratię, aut gloriæ, nec demeritorius alicuius pœnę; ſed talis amor eſt moraliter bonus in linea tantum naturæ: ergo non requiritur gratia ſupernaturalis auxilians, ut homo lapſus eliciat aliquod opus moraliter bonum ordinis naturalis.

10 Prob. 3. ex cap. 4. Danielis, ubi Propheta ſuadet Regi Nabucodonoſori, ut peccata ſua eleëmoſinis redimeret. Ex quo ſic: iſte Rex quamvis infidelis (de quo concluſione 2.) erat peccator: ergo, dum Propheta hortatur ipſum, ut eleëmoſinis ſua peccata redimat, ſuppenit, tale opus non eſſe pravum, & peccaminoſum; nam operibus peccaminoſis nequeunt redimi peccata: ergo eleëmoſina, à peccatore facta ſolum cum intentione ſublevandi miſeriam alienam, eſt opus moraliter bonum, & honeſtum. Confirm. ex cap. 2. Luc., ubi Chriſtus hortatur peccatores ad eleëmoſinam elargiendam, dicens: *date eleemoſinam*; ſed Chriſtus non potuit illos exhortari ad aliquod opus malum: ergo eleemoſina fieri poteſt á peccatore abſque peccato: ergo erit opus moraliter bonum; ſed non meritorium; cum ſupponatur elicitum abſque ulla gratia ſupernaturali: ergo, &c.

Idem docet Concilium Conſtancienſe ſeſſ. 15., & Trid. ſeſſ. 6. can. 7. dicens: *ſi quis dixerit, opera omnia quæ ante juſtificationem fiunt, quacumque ratione facta ſint, verè eſſe peccata, vel odium Dei mereri :: anathema ſit.*

11 Prob. 4. ex Auguſt. homil 46. cap. 6., ubi loquens ad peccatores, ait: *nolite deſperare, peccatores :: incumbite orationibus, confitemini peccata veſtra, orate, ut depellantur, orate, ut minuantur*: ergo, iuxta ipſum poſſunt peccatores elicere opera moraliter bona. Sed quia hic locus facile explicari poteſt de concurſu gratiæ actualis ad orandum, accipite eius verba ſerm. 52. de Tempore, ubi ait: *charitas, alia eſt divina, alia humana; alia humana licita, alia illicita :: liceat vobis humana charitate diligere conjuges, diligere filios, diligere amicos, diligere cives veſtros :: ſed videtis, iſtam charitatem eſſe poſſe, & Impiorum, id eſt, Paganorum, Iudeorum, Hæreticorum.* Ex quibus ſic: licitum nobis eſt, juxta Auguſt., diligere amicos, &c.; ea charitate, quę peccatoribus fidelibus, & infidelibus communis eſt; ſed huiuſmodi charitas, juxta Auguſt., purè humana eſt: ergo opus procedens à tali charitate, nequit non eſſe

eſſe moralitèr bonum; alioquin non eſſet licitum, quod eſt contra ipſum.

12 Prob. denique varijs rationibus, deductis ex Doct. Subt.: unum dumtaxat peccatum mortale non conſtituit hominem in tali ſtatu, ut nihil rectè judicet, vel operetur; alioquin diceremus, quod unus actus virtuoſus, aut vicioſus faceret hominem virtuoſum, aut vicioſum generalitèr loquendo: ergo peccator poteſt elicere aliqua opera ita moralitèr bona, ut nullum deffectum habeant intra lineam moris. Antec. conſtat experientia, qua videmus, unum peccatum non ita corrumpere habitum virtutis præexiſtentem, quin exiſtens in peccato poſsit per huiuſmodi habitum rectè judicare, & deliberare, ſive de eodem peccato, ſive de alio, ne committatur.

13 Confirm.: dum Deus præcipit, aliquid eſſe agendum, aut non agendum, vel intendit, quemlibet teneri ſemper ad ſervanda ſua præcepta ex charitate, & in ſtatu gratiæ, vel non intendit? Si hoc ſecundum, ſequitur noſtrum intentum, ſcilicèt, peccatorem poſſe facere aliquod opus morale non malum. Si primum, ſequitur, quemcumque, exequentem opus, à Deo præceptum, ſi illud non exequitur ex charitate, & in ſtatu gratiæ, peccare mortalitèr, quod eſt abſurdum. Probatur ſequela: ſupponamus fidelem hic, & nunc contra quartum præceptum v. g., peccare, & poſtea occaſione oblata occidendi ſuum inimicum, nolle eum occidere, quia Deus præcipit non occidere; eo ipſo, quod nolet eum occidere, peccat mortalitèr, ſed hoc eſt abſurdum: ergo, &c. Prob. mai.: nolitio occidendi tunc caſus eſſet actus hominis non exiſtentis in gratia: ergo ſi requiritur ſtatus gratiæ, & charitatis, ut opus non ſit peccatum, qui noluerit occidere inimicum, quia Deus hoc præcipit, mortaliter peccat. Adde, quod juſtus, ſeu exiſtens in gratia poteſt elicere aliquod opus præceptum, quin moveatur ex charitate, ſed unicè ex pietate, & manſuetudine naturali; ita ut adimpletio iſtius operis præcepti non ſit ei meritoria; & tamen abſurdum eſt, dicere, quod ſic operando peccet mortalitèr:

14 Urgetur: ſi peccatores non poſſent elicere niſi peccata perverterentur omnes fideles, qui ſemèl peccatum aliquod commiſerunt; non enim eſſent monendi, ut aliquod opus bonum, ad quod alias tenen-

nentur, exequantur, cū in executione talis operis peccēt mortaliter, & nemo ad peccatum monendus eſt, ſed potius ad oppoſitum; ſed hoc abſurdum ſequeretur ex opinione contraria: ergo non eſt neceſſaria gratia ſupernaturalis, ut peccator in hoc ſtatu naturę lapſæ eliciat aliquod opus bonum ordinis naturalis. Denique: omnibus peccatoribus præcipitur, ut ſe exerceant in virtutibus juſtitiæ, temperantię, &c.; quoties obligant harum virtutum actus; ſed nihil præcipitur, quod non ſit ex omni parte honeſtum, ſeu quod non poſsit exequi abſque ulla culpa: ergo idem quod prius.

15 Arguitur 1. ex illo Pſalmi 49.: *peccatori dixit Deus: quare tu enarras juſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum?* Iſai. 1.: *quo mihi multitudinem victimarum veſtrarum, dixit Dñus.:: cum multiplicaveritis orationes veſtras, non exaudiam; manus enim veſtræ ſanguine ſunt plenæ;* ſed in utroque textu ait Deus, ſe odire opera peccatorum: ergo talia opera ſunt mala. Reſpondeo diſting. min.: ſed in utroque textu ait Deus, ſe odire opera peccatorum, quæ fiunt cum mala intentione perſeverandi in ſuis peccatis, conc.: illa odire ſimpliciter, & præciſsè, quia à peccatoribus fiunt, nego min., & conſequentiam. Immò Iſai. ibi loquitur de Iudeis, qui animo prophano, & ſimulatorio omnem religionis affectum in cultu externo contra præſcriptum legis conſtituebant, quod eſt Deo valde exoſſum. Unde Iſai. de illis conqueritur dicens: *populus hic labijs me honorat; cor autem eorum longè eſt à me.*

16 Arguit. 2.: arbor mala in locutione Script. ſignificat peccatorem; ſed Matth. 7. dicitur, *quod non poteſt arbor mala bonos fructus facere*, hoc eſt, bona opera: ergo, &c. Reſp. diſtinguendo mai.: arbor mala ſignificat peccatorem, operantem ex mala intentione, & perverſa voluntate, conc. mai.: ſignificat peccatorem, abſolutè operantem, nego mai. Per quod patet ad minorem; & negatur conſequentia. Solutio eſt Auguſt. lib. 4. contra Iulianum cap. 3. dicentis: *non itaque in quantum homo eſt, opus Dei, ſed in quantum malæ voluntatis eſt, quiſque arbor mala eſt, & bonos fructus facere non poteſt.*

17 Arguit. 3.: ſicut opera coinquinant voluntatem, à qua procedunt, etſi voluntas ſit in ſe ſubſtantialiter bona, ita per oppoſitum voluntas ma-

la.

la inquinat opera, quæ ab ipſa oriuntur, quamvis aliunde talia opera ſint in ſe ipſis ſubſtantialiter bona; ſed voluntas peccatoris ſemper eſt mala: ergo, &c. Reſp. negando mai. Diſparitas eſt, quia ideo voluntas inquinatur omnibus actibus malis, quia eſt per ſe cauſa talium actuum; opera verò ex genere ſuo honeſta, etſi ſint effectus voluntatis malæ, non tamen à tali voluntate inquinantur. Ratio eſt; quia hujuſmodi actus honeſti ſunt effectus voluntatis prout iſta eſt per ſe bona, licet aliundè ſit per accidens mala. Patet hoc in homine ſuperbo, elemoſinam elargiente, cuius actus eſt quidem per ſe hominis miſericordis, licet per accidens ſit hominis ſuperbi.

18 Arguitur 4.: omnes actus hominis exiſtentis in peccato mortali referuntur ad malam finem ex parte operantis: ergo ſunt mali, cum finis malus viciet actum. Prob. antec.: peccator ordinat omnia, quæ appetit ad bonum ſuum privatum; cum finis ultimus peccatoris ſit bonum ſui ipſius; ſed talis finis vicioſus eſt, & malus: ergo, &c. Reſpondeo diſting. antec.: omnes actus mali, qui verè ſunt peccata mortalia, referuntur, &c., conc. antec.: omnes actus honeſti, vel etiam indifferentes in individuo, aut qui ſunt tantum venialiter mali, nego antec. Peccator ergo ſolum per illa opera, per quæ deperditur gratia, ſeu charitas, qua operationes humanę ad ſuum finem meritoriè diriguntur, cenſetur, ſe ipſum, ac bonum ſuum privatum conſtituere, tamquam finem ſuum ultimum: unde cum gratia deſtruatur ſolum per peccata mortalia; nam venialia, aut opera honeſta, quatenus non referuntur ad Deum, ut ultimum finem, ſolum preſcindunt à gratia, non verò privativè pugnant cum ea: hinc eſt, quod per huiuſmodi opera, ſivè venialiter mala, ſivè moraliter honeſta, ſivè indifferentia in genere moris, non reſpiciat peccator ſe ipſum, tamquam finem ultimum. Alia plura ſolventur, reſpondendo replicis contra ſequentem concluſionem.

19 Solum hīc unum adverte circa illud Matth. 7.: *non poteſt arbor mala, &c.*; adductum in ſecundo argumento, non quia neceſſarium ad ſolutionem, quia utile, tam hic, quam alibi pluries adi

ad retundendas hæreticorum ineptias, qui Scripturam ſecundum privatum cuiuslibet ſpiritum docent, debere intelligi. Ex prædicto ergo textu, Div. Thoma teſte, inferebant Manichei eſſe duo principia, unum bonum, & alterum malum. Ex eodem inferebant alij, teſte Hieronymo contra Iovinianum, hominem ex Deo natum non poſſe peccare. Ex eodem inferebant Pelagiani, teſte Aug. lib. 2. de Nuptijs, & Concupiſcentia cap. 26., quod ex conjugio bono, ſeu arbore bona non poteſt naſci homo, originali peccato infectus. Ex eodem inferebant Donatiſtæ, teſte eodem Auguſt. lib. 3. contra litteras Petilliani cap. 24., Sacerdotes malos non poſſe benè baptizare, eo quod arbores, inquiunt, malæ nequeunt Chriſto ſpiritualitèr gignere filios bonos. Calviniſtæ tandem ex eodem textu inferunt, quod, licet opera bona indicent, aut declarent, hominem eſſe juſtum, ipſum tamen minimè juſtum efficiunt, nec diſpoſitivè, nec formalitèr. En quibus delirijs laborant hæretici, intelligentes Scripturas ſecundum ſuum privatum ſpiritum.

20 Concluſio 2.: *non omnia opera infidelium ſunt peccata*; ſeu quod idem eſt: *gratia fidei non eſt adeo neceſſaria ad rectè moralitèr agendum, ut ſine ea non poſsit fieri opus moralitèr bonum.* Aliqui Theologi, poſt Gregorium Ariminenſem, & Cardinalem de Noris in ſuis Auguſtinianis vinditijs judicant, Auguſt. abſolutè negaſſe, ullas eſſe virtutes in infidelibus, & per conſequens, nullum poſſe elicere opus moralitèr bonum, eo quod gratia fidei careant. Noſtra tamen concluſio eſt communis, & meritò quidem, ut patebit ex probationibus. Legatur Scotus in 1. diſt. 3. quæſt. 4. §. *ad queſtionem igitur*, à ℣. *& ex iſto apparet*, ubi admittit cum Div. Auguſt. (quem ibi citat. 4. de Trin. cap. 15., & 9. de Trin. cap. 6., & rurſus in eodem 4. de Trin. cap. 16.) nonullos Philoſophos infideles ſine ulla ſpeciali illuſtratione attingere plures veritates ſupra chriſtianos; conſtat autem, quod voluntas abſque ullo auxilio gratiæ poteſt ſe exercere circa quodcumque obiectum ſibi ab intellectu debite propoſitum.

21 Prob. 1. ex pluribus Script. locis. Tum, quia Danielis 4. dicit Daniel ad Nabucodonoſor: *conſilium meum placeat tibi, & peccata tua eleemoſynis redime*; ſed peccata non remittuntur per vicia, & peccata: ergo eleemoſinæ illius regis infidelis non erant peccata.

Tum,

Tum, quia Ezceq. 29. dicit, *& erit merces exercitus eius, & ſervitij, quo ſervivit adverſus eam, dedi enim ei terram Ægypti, pro eo, quod laboravit mihi*; ſed impium eſt, dicere, quod Deus reddat mercedem, & præmium pro aliquo peccato: ergo cum Deus remuneretur opera Nabucodonoſ. infidelis, talia opera non ſunt peccata. Sic intellexit hunc locum Div. Hieronymus, in Ezceq. 29. dicens: *ex eo, quòd Nabucodonoſor mercedem accepit boni operis, intelligimus, etiam ethnicos non abſque mercede Dei judicio præteriri, ſi aliquid boni fecerint.*

22 Reſpondent 1. Contrarij, prędicta, & ſimilia opera fuiſſe præmiata eo quod erant bona *ratione officij*, ſeu ex parte obiecti, & ſi mala *ratione finis*: nec eſt novum, inquiunt, quod Deus præmiet aliquando opera peccaminoſa, ut patet Exod. 1., ubi Obſtetrices Egyptiacæ contra præceptum regis ſervabant maſculos Hębreorum, & regi mentiebantur, & tamen ibi dicitur: *benè fecit Deus obſtetricibus.* Sed contra: nam hęc reſponſio potius confirmat, quam infirmat noſtram probationem; ſiquidem Deus numquam remuneratur peccata, qua talia; ſed opera, quæ tantum *ratione officij*, & non *ratione finis* ſunt bona, ſunt peccata ſimpliciter: ergo, &c. Illud de obſtetricibus non obeſt, nam in iſtis fuit duplex actio, una qua ex compaſione, & amore Dei ſervabant pueros, ut ibidem dicitur: *timuerunt obſtetrices Deo* alia fuit actio, qua mentitæ ſunt regi; & hanc actionem, nec remuneratus eſt Deus, nec potuit illam remunerare; cum mendacium ſit intrinſicè malum; bene verò primam quia iſta fuit bona, tam ex obiecto, quam ex fine. Reſpondent 2. huiuſmodi opera infidelium elici ex gratia actuali ſupernaturali; propterea que fuiſſe bona, & à Deo laudata. Sed contra: quia gratis omninò fingitur gratia iſta ſupernaturalis, neceſſaria ad hujuſmodi opera infidelium; cum ſit ſufficiens proportio inter vires naturales hominis, & aliqua opera moralitèr bona ordinis naturæ, maximè ad quæ eſt naturalis propenſio. Prętera, reſponſio eſt contra ipſos Adverſarios; nam, ſi vera eſt, hoc ipſo ſequitur, fidem non eſſe primam gratiam, quod tamen ipſi mordicus tenent, ut poteſta videbimus.

24 Contra 2. ex illo Ioan. 2.: *revelatur ira Dei de Cœlo ſuper illam impietatem eorum hominum, qui veritatem Dei in injuſtitia detinent*; ſed tales ſunt omnes illi infideles, qui cog-

noſ-

noſcentes Deum ex creaturis, juxta illud Pauli ad Rom. 1.: *inviſibilia Dei, per ea, quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur*; non collunt ipſum qualitèr Deum cognoſcunt ex viribus ſcilicèt naturæ, ut docet idem Paulus ad Rom. 2. dicens: *gentes, quæ legent non habent, naturalitèr ea, quæ legis ſunt faciunt*: ergo non eſt neceſſaria ſupernaturalis gratia ut infideles, qui naturalitèr cognoſcunt, Deum eſſe collendum etiam eum collant, eliciendo aliqua opera moralitèr bona, quæ ſint ordinis naturalis.

25 Prob. 2. ex Concilijs; nam Arauſicanum, & Trid. expreſsè definiunt, auxilium gratiæ eſſe neceſſarium, ut homo operetur, *ſicut oportet ad vitam æternam*; ſed hęc particula *prout oportet* ſuppponit, aliqua opera honeſta non eſſe impoſsibilia, ſine auxilio gratię: poſſunt ergo elici talia opera ſine gratia. Prob. min.: ſi Concilia abſolutè exiſtimaſſent, talia opera eſſe impoſsibilia ſine gratia, valdè impropriè, & diminutè appoſuiſſent hanc clauſulam: *prout oportet*: ergo cum ſuę definitiones talem clauſulam limitatã ponunt ſignũ eſt, eorum eſſe ſenſum, quod aliqua opera honeſta poſſunt elici ex viribus ſolius naturæ: ergo, cum iſtæ vires naturæ non defficiant in infidelibus, ſequitur de mente Conciliorum, eos poſſe elicere aliquandò opera quædam moralitèr bona, & honeſta.

26 Prob. 3. ex Decretis Pontificijs; nam in Baio damnata eſt hęc propoſitio, quę ordine eſt 25.: *omnia opera infidelium ſunt peccata, & Philoſophorum virtutes ſunt vitia.* Et inter damnatas ab Alex. VIII. eſt propoſitio 8.: *neceſſe eſt, infidelem in omni opere peccare*: ergo erit verum dicere, quod omnia opera infidelium non ſunt peccata; & conſequentèr, quod aliqua ſunt bona: & ſimilitèr, quod omnes virtutes Philoſophorum non ſunt vitia, ſed quod aliquę ſunt bonæ. Tandem, erit verum dicere, non eſſe neceſſe, infidelem in omni opere ſuo peccare: ergo juxta Pontificium decreta, infideles poſſunt elicere aliqua opera, moralitèr bona; aliòquin injuſtè damnarent Pontifices prædictas propoſitiones. Unde ſi vera eſſet ſententia contraria, infideles deberent ſibi cavere à dandis eleemoſinis, ab honorandis parentibus, à defendendis innocentibus; immò omnem vitam ſuam, potius ſomno, & ocio, quam actibus honeſtis committere debent, quo nihil abſurdius.

27 Prob. 4. ex Magno Pa-

Parente Auguſt., quem dicunt Contrarij expreſsè militare contra nos: ergo Sanct. Doct. lib. de Spiritu, & littera cap. 27. ait: *ſi autem hi, qui naturaliter, quæ legis ſunt faciunt :: eorum quædam tamen facta, vel legimus, vel audivimus, vel novimus, quę ſecundum juſtitię regulam non ſolum vituperare non poſſumus, verum etiam meritò, rectèque laudamus*; ſed ea opera, quæ vituperari non poſſunt, ſed potius laudari, nequeunt non eſſe moraliter bona: ergo aliqua opera infidelium non ſunt peccata. Dices, Div. Auguſt. immediatè ſubjungere: *quamquam ſi diſcuciatur quo fine fiant, vix inveniuntur, quæ juſtitiæ debitam laudem, defenſionemque mereantur.* Reſp. id verum eſſe, ſed non contra nos, qui non dicimus, eſſe bona omnia opera infidelium, ſed tantum aliqua, quod ſatis expreſsè docet Aug. in illa particula *vix*; nam ſi vix, ſequitur, quod aliquandò: licet rarò, faciant infideles opera moraliter bona.

28 Poſteà cap. 28., loquens de infideli, ait: *unde merito poſsit etiam in ipſa impietate vitæ ſuæ facere aliqua legis, & ſapere :: ſicut enim non impediunt à vita æterna juſtum quædam opera venialia, ſine quibus hæc vita non ducitur, ſic ad ſalutem æternam nihil prosunt impio aliqua bona opera, ſine quibus difficillimè vita cuiuslibet peſsimi hominis invenitur*; ſed infidelem non poſſe niſi difficillimè ducere vitam ſine aliquibus operibus bonis eſt, aliqua opera infidelium eſſe moraliter bona: ergo, &c. Idem docet lib. 5. de Civitate Dei cap. 12. dicens: *Romani juſtitia, & ſtrenuis actibus promeruerunt à Deo Imperium*; ſed Romani erant Gentiles, & Deus non tribuit præmium, ſed pœnam pro peccatis: ergo, &c. Eandem veritatem docet Epiſt. 5. ad Marcellinum, loquens de Romanis. Sufficiant hæc ex Auguſt., nam, ſi cœtera deeſſent, ſolus locus ex 5. de Civitate, omnem effugiendi viam occludit novis Auguſt. falſis diſcipulis.

29 Prob. 5. ratione: ſi infidelis non poſſet opus moraliter bonum efficere, vel hoc proveniret ex parte perſonę, vel ex conditione obiecti, vel ex circunſtantia finis; ſed ex nullo horum provenit hoc: ergo, &c. Prob. min.: non ex parte perſonę, quæ eſt infidelis; nam infidelitas ſolum materialiter ſe habet ad operandum; infidelis enim non neceſsitatur ad agendum ut infidelis. Non ex conditione obiecti; nam colere parentes, & ſimilia obiecta ſunt moraliter bona, quę revera reſpicere poſſunt infideles, ſicut

in Hiſtorijs legimus. Non ex circunſtantia finis, nam honorare parentes, aut miſericordiam præſtare pauperi, &c., de ſe virtualitèr, & implicitè tendunt ad rectam rationem, quæ recta ratio Deum reſpicit, cum ſit quædam participatio rationis divinę, ſicut omnis lapis ex natura ſua tendit ad centrum, ſi ab extrinſeco non impeditur: & proinde opera infidelium, moralitèr bona, de ſe tendunt in Deum, finem ultimum naturalem: niſi explicita intentione depraventur, quod facere, vel omittere, eſt in libera poteſtate infidelis operantis.

30 Quod autem talis virtualis, & implicita relatio operis in Deum ſufficiat ad opus bonum morale, patet ex eo, quia alias opus bonum præceptum, exercitum etiam ab homine fideli, & juſto, eſſet peccatum, ſi illud explicitè non referret in Deum; nam ſæpiſsimè contingit, quod homines fideles, & juſti, quando dant eleemoſinam, obediunt parentibus, nihil cogitant de Deo, motique unicè naturalibus motivis miſericordiæ, & honeſtatis; obedientię id faciunt, non referentes formalitèr, & expreſsè in Deum huiuſmodi actus; ſed ſi tenerentur actualitèr, & expreſsè ſuum opus in Deum, ut bonum eſſet, referre, tunc peccarent mortaliter faciendo tale opus bonum ex ſuo genere, & pręcepto, quod utique eſt abſurdiſsimum: ergo, &c. Nec recurri debet in homine fideli, & juſto ad habitum charitatis, per quem illud opus miſericordiæ, & obedientiæ habitualitèr referatur in Deum; quia habitus nihil ponit in actu, niſi cum concurrit ad operandum; aliàs qui habet habitum juſtitiæ, ſi peccet peccato intemperantiæ, peccaret etiam peccato injuſtitię propter habitum, quem habet juſtitiæ.

31 Arguitur 1. ex Script. nam Ioann. 8. dicitur: *ſi vos filius liberaverit, verè liberi eritis*: ergo ſine gratia liberatrice Chriſti nulla poteſt eſſe libertas ad bonum, quæ tamen libertas neceſſaria eſt ad opus bonum morale. Reſpondeo diſtinguendo conſequens: ergo ſine gratia Chriſti nulla poteſt eſſe libertas ad bonum ſupernaturale, conc.: ad bonum naturale, nego conſeq. Textus ergo intelligi debet, quod liberum arbitrium ſine gratia liberatricè Chriſti ſit invalidum ad opera ſalutis; non verò, quod ad omne opus honeſtum, & rationabile ſit prorſus invalidum, & omnino extinctum.

Di-

32 Dices: Ioann. 15. dicitur: *ſine me nihil poteſtis facere.* Item 2. ad Corint. 3.: *non ſumus ſufficientes, cogitare aliquid à nobis*: ergo, &c. Reſpondeo explicando ſic: nihil boni, quod ad ſalutē pertineat, conc.: nihil boni, quod ſit bonum honeſtum morale, & non ſalutare, nego. Volunt ergo prædicti textus, nos non poſſe aliquid facere meritorium ſalutis ęternæ, niſi juvante Deo, Auctore gratiæ; de quo puncto ibidem fuit Sermo Chriſti, & Apoſtoli; qui tamen nullatenús negant, nos poſſe aliquid facere, quod ſit bonum morale purè naturale, juvante Deo, ut Auctore naturę.

33 Arguit. 2.: ad Roman. 14. dicitur: *quod non eſt ex fide, peccatum eſt*; ſed opera infidelium non poſſunt derivari ex fide: ergo ſunt peccata. Reſp. explicando mai.: quod non eſt ex fide, ſumpta fide pro regula agendi, ſeu pro conſcientia, eſt, &c., conc.: ſumpta fide, pro habitu, vel actu credendi, nego. Diſtinguo ſimiliter min., & nego conſeq. Fides ſumi poteſt dupliciter: vel pro dictamine conſcientiæ, quo quis putat aliquid ſibi licere; quo ſenſu vulgaritèr dicitur: id bona fide fieri, quod ex conſcientia bona, & dictamine rationis operamur. Secundò ſumitur pro lumine fidei, ſivè actuali, ſivè habituali. Apoſt. ergo ibi nomen *fidei* accipit in primo ſenſu; nam loquitur de Iudæis, novitèr converſis ad fidem Chriſti, qui per conſcientiam erroneam judicabant, non eſſe licitum veſci cibis lege Moſayca prohibitis, & tamen comederunt, ut patet ex contextu.

34 Immò, licèt ibidem fides ſumatur pro habitu, vel actu credendi, ut videtur ſumere Auguſt. lib. 4. contra Iulianum, poteſt adhuc ſic explicari, quod non eſt fide contrariè, & poſitivè, ſeu quod fit infidelitèr, & contra id, quod fides ſuadet faciendum, eſt peccatum, conc.: quod non eſt ex fide negativè, hoc eſt, abſque fide, peccatum eſt præciſè, & per ſe, & quia fit à non habente fidem, nego. De priori modo operandi, nempe poſitivè contra fidem, formavit Apoſt. ſuum textum circa Iudæos, qui ex ſua fide priori exiſtimabant, abſtinendum eſſe à quibuſdam cibis, & nihilominus contra illam fidem præhabitam, illos comedebant, quæ comeſtio utique peccatum erat, cum fuerit contra lumen ſuę fidei.

35 Dices: ad Hębreos 11. dicitur: *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo*: ergo infide-

deles neceſsitantur ad peccandum. Explico textum : ſine fide impoſsibile eſt placere Deo ratione operantis, aut complacentia ad vitam æternam, conc. : ratione operis, aut complacentia ad bonum ſolum temporale, nego antec. Et diſtinguo ſimiliter conſequens. Replicabis: ad Titum 1. dicitur : *coinquinatis autem, & infidelibus nihil eſt mundum* : ergo infideles nec ratione operis Deo placere poſſunt. Explico antec. : nihil eſt mundum munditia perfecta, & ſupernaturali, conc. antec. : munditia imperfecta, & naturali, nego antec., & conſeq. Vel dic, Apoſt. ſolum loqui de his immundis, qui perverſam, & deſperatam habent conſcientiam, quorum omnia opera, ideò prorsùs immunda ſunt, quia, ſcilicèt, malam in ſuis operibus habent intentionem, ut patet ex contextu Apoſt. Alias pari ratione ſequeretur, omnia opera fidelium, & mundorum eſſe munda, cum dicat : *omnia munda mundis*, quod tamen abſolutè falſum eſt; aliàs, qui ſemèl fidem, & juſtitiam ad adeptus eſt, numquam peccare poſſet.

36 Argnit. 3. ex Concil. Arauſicano 2. cap. 22. ubi dicitur : *nemo habet de ſuo, niſi mendatium, & peccatum* : ergo, &c. Confirmat. ex Auguſt. lib. de Spiritu, & littera, cap. 8. dicente : *neque liberum arbitrium quidquam, niſi ad peccandum, valet, ſi lateat veritatis via*; ſed infideles latet veritatis via : ergo, &c. Reſp. explicando Concilium : *nemo habet, &c.*, id eſt, mendatium, & peccatum formaliter eſt opus ſolus creaturæ defficientis, non verò Dei, conc.; omne enim bonum, quod habet homo, eſt à Deo, ſive tamquam Auctore naturæ, ſive tamquam Auctore gratiæ prout ipſa opera fuerint; *nemo habet, &c.*, id eſt, homo ſine fide, & gratia non poteſt, niſi peccare, nego. Vel diſting. aliter : nemo habet, &c. quatenus peccatum dicitur omne id, quod non conducit ad vitam æternam, ſeu peccatum in genere meriti, conc. : quatenus peccatum dicitur id, quod rectæ rationi opponitur, ſeu peccatum in genere moris, ordinis naturalis, nego. Simili reſponſione reſpondeo ad confirm. ex Auguſt.. Auguſt. enim, & Concilium ſolum de bono opere ſupernaturali loquebantur, contra gratiæ hoſtes dicentes, liberum arbitrium ſibi ſufficere ad peccandum, & ad faciendum opus bonum ſalutare, minimè autem loquuntur de operibus moraliter bonis.

Ar-

37 Arguit. 4.: nam Aug. lib. 14. de Civitate cap. 24. ait: *fecerunt itaque Civitates duas amores duo, terrenam, ſcilicet, amor ſui uſque ad contemptum Dei; Cœleſtem verò amor Dei, uſque ad contemptum ſui*: ergò quælibet actio, aut volitio hominis, vel eſt amor Dei, uſque ad contemptum ſui, aut à tali amore procedit, & ſic eſt opus ſalutare, proveniens ex charitate; vel eſt amor ſui uſque ad contemptum Dei, aut à tali amore imperatur, & ſic eſt peccatum; ſed volitio, aut opus infidelis nequit eſſe amor Dei, cui debet prælucere fidei illuſtratio: ergo neceſſariò eſt amor ſui, & conſequentèr peccatum. Item lib. 9. de Trinitat. cap. 8. dicit: *quodlibet verum, aut cupiditate, aut charitate concipitur.* Deinde, in Enchiridione cap. 17. ait: *regnat carnalis cupiditas, ubi non eſt Dei charitas.* Rursús, ſuper Pſalm. 18.: *qui noluerit ſervire charitati, neceſſe eſt, ut ſerviat iniquitati*: ergo nihil eſt boni intermedij inter culpabilem cupiditatem, & ſanctam charitatem; ſed infideles non poſſunt habere ſanctam charitatem: ergo omnia faciunt ex culpabili cupiditate; & conſequentèr eorum omnia opera ſunt peccata.

38 Reſp. ad primum negando conſequentiam, quæ non infertur. Nomine enim *duarum Civitatum* ſolum intèlligit Sanct. Doct. duos ſtatus animarum, quorum alter eſt ſtatus juſtitiæ, & gratiæ, & alter ſtatus peccati: non enim *Civitatis* nomen convenit rei tranſeunti, qualis eſt actio quælibet, aut volitio, ſed rei permanenti, & ſtabili, qualis eſt ſtatus. Unde Auguſt. ſenſus eſt, duos eſſe animarum ſtatus, alterum juſtitiæ, & charitatis, qua Deus ab homine diligitur uſque ad contemptum ſui: alterum peccati, quo Deus contemnitur, dum ejus amicitia viliſsimæ rei poſtponitur; & ſic diſtinctio eſt adæquata omnes enim homines in alterutro ſtatu ſunt, aut, ſecundum Auguſt., in alterutra Civitate. Hinc minimè ſequitur in omnibus, & ſingulis actionibus eſſe alterutrum amorem, etiam judice ipſo Aguſt., ſupra citato, in ipſis Idolatris agnoſcente actus moraliter bonos, temporali præmio à Deo donatos; qui proinde neque progeniti fuere ex amore noxio mundi, voluptatis, aut commodi humani uſque ad contemptum Dei; neque ex amore, quo Idolatræ Deum dilexerunt uſque ad contemptum ſui prodie-

runt : unde dantur actiones aliquæ , ad neutram civitatem pertinentes.

39 Hinc ad conſequentiam deductam ex reliquis tribus auctoritatibus , reſpondeo diſting. conſequens , conformiter ad ſolutionem præcedentis numeri : nihil eſt boni intermedij inter cupiditatem , & charitatem ratione ſtatus ſubjecti , ſeu operantis , conc. conſeq. : formaliter , & ſpectata ſola ratione operis , nego conſequentiam. In ſubiecto namque , ſcilicèt , in homine , cum peccato originali nato , omninó adeſt , vel cupiditas , vel charitas , eſtque ſubiectum , in quo permanentèr , & habitualitèr dominatur , aut cupiditas , aut charitas ; quamvis revera aliquando actum indifferentem, aut moraliter bonum , ubi non adeſt charitas, operetur. Secundò reſpondeo explicando illas auctoritates: quidquid ab homine fit , fit charitate perfecta, vel imperfecta ; aut cupiditate, conc. : ſemper charitate perfecta , aut cupiditate , nego. Unde Div. Auguſt. lib. de Natura , & gratia cap. 70. dupliciter ſumit cupiditatem : primò in ſtricto ſenſu , & ſic ſignificat cupiditatem vicioſam : ſecundò in latiore ſenſu , nempè pro omni affectu , qui non convenit cum perfecta charitate, ordinata per ſe in Deum. Et cupiditas in hoc poſtremo ſenſu amplectitur , tam actus indifferentes , quam actus moraliter bonos in genere moris.

40 Auguſt. enim citatus ſic ait : *charitas inchoata , inchoata juſtitia eſt : charitas provecta, provecta juſtitia eſt : charitas perfecta , perfecta juſtitia eſt.* Undè charitas inchoata duplex eſt : una inchoata *ratione motivi* , ut quandò Deus quidem diligitur , ſed magis ut bonum noſtrum , quam ut bonus eſt in ſe : altera *ratione gradus*, ut quandò Deus ex completo motivo propter ſe diligitur , ſed remiſsius , quam fieri poteſt. Charitas , inchoata hoc poſteriori modo , non reperitur in peccatoribus , ſive fidelibus, ſive infidelibus ; eſt enim charitas , ſic ſumpta, à gratia ſanctificante indiſtincta : priori autem modo accepta , aut ſupponit pro ſpe infuſſa, non reperta in infidelibus , & exiſtente in peccatoribus fidelibus ; vel tandem charitas inchoata ſumitur 3. pro bono honeſto quod Deus aprobat , dummodo non diligatur contra eius voluntatem , & in hoc ſenſu ſignificat bonum honeſtum purè naturale.

41 Arguit. 5. : D. Aug. lib. de Spiritu , & littera cap. 14. ait : *non eſt fructus bonus, qui*

qui de radice charitatis non conſurgit. Item lib. de Gratia Chriſti cap. 26.: *quid boni faceremus, niſi diligeremus :: ubi non eſt dilectio, nullum opus imputatur*: ergo, &c. Reſp., Div. Auguſt. toties, quoties dicit, quod nihil ſit bonum, niſi fiat ex charitate, ſcilicet, infuſa, & ſupernaturali, ac perfecta, quorum nullum opus ſine dilectione imputetur, ſemper eſſe explicandum, & intelligendum cum diſtinctione, ſcilicèt: nihil boni fit, aut homini imputatur ſalutare, & conducens ad vitam æternam, conc.: nihil boni ſimplicitèr, aut bonum morale ordinis naturæ, negatur.

42 Dices: Div. Auguſt. de Spiritu, & littera cap. 4. dicit: *mandatum, ſi fit timore pœnæ, non amore juſtitiæ, ſervilitèr, & non liberalitèr fit; & ideò non fit.* Idem repetit cap. 8. dicens: *quodque timore pœnæ ſervant legent, potius ex illo rei tenebantur, quod eos noverat Deus malle, ſi fieri poſſet, impunè committere*: ergo ſine gratia, & dilectione, nec præceptum benè adimpleri poteſt; ſed infideles non habent dilectionem, cum non habeant fidem: ergo, &c. Reſp. explicando antec. ſub diſtinctione: & ideò non fit adimpletio præcepti, & potius ex illo tenentur rei, ut plurimum, conc.: ſemper, & in omni ocaſione, nego antec. Quod autem hęc ſit mens Auguſt., nempe, non omne, quod ſit timore pœnæ, ſemper eſſe vicioſum, patet, quia ipſemet ſæpius timorem ſervilem, ſi tamen ſine ſervilitate mali affectus ſit, commendat; ait enim lib. 1. de Spiritu, & littera cap. 14., quæ ſequuntur.

43 *Salubritèr, non ſolum bonitatem, verum etiam ſeveritatem Dei Sacra Scriptura commendat, quoniam, & amatur Deus utilitèr, & timetur.* Item Tract. 9. in Epiſt. 1. Ioann. ait idem Auguſt.: *timor prius occupat mentem :: ut introduceret charitatem :: timor medicamentum, charitas ſanitas.* Idem paſsim dicunt alij SS. PP., ut Cyprianus lib. de Laude Martyrij; Chryſoſt. homil. 15.; Baſil. in Pſalm. 30.; Ambroſius in Pſalm. 118.; & Hieronymus in 1. Malachiæ. Ideò, cum timor pœnæ reprobatur ab Auguſt., loquitur ſolum in caſu timoris ſervilis cum ſervilitate, quandò ſcilicèt homines, ita timore pœnæ adimplent leges, ut maneant talitèr affecti, quod aliàs non vellent implere legem, ſed potius malum contrarium agere, ſi non eſſent pœnæ; non verò, quia honeſtum eſt timere pœnas, rectè, & juſtè conſtitu-

tutas, qualis timor, cum excludat animum peccandi, bonus est, & honestus.

44 Arguit. 6.: August. directè, & expresse loquens de infidelibus, docet, omnia eorum opera esse peccata, & nullas in eis esse veras virtutes: ergo, &c. Prob. antec.: nam lib. 1. de Nuptijs, & Concupiscentia, cap. 3. dicit: *absit ergo, pudicum veracitèr dici, qui non propter Deum veram fidem conubij servat uxori.* Idem docet lib. 4. contra Julianum, cap. 3.: ergo, &c. Resp. negando antec. Et ad probat. distinguo consequens: ergo nulla est vera virtus, qua homo censeatur rectè vivere, & per quàm justificationis gratiam, & vitam æternam obtineat, ut docebat Iulianus, conc. conseq.: nulla est virtus, qua homo, ad aliquod opus bonum morale ordinis naturalis eliciendum, inclinetur, saltem ubi non urget gravis tentatio, nego conseq. Sanct. Aug. nomen *virtutis* ibi usurpat solum pro tali habitu, qui sit principium operandi in ordine ad salutem supernaturalem, ut clarè patet ex contextu eiusdem capitis 3. contra Iulianum.

45 Dices: illæ virtutes, solum moralitèr bonæ, essent steriles per respectum ad beatitudinem; sed negat apertè S. August. posse virtutes esse steriles eodem cap. 3. contra Iulianum dicens: *dixisti, omnes virtutes affectus esse, per quos, aut fructuosè, aut sterilitèr boni sumus: fieri enim non potest, ut sterilitèr boni simus, sed boni non sumus, quidquid sterilitèr sumus:* ergo, ad mentem August., non dantur virtutes steriles. Resp. disting. min.: negat August., virtutes posse esse steriles, respectu boni supernaturalis, licet sint fecundæ respectu boni naturalis, nego min.: negat posse esse steriles tam respectu boni naturalis, quam supernaturalis, concedo. Ipsemet August., supra iam citatus, affirmat, Deum dedisse Romanis imperium super tot gentes in remunerationem ipsorum virtutum politicarum, & moralium: ergo censet, eas virtutes fuisse fecundas fecunditate promerente remunerationem mercedis temporalis.

46 Replicabis: August. lib. 1. de Nuptijs, & concupiscentia cap. 3. apertè ait: omnia opera infidelium esse peccata, quia etiam actum bonum exequuntur malo fine, ait enim: *non peccata coercentur, sed alijs peccatis alia peccata vincuntur.* Et lib. 4. contra Iulianum cap. 4.: *si gentilis nudum operit: prorsus, in quantum non est ex fide, peccatum est*: ergo, &c. Resp. 1., Div. August. ibi nomen

men *peccati* ſumere negativè, & impropriè ſeu in genere meriti, ſcilicèt, pro omni actu, qui ad vitam æternam non poteſt prodeſſe; non verò poſitivè, & propriè, ſeu in genere moris, prout peccatum opponitur rectę rationi. Reſp. 2. Auguſt. ſolum velle, opera infidelium, ut in plurimum eſſe peccata; quia plerumque agunt propter finem malum, nempè ut vel ſibi, vel alijs placeant, non verò vult Auguſt., ſemper infideles peccare, nam quandoque contingit, ut bona opera faciant ex motivo honeſtatis, quia ſic dictat recta ratio.

47 Replicabis iterum: Auguſt. ſupra ait: *fieri non poteſt, ut ſterilitèr boni ſimus*, hoc eſt, nullum datur bonum ſterile: ergo nullum datur bonum morale in infidelibus. Diſting. antec.: nullum datur bonum ſterile, á quo homines dicantur boni ſimplicitér, & perfectè, conc.: à quo dicantur boni ſecundum quid, & minùs perfectè, nego antec. Inſtabis: Auguſt. ibidem expreſsè ait: *fructus arborum ſterilium non eſſe laudandos*: ergo nec ſecundum quid bonum datur in infidelibus. Diſt. ant. fructus arborum ſterilium, id eſt, omnimodè ſterilitèr, & ex malo fine facta opera bona ratione officij non ſunt laudanda, conc.: ſecus, nego antec. Voluntas ſterilis boni ſupernaturalis poteſt eſſe bona ſecundum quid, & ſecundum quid fęcunda, merendo mercedem temporalem; ideó fructum fęcundum laudandum poteſt producere.

48 Arguit. denique: non poteſt dari ullum opus bonum ſine recta intentione; ſed infideles non poſſunt habere rectam intentionem: ergo, &c. Maior patet ex communi regula morum. Prob. min.: ibi non poteſt eſſe recta intentio ubi non eſt fides, quæ eſt oculus mentis, dirigens intentionem; nam ait Auguſt. in Pſalm. 31.: *nemo computet opera ſua bona ante fidem; ubi enim fides non erat, bonum opus non erat; bonum enim opus intentio facit, intentionem fides dirigit*; ſed infideles non habent fidem: ergo, &c. Reſp. diſting. min.: infideles non poſſunt habere rectam intentionem rectitudine ſupernaturali, conc.: rectitudine naturali, nego min. Et diſting. mai. probationis: ubi non eſt fides non poteſt eſſe recta intentio, & directio operis in finem ultimum ſupernaturalem, conc.: in finem honeſtum ſubalternum, ordinis naturalis, nego mai. Sicut enim fides dirigit intentionem in finem ſupernaturalem, ita lumen rationis dirigere poteſt in finem ho-

nestum naturalem. In sensu distinctionis intelligendus est Aug. qui loquitur de bonitate supernaturali, ordinata ad æternam salutem.

49 Replicabis: omne opus quod refertur in aliquem finem creatum, & non in Deum, est peccatum; sed ubi non est fides vera, non potest opus in Deum dirigi: ergo, &c. Disting. mai.: & non in Deum, nec explicitè, & actualitèr, nec implicité, aut virtualitèr, vel habitualitèr, peccatum est, conc. mai.: quod non explicitè, aut actualitèr, benè tamen implicitè, & virtualitèr, scilicèt per relationem intrinsecam, quæ veluti imbibitur in ipsa entitate actus honesti, peccatum est, nego mai. Eisdem terminis distinguo min. Itaque opus honestum ordinis naturalis, v.g., præstare pauperi misericordiam, &c., nisi extrinseca intentione depravetur, & in malum finem expressè, & formalitèr dirigatur de se virtualitèr, & implicitè dicit essentialem ordinem ad Deum: & hæc virtualis, & imbibita relatio operis in Deum sufficit ad bonitatem operis honesti, & pertinet ad charitatem humanam licitam, vel ad divinam naturalem inchoatam, vel tandem ad cupiditatem in latiori sensu, nempe pro omni affectu, qui non est perfecta charitas per se, & formalitèr ad Deum ordinans, de quibus in superioribus manet dictum.

50 Dices: si liceret explicitè agere propter alium finem, quam Dei gloriam, maximè propter honestatem virtutis; sed hoc non; cum August. lib. 19. de Civitate cap. 25. dicat: *licèt enim à quibusdam tunc verè, & honestè putentur esse virtutes, cum ad se ipsas referuntur, etiam tunc inflatæ aut superbæ sunt, & ideo non virtutes, sed vicia judicanda sunt*: ergo, &c. Resp. disting. min.: sed hoc non, ita ut in virtute, tamquam in ultimo fine sistatur, conc.: ita ut honestas virtutis præfigatur finis subalternus, & ordinabilis ad ultimum finem, sivè virtualitèr, sivè habitualitèr, hoc est, ita ut non excludatur positivè proprius ultimus finis, nego min. In primo sensu discurrebat August. citat. per hæc verba: *quatenus hominem facit beatè vivere.*

QUÆST. SECUNDA.

An homo poſsit ſine auxilio gratiæ, tam habitualis, quam actualis obſervare totam legem naturę?

51 NOtandum eſt 1. legem naturæ eſſe legem divinam, ut nemo dubitat, ut pote à Deo, Auctore naturæ, nobis latam per lumen rationis; quapropter præcepta divina in duplex genus debent dividi: quædam enim ſunt naturalia, quæ lumine naturali cognoſcuntur, & ipſa lege naturæ dictantur, ſive per principia generalia, ut: *bonum eſt amandum*: *malum eſt fugiendum*; vel in particulari, ut: *quod Deus ſit collendus*: *parentes ſint honorandi*, & reliqua, quæ continentur in Decalogo. Quædam verò ſunt ſupernaturalia, quæ ſuppoſita hominis ordinatione, & elevatione ad finem ſupernaturalem, ipſi media neceſſaria præſcribunt, & ad ea applicanda hominem obligant, ut ſunt præcepta fidei, ſpei, & charitatis; necnon & ea, quę ſpectant ad Sacramentorum receptionem, & adminiſtrationem. De his ſupernaturalibus præceptis non eſt quæſt.; nam certum eſt apud Theologos, non poſſe ſervari ſine auxilio gratiæ, cum in his, Deus ſupernaturaliter movens, ingrediatur obiectum formale actus præcepti in ſubſtantia. Unde tota difficultas de præceptis naturæ movetur.

52 Notandum eſt 2., obſervationem præceptorum eſſe duplicem: una quantum ad ſubſtantiam, & quaſi materialiter; quando nempè actus, qui præcipiuntur, fiunt, & qui prohibentur non fiunt; & hoc nudè, & ſimpliciter propter honeſtatem, & rationabilitatem talium actuum. Altera eſt quantum ad modum, & formaliter, quando, nempe, actus præcepti exercentur ob finem à lege intentum, qui eſt ſine dubio vita æterna. Quæ duplex obſervatio præceptorum adeò certa, & legitima eſt, ut jure merito ſit in Baio damnata ſequens propoſitio: *celebris illa Doctorum diſtinctio, divinæ legis Mandata bifariam impleri: altero modo, quantum ad præceptorum operum ſubſtantiam tantum: altero quantum ad certum quendam modum, videlicèt, ſecundum quem valeant, operantem perducere ad regnum Cœlorum, hoc eſt, ad modum meritorium, commentitia eſt, & explodenda.*

53 Notandum eſt 3., obſervántiam præceptorum, quantum ad ſubſtantiam, adhuc dupliciter ſpectari poſſe: nempè, vel collectivè pro omnibus

bus præceptis, generatim ſpectatis: vel ſolum diſtributivè pro aliquibus ſingulatim, & ſeorſim ab alijs conſideratis. Notandum eſt 4., poſſe aliqua præcepta naturalia obſervari, quantum ad ſubſtantiam operis præcepti abſque auxilio gratię, licet non quantum ad modum. Ratio primæ partis eſt, quia poteſt homo naturalitèr aliquod verum ſpeculativum, & practicum cognoſcere; ſed ad tale verum, naturalitèr cognitum, paritèr naturalitèr ſequi poteſt affectus naturalis ipſius voluntatis, præſertim per aliquod breve tempus, quandò non occurrit gravis motus, & tentatio in contrarium, ſed ſolum levis, aut mediocris, cum natura rationalis non ſit penitus deſtructa: ergo, &c.

54 Ratio ſecundæ partis eſt, tum definitio Concilij Carthaginenſis 2. can. 5. anathema dicentis ei, qui aſſeruerit, *hominem ſine gratia poſſe adimplere mandata divina.* Tum definitio Arauſicani 2. can. 23. ſtatuentis: *ſuas voluntates homines faciunt; non Dei, quando id agunt, quod Deo diſplicet. Quando autem ita faciunt, quod volunt, ut divinæ ſerviant voluntati, quamvis volentes agant, illius tamen voluntas eſt, à quo, & præparatur, & jubetur, quod volunt.* Unde can. 25. definit: *ipſe Deus nobis, nullis præcedentibus bonis meritis, & fidem & amorem ſui prius inſpirat, ut cum ipſius adjutorio, ea, quæ ſibi ſunt placita implere poſſimus;* ſed hęc decreta intelligenda ſunt de obſervantia præceptorum naturalium, quantum ad modum, ſicut ſupernaturalium quantum ad ſubſtantiam: ergo nullum præceptum naturale, quoad modum impleri poteſt ſine auxilio gratiæ. His notatis, ſit

55 Concluſio prima: *non poteſt homo ſolis arbitrij viribus, ſeu ſine auxilio gratiæ omnia legis naturæ præcepta ſervare collectivè accepta, nec quoad ſubſtantiam operis, nec quoad modum.* Et Subt. Doct. in 2. diſt. 28. q. unica, ℣. *ad argumenta*, aientis: *gentiles potuerunt juſtè vivere, ſervando legem naturę :: ſed iſti non benè vixerunt ſine omni gratia.* Prob. dein Concluſio authoritate Scripturæ; nam ad Rom. 7. dicit Apoſt.: *video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis mee, & captivantem me in lege peccati, quę eſt in membris meis. Infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis huius? gratia Dei per Dñum. Ieſum. Chriſtum:* ergo ſignificat Apoſt., gratiam Dei neceſſariam eſſe, ut divinum præceptum: *non concupiſces*: impleatur in hoc ſtatu

tu naturæ lapſæ.

56 Prob. 2. authoritate Concilij Carthaginenſis 1., ubi in quadam Epiſtola Synodica ad Innocentium Papam damnantur Pelagiani, aſſerentes: *Deum talem hominem inſtituiſſe, creaviſſeque naturam, quæ per propriam voluntatem legem Dei poſsit implere, ſive naturaliter in corde ſcriptam, ſive in litteris datam*: ergo in hoc ſtatu naturæ lapſæ lex naturalis ſine gratia ſervari non poteſt. Prob. 3. ex Patribus; nam Div. Aug. lib. de Gratia Chriſti cap. 8. ait: *uſque adeò aliud eſt lex, aliud eſt gratia, ut lex non ſolum nihil proſit, verum etiam plurimum obſit, niſi adjuvet gratia.* Proſper ait de lege Moyſi: *notum facit mandatum, ſed obediendi non præſtat affectum, niſi quod eſt occidens per imperium litteræ, fiat vivificans per ſpiritum gratiæ.* Et Fulgentius inquit: *lex ſine gratia oſtendere poteſt ægritudinem, non ſanare: legis eſt igitur, quod peccata cognoſcimus; gratiæ, quod vitamus*: ergo, &c.

57 Prob. 4. ratione Subt. Doct.: tum, quia, ut lex naturæ ſervetur integrè, oportet, hominem proprijs viribus numquam peccare; ſed numquam peccare, eſt inſigne beneficium gratiæ: ergo, &c. Prob. min. authoritate Doct. ſupra citati §. *ad quæſtionem* dicentis: *liberum arbitrium non poteſt ex ſe cavere omne peccatum mortale pro ſtatu iſto, quia anima ſine gratia aliquo peccato maculatur*: ergo, &c. Tum, quia homo lapſus gravibus, ut in plurimum tentationibus movetur, dum lex naturalis obligat, & concupiſcentiæ ſtimulis ab eius obſervantia retrahitur, & ad quærendum, quæ ſua ſunt, & non quæ legislatoris, appetitus eius incitatur; ſed non poteſt homo graves tentationes abſque gratia vincere: ergo nec abſque gratia poteſt implere omnia legis præcepta. Tum, quia ad omnem legem debitè implendam requiritur firmum propoſitum numquam peccandi, nec illam legem, quavis data occaſione, tranſgrediendi; ſed tale propoſitum formari, & firmari prudenter non poteſt abſque auxilio divinæ gratiæ, propter ingruentes unde quaque tentationis illecebras ad bonum ſenſibile vetitum alicientes: ergo multo minus poterit lex obſervari; nam facilius eſt proponere, quam exequi.

58 Arguitur 1. ex Scriptura: Apoſt. ad Rom. 2. ait: *gen-*

gentes, quæ legem non habent naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciunt : ergo poſſunt naturę viribus præcepta legis naturę ſervari. Deindè Deuteronomij 5. : *mandatum, quod ego præcipio tibi hodie, non eſt ſuprà te* : ergo eius obſervantia non excedit vires naturæ. Item Eccleſiaſtici 15. : *ſi volueris mandata ſervare, conſervabunt te* : ergo ſupponit vires. Reſp. ad prim. auctoritatem diſting. conſequens : ergo poſſunt naturę viribus obſervari præcepta naturalia aliqua, & pro modico tempore, ubi non adſunt graves tentationes, ab illa obſervatione retrahentes, conc. : poſſunt omnia, voluntate conſtanti, & in quavis occaſione, nego conſequentiam. Apoſt. non loquitur de tota lege naturæ, alioquin gentiles non colluiſſent Idola, ſed de aliquibus præceptis facilioribus.

59 Ad ſecundam authorit. explico textum : *non eſt ſuprate*, quoad cognitionem, quatenus, ſcilicèt, notitiam illius non eſt neceſſe petere à regionibus remotis, concedo : non eſt ſupra vires tuas, quoad obſervantiam, nego ; vel ſubdiſting. : non eſt ſupra vires tuas, adjutas á gratia, conc. : ſine illa, nego. Legitimitas huius diſtinctionis ſumitur ex ipſo textu, cum dicatur : *neque procul poſitum eſt, nec in Cœlo ſitum.* Ad tertiam authorit. diſting. conſequens : ergo ſupponit vires per gratiam, præparantem voluntatem noſtram, elevatas, conc. : vires ſimpliciter naturales ſufficientes, nego conſequentiam. *Præparatur voluntas à Domino*, inquit Auguſt. lib. de Gratia, & Libero Arbitrio cap. 16. *Deus eſt, qui operatur in nobis velle, & perficere certum eſt, nos facere, cum facimus ; ſed ille facit, ut faciamus, prævendo vires efficaciſsimas.*

60 Inſtabis : defacto plures etiam gentiles narrantur, ſervaſſe mandata omnia legis naturæ ut Cyrus, cui Deus dixit per Iſai. cap. 44. *omnem voluntatem meam complebis.* Et cap. 46. *eum nominat virum voluntatis ſuæ.* Item Matth. 19., quidam meruit à Chriſto audire : *ſi vis ad vitam ingredi, ſerva mandata* ; qui reſpondit : *omnia hæc cuſtodivi à juventute mea.* Inſuper Paulus, ad Philipenſ. de ſe ipſo ante converſionem ſuam loquens, dicit : *ſecundum juſtitiam, quæ ex lege eſt converſatus ſum ſine quærela* ; hoc eſt ex integro ſervavi legem : ergo tota lex impleri poteſt ſine gratia.

61 Reſp. negando conſequentiam, quæ non ſequitur ex illis Hiſtorijs ; nam Cyrus certè non ſervabat totam legem, quan-

quando quidem erat Idolatra, ſanguinarius, & alienorum Regnorum invaſor. Dicitur autem compleviſſe voluntatem Dei, quia fecit, quod juſſum erat ei à Dño., nempè, ut Iſraelitas à captivitate ſolveret, & templum reſtaurari juberet, quod genus voluntatis divinæ ſervari poteſt à quolibet impio: qua ratione Dœmones, damnatorum tortores, dicuntur, voluntatem Dei implere. Deinde, qui dixit, *omnia hęc, &c.*; non adeo fuit devotus, quia ægrè tulit conſilium Chriſti; *cum audiſſet autem adoleſcens verbum, abijt triſtis; erat enim habens multas poſſeſsiones.* Et ideò, vel fictè ſibi gratulabatur de illa obſervantia mandatorum, vel ſupervé ſic prę ſumebat, hęc feciſſe ſine auxilio gratię. Apoſt. loquitur de obſervantia externa, & quoad forum externum, in quo nullam paſſus eſt quærelam, quia abſtinuit à perjurijs, homicidijs, adulterijs, & cæteris apertis criminibus, quæ lex prohibet; at quoad forum internum animæ, fatetur ipſe 1. ad Timoth. 1., ſe fuiſſe blasfemum, contumelioſum: & ad Titum 3. ait: *eramus enim aliquando & nos inſipientes, increduli, errantes, ſervientes deſiderijs, & voluptatibus varijs.*

62 Arguit. 2.: ſi obſervantia totius legis naturæ non poſſet haberi ſolis naturæ viribus, non obligaremur ad illam, quia ad impoſsibile nemo tenetur; & ut ait Auguſt. lib. de Natura, & Gratia cap. 43.: *Deus impoſsibilia non jubet*; ſed conſequens eſt falſum: aliòquin non peccaremus, tranſgrediendo præcepta naturalia: ergo, &c. Reſp. diſting. mai.: ſi non eſſet poſsibilis talis obſervantia naturę viribus, nec ad eſſent auxilia, quæ complerent vires, non teneremur ad illam, conc.: ſi adſint auxilia, quę compleant facultatem, nego mai. Et diſting. implicitam probat.: nemo tenetur ad impoſsibile, abſolutè, & ſimplicitèr tale, conc.: ad impoſsibile, ſolum ſecundum vires naturę, quod tamen poſsibile eſt, mediante divino auxilio, quod nobis non defficit, nego. Inquit enim Div. Auguſt., & Trident. 6. ſeſſ., cap. 11.: *Deus impoſsibilia non iubet, ſed iubendo monet, & facere, quod poſsis, & petere, quod non poſsis, & adjuvat, ut poſsis.*

63 Concluſio ſecunda: *ad obſervantiam totius legis naturalis, non requiritur abſolutè, & ex natura rei ſtatus gratiæ habitualis, ſeu ſanctificantis; benè verò de lege ordinaria Dei.* Deducitur ex Doct. Subt., concluſione 1. citato. Prob. 1. pars:

pars : ad obſervantiam præceptorum naturalium nihil aliud impedit, quam ignorantia, quæ eſt in intellectu, & infirmitas, quę eſt in voluntate, ut apertè docet Auguſt. de Peccatorum meritis, & remiſsione cap. 17.; ſed ut innoteſcat bonum, quod latet, & ſuave fiat in voluntate, ſeu in appetitu quod non delectabat, ſufficit gratia actualis, ſanans intellectum ab ignorantia, & ab infirmitate voluntatem, etiam ſi non ſanet à peccato, hoc enim deletur unicè per gratiam habitualem : ergo abſolutè, & ex natura rei gratia habitualis non eſt neceſſaria ad obſervationem totius legis naturalis.

64 Prob. 2. pars ex Scriptura, & PP.; tum quia Eccleſiaſtici 27. dicitur : *ſi non in timore Domini tenueris te inſtanter, cito ſubvertetur domus tua.* Et Lamentationum 1.: *peccatum peccavit Ieruſalem, propterea inſtabilis facta eſt.* Iſai. 57. : *impij quaſi mare fervens, quod quieſcere non poteſt, & redundant fluctus eius in conculcationem, & lutum* : ergo ſignificatur, neceſſe eſſe, ut homines peccatores, qui, ſcilicèt, carent habituali gratia, aliquandò aberrent, offendant, & præcipites ruant in peccata ſicut qui per lubrica, & in tenebris ambulant, facile cadunt. Hinc de peccatoribus dicitur in Pſalm. 34 : *viæ illorum tenebræ, & lubricum, & Angelus Dñi. perſequens eos.* Tum, quia Auguſt. lib. de Cathequizandis rudibus cap. ultimo dicit: *eum non implere legem, niſi qui divinum acceperit Spiritũ Sanctum. Patri, Filioque æqualem.* Et Greg. Mag. lib. 22. Moralium, cap. 12. dicit : *peccatum, quod mox per pœnitentiam non deletur, ſuo pondere trahit in aliud* : ergo peccator non poteſt diu, & cum quavis gratia actuali præcepta ſervare.

65 Arguit. 1. contra ſecundam part. concluſ.: ſi gratia ſanctificans, ſeu habitualis eſſet aliquomodo neceſſaria ad ſervandam legem, teneremur confiteri ad eam recuperandam, ſtatim ac amiſa eſt per peccatum ; ſed conſequens eſt contra omnes Theologos : ergo, &c. Prob. mai. : nam, amiſa illa gratia, eſſemus ſemper in periculo peccandi novis peccatis ; ſed quilibet debet vitare periculum peccandi : alioqui peccat : ergo, &c. Reſp. negando mai. Ad probat. diſtinguo mai.: eſſemus in periculo remoto, conc. : in proximo, nego mai., & diſtincta ſimiliter min., negatur conſequentia. Itaque illud

lud periculum non eſt ita proximum, quod non poſsit per aliquod tempus vitari peccatum mortale abſque gratia actuali; alioquin quidquid facit peccator, eſſet peccatum, quod eſt error. Saluberrimum tamen eſt conſilium, quam citò confiteri, ad recuperandam gratiam Dei ob iſtud, & alia pericula.

66 Arguit. 2.: ſi gratia habitualis eſſet neceſſaria ad obſervantiam integram legis naturæ, nullus infidelis poſſet totam legem implere; ſed hoc eſt falſum; aliàs cum debeant legem naturæ implere, tenerentur ad impoſsibile: ergo gratia habitualis, adhuc ex lege Dei ordinaria, &c. Reſp. diſting. ſequælam: nullus infidelis poſſet, &c., quando permanet in infidelitate, conc.: ſi depoſuerit infidelitatem, nego. Nemo enim infidelium eſt ex dictis in 1. Diſput. huius Tract., qui non habeat media ſufficientia, & neceſſaria, quibus poſsit venire ad fidem, &cõſequi gratiã juſtificationis.

67 Replicabis: habitus non eſt neceſſarius, niſi ad actus, ſibi proprios, v.g. habitus temperantię ad actus temperantię: ergo gratia habitualis, ſeu charitas infuſa, quæ ſunt realitèr idem habitus, non requiritur ad actus aliarum virtutum. Reſp. diſting. antec.: non eſt neceſſarius abſolutè, & ex natura rei, conc.: non eſt neceſſarius ex lege Dei ordinaria, ad perſeverandum in illa juſtitia naturali, & per accidens ratione impedimentorum removendorum, nego antec. Etiam temperantia aliquando neceſſaria ad hoc eſt, ut actus juſtitiæ conſtantèr exerceantur, impediendo, ſcilicèt, ne voluptatibus corporis nimium avertatur quis ad dandũ unicuique, quod ſuum eſt.

68 Concluſio tertia: *non ſufficit habitualis gratia ad perennem obſervantiam totius legis naturę, ſed requiritur, & neceſſarium eſt auxilium actualis gratiæ.* Prob. 1. ex Script. & PP.: nam Ioann. 17.; Chriſtus Dominus pro Apoſtolis ſuis, jam per gratiam habitualem juſtificatis, auxilium à Patre petit, dicens: *Pater Sancte, ſerva eos in nomine meo*; id eſt, *auxilio tuo*, interprætatur Div. Ioann. Chryſoſt. Deinde: Concilium Arauſicanum can. 1. dicit: *adjutorium Dei in renatis, & ſanatis eſt ſemper implorandum, ut ad finem bonum pervenire, vel in bono poſsint opere perdurare.* Inſuper Auguſt. lib. de Natura, & Gratia cap. 26. ait: *ſicut oculus corporis, etiam pleniſsimè ſanatus, niſi candore*

lucis adjutus, non poteſt cernere, ita nec homo perfectiſſimè juſtificatus, niſi æterna luce juſtitiæ adjuvetur divinitus, rectè non poteſt vivere: ergo ultra habitualem gratiam, etiam requiritur gratia actualis, &c.

69 Prob. 2.: licèt gratia habitualis ſanet animam quoad maculam culpæ, non tamen ſanat omnem infirmitatem in agendo, & contra impedimenta, orta ex parte concupiſcentiæ: ergo ultra gratiam habitualem, eſt etiam neceſſaria gratia actualis, &c. Antec. conſtat ex Apoſt., qui, licèt Juſtus, & Sanctus, tamen orabat, tentatus, dicens ad Rom. 7.: *quis me liberabit de corpore mortis huius?* Unde niſi Deus per auxilia gratiæ actualis ſanctos fortificet, facilè cadent; ideòque Pſalm. 29. dicebat Regius Propheta: *avertiſti faciem tuam a me, & factus ſum conturbatus.*

70 Objicies 1.: Concilium Milevitanum can. 6. definit: *gratiam juſtificationis non ad ſolam remiſſionem peccatorum, quæ jam commiſſa ſunt valere; ſed etiam ad adjutorium, ne committantur*: ergo præter gratiam habitualem, non eſt neceſſaria gratia actualis ad perennitèr implendam legem. Reſp. diſtinguendo antec.: definit; *gratiam juſtificationis*, ſumpta cum ſuis appendicibus concomitantibus, & connexis, id eſt cum auxilijs gratiæ actualis, *valere ad adjutorium, &c.* conc.: ſeparatam, & ſeiunctam ab his auxilijs gratiæ actualis, valere ad adjutorium, &c., nego antec., & conſequentiam.

71 Objicies 2.: Deus infundit gratiam habitualem, non tam, ut ſimus juſti, ſed etiam, ut benè vivamus, & peccata vitemus: ergo ſuperfluum eſt aliud auxilium actuale. Probat. antec.: niſi utrumque præſtaret gratia habitualis, non eſſet melior conditio juſti, quam peccatoris, quia iſte cum gratia actuali poteſt interdum ſervare legem naturæ; ſed abſurdum eſt, dicere, non eſſe melioris conditionis exiſtentem in gratia, præ exiſtente in ſtatu culpæ: ergo, &c. Reſp. diſt. antec. ſed etiam, ut benè vivamus habitualitèr, conc.: actualitèr, nego antec. Ad eius probationem negatur maior; juſtificatus enim maiori virtute, & diſpoſitione gaudet ad ſervandam legem, quam peccator; tum, quia nemo, niſi juſtificatus, poteſt illam ex integro ſervare: tum, quia juſtificationis gratia habet anexum jus ad quædam auxilia actualia tempore, & data occaſione concedenda, per quæ tota lex naturalis non difficultèr poſsit adimpleri.

QUÆST.

QUÆST. TERTIA.

An homo proprijs viribus ſine auxilio gratiæ poſsit Deum, ut Auctorem naturę, diligere ſuper omnia?

72 NOtandum eſt, quod amor Dei ſuper omnia eſt ille, quo Deus ſic diligitur, ut ipſius amori nullius alterius rei amor prę ferat-tur; ita ut nullius rei amore, vel timore velimus eum offendere, aut ab illius amicitia recedere, ſed præferamus illum ceteris omnibus bonis etiam nobis metipſis, ſi non explicitè, ſaltèm implicitè, & virtualitèr. Et hic amor vocatur apreciativus, & prælativus: qui quidem amor poteſt eſſe vel naturalis, vel ſupernaturalis. Naturalis eſt, quo diligitur Deus, ut cognitus lumine naturali, & ut Auctor naturę. Supernaturalis eſt, quo diligitur Deus, ut cognitus lumine ſupernaturali, & ut Auctor eſt gratiæ, & gloriæ. Quæſtio non procedit de dilectione ſupernaturali; nam certum eſt, quod ad iſtam auxilium gratiæ eſt neceſſarium.

73 Rurſus: amor Dei poteſt eſſe efficax, & ineffi-cax. Efficax eſt, qui ex ſe talis eſt, ut inducat, vel iuducere poſsit ad facienda ea omnia, quæ Deo placent, & ad vitanda quæ Deo diſplicent. Inefficax eſt tantum quædam velleitas, ſeu ſimplex complacē-tia, & affectus erga Deum, non inducens ad faciendum ea, quæ ei placent, nec ad vitandum ea, quæ ei diſplicent. Inter hos amores non eſt difficultas de amore ineffica-, quia iſtum poſſe haberi abſque ſpeciali gratia, conſtat ex eo, quod talis amor eſt proportionatus viribus naturalibus, tam phyſicè, quam moralitèr.

74 Inſuper: amor efficax poteſt eſſe efficax effectivè, ſeu in effectu; vel efficax affectivè, ſeu in affectu. Primus, qui ab aliquibus dicitur efficax efficatia exequente, eſt, qui poſt ſe trahit effectum, v. g. omiſsionem peccati, & adimpletionem præceptorum. Secundus, qui etiam ab aliquibus dicitur efficax efficatia ſufficienti, eſt ille, qui ſerio quidem proponit exequi omnia, quę Deo placent, & quantum eſt de ſe, ſufficiens eſt ad ea exequenda, ſed tamen defacto non exequitur. Igitur non loquimur de amore efficaci effectivo, quia certum eſt, hominem non poſſe, ſecluſſa gratia, Deum, ut Auctorem naturę, tali amore diligere ſuper omnia, quando quidem non poteſt abſque auxilio gratiæ totam legem naturæ adimplere, ut jam manet dictum. Ideo prę-ſens difficultas procedit de naturali amore Dei ſuper omnia,

ef-

efficaci affectivo. His notatis, ſit

75 Concluſio : *homo poteſt ſine auxilio gratiæ Deum, ut naturæ Auctorem, diligere ſuper omnia dilectione efficaci affectiva, durante pro tempore breviſsimo.* Concluſio eſt Subt. Doct. in 3. diſt. 27. q. unica. §. *iſtis igitur rationibus*: quam ſequuntur Scotiſtæ, & maior pars Ieſuitarum, contra opinionem, magis receptam inter Thomiſtas. Prob. 1. ex Script. ; nam Paul. ad Rom. 1. ait: *revelatur enim ira Dei de Cœlo ſuper omnem impietatem, & injuſtitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in injuſtitia detinent :: ita ut ſint inexcuſabiles; quia, cum cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt.* Ex quo ſacro Textu ſic : Apoſt. accuſſat gentiles, maximè Philoſophos impietatis, & injuſtiæ ; quia, cum cognoviſſent Deum (& quidem non ex fide, ſed ex lumine, & ratione naturali ex creaturis) ipſum non coluerunt, amore, ſcilicèt, & obſervantia ; cultus enim erga Deum præcipuè in eius amore conſiſtit, juxta illud Auguſt. Epiſt. 120. : *non colitur ille, niſi amando* ; ſed ſi talis cultus eſſet impoſsibilis, jure poſſent gentiles excuſari ; nam nulla maior ratio excuſationis, quam impoſsibilitas : ergo, &c.

76 Prob. 2. ex Div. Aug. lib. 12. de Civitate Dei cap. 1. dicente : *cum vicium creaturæ rationalis dicitur, quod non adhæreat Deo, hinc apertè declaratur eius naturę, ut Deo adhæreat convenire* : ergo cenſet, eſſe naturale creaturę rationali adhęrere Deo per amorem. Et lib. 1. Confeſsionum cap. 1. dicit : *feciſti nos Domine, ad te, & inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te* : ergo docet, ineſſe homini naturalem inclinationem, & innatum appetitum ad dilectionem Dei ob illam inquietudinem cordis, quæ naſcitur ex ipſa creatione, & conditione naturæ rationalis ad Deum, ut ſui cauſam, videndum, & diligendum. Confirmatur ex Summis Pontificibus, damnantibus in Baio ſequentem propoſitionem, quæ eſt 34. : *diſtinctio illa duplicis amoris naturalis videlicet, quo Deus amatur, ut Auctor naturæ ; & gratuiti, quo Deus amatur, ut Beatificator, vana eſt, & commentitia, & ad illudendum Sacris Litteris, & plurimis veterum teſtimonijs, excogitata* : ergo, &c.

77 Prob. ex Subt. Doct. cit. : ratio naturalis oſtendit naturæ intellectuali, eſſe aliquid ſummè diligendum, ſeu ſummum bonum, quia in omnis ac-

actibus, & obiectis, eſſentialiter ſubordinatis, eſt aliquid ſupremum; ſed ratio naturalis dictat, Deum eſſe illum ſummum bonum, & non ſe ipſam naturam intellectualem creatam: ergo dictat, Deum eſſe ſuper omnia ſumme diligendum. Subſumitur: ſed quod ratio naturaliter proponit ſummè diligendum, poteſt voluntas naturaliter diligere, præſertim ſi non adſit gravis tentatio, quæ non ſemper occurrit: ergo, &c. Minor ſyllogiſmi patet; nam aliàs charitas infuſa, quæ eſt ad adjuvandam noſtram voluntatem in ſuo amore, inclinaret ad ſumme diligendum illud, quod à naturali ratione dictaretur, non eſſe ſummè diligendum; & ſic charitas infuſa non eſſet conformis rectæ rationi: ergo ratio naturalis dictat, Deum eſſe ſummè, & ſuper omnia diligendum. Minor autem ſub ſumpta prob.: nihil poteſt intellectus rectè dictare, in quod dictatum non poſsit voluntas naturaliter tendere; alioquin voluntas eſſet naturaliter mala, vel ſaltèm non libera ad tendendum in quodlibet ſecundum illam rationem boni, ſecundum quam ſibi oſtenditur ab intellectu: ergo, &c.

78 Prob. 4.: ideo intellectus non indiget ſpeciali gratia ad cognoſcendum Deum, ut Auctorem naturæ; quia Deus, ut Auctor naturæ, non excedit vires naturales intellectus; ſed ut Auctor naturæ non excedit vires naturales voluntatis: ergo ad illius dilectionem ſuper omnia non indiget voluntas ſpeciali gratia. Maior patet: nam ideó intellectus indiget ſpeciali gratia ad cognoſcendum Deum, ut Auctorem gratiæ, quia, ut ſic, excedit vires naturales intellectus. Minor verò prob. 1.: nam id, quod non excedit vires naturales intellectus, nec excedit vires naturales voluntatis; voluntas enim verſatur circa totum ens, ſicut intellectus. Secundò: ſi Deus, ut Auctor naturæ, excederet vires naturales voluntatis, non excedendo vires naturales intellectus, ſequæretur, quod homines, qui non poſſent excuſari à cognitione Dei, Auctoris naturæ, poſſent excuſari à dilectione illius; cum ad impoſsibile nemo teneatur; ſed hoc eſt contra Apoſt. ſupra dicentem: fuiſſe inexcuſabiles gentiles ex eo, quod, cum Deum cognoviſſent, non ſicut Deum glorificaverunt: ergo, &c.

Prob.

79 Prob. 5.: poteſt homo, ſolo lumine naturali ductus, mori pro Deo, Auctore naturę; ſed eſſet, Deum, pluſquam ſe, & ſuper omnia diligere dilectione efficaci viribus ſolius naturæ: erg. &c. Minor conſtat ex illo Ioan. 15.: *maiorem hac dilectionem nemo habet, ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* Maior autem prob. ex Philoſ. 9. Ethicorum cap. 9. dicente, quod vir fortis, quatenus eſt membrum Reipublicæ, ſequendo dictamen rationis rectæ, debeat ſe morti exponere pro bono Reipublicæ: & conſequentèr, pluſquam ſe ipſum, debet Rempublicam diligere: ergo multo melius pro Deo, Auctore naturę, cum plus debeat Deo, quam Reipulicæ; nam Reipublicæ obligatur, ut eius pars, Deo autem ſecundum totum ſuum eſſe productum, & conſervatum. Obſerva tamen, noſtram concluſionem eſſe de amore amicitię, ſeu benevolentię, quo nempe diligimus Deum propter ſe, ſeu benè volumus Deo, quia in ſe eſt bonus: qui amor propriè dicitur dilectio, pertinetque ad charitatem; & non tantum de amore concupiſcentię, quo ſcilicèt Deum deſideramus, ut nobis bonum, pertinetque ad ſpem.

80 Arguit. 1.: ad Rom. 5. dicitur: *charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis.* Et 1. Ioann. 4.: *charitas ex Deo eſt*: ergo delectio Dei eſt per gratiam, ſeu per infuſionem Spiritus Sancti. Reſp. diſtinguendo conſequens: ergo dilectio ſupernaturalis, & conducens ad ſalutem, eſt, &c.; conc.: dilectio purè naturalis, & nullatenus poſitivè conducens ad ſalutem, nego conſequentiam. Nec dicas, Script. non diſtinguere inter charitatem ſupernaturalem, & naturalem. Oppoſitum enim patet ex Apoſt.; addu cto pro noſtra concluſione. Deinde: etiam ſi Scriptura non faceret diſcrimen, ſufficit, quod hoc Concilia faciant, ut Trident. dicens: *ſi quis dixerit, ſine præveniente Spiritus Sancti inſpiratione, atque eius adjutorio, hominem credere, ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe, ſicut oportet:: anathema ſit.* En quomodo Concilium Trid. non negat omnem dilectionem poſſe fieri ſine gratia, ſed tantum illam, quę ſit ſicut oportet. Eadem phraſi utitur Concilium Arauſicanum 2. can. 25.

81 Inſtabis: qui diligit proximum propter Deum, & conſequentèr ipſum Deum, totam legem naturalem implet, iux-

iuxta Apoſt. ad Roman. 13., dicentem : *qui enim diligit proximum, legem implevit :: plenitudo legis eſt dilectio* ; ſed non poteſt homo lapſus implere viribus naturæ , totam legem. Reſpondeo diſtinguendo mai. : qui diligit dilectione efficaci effectiva , implet totam legem , conc. : dilectione efficaci affectiva , ſubdiſtinguo mai.: implet totam legem diú , & ad impletione formali omnium, vel plurium actuum , à lege præceptorum , nego : implet totam legem pro aliquo brevi tempore , & quoad unum , vel alterum actum , quem ſolum hic , & nunc lex imperat, conc. mai. Et diſtinguo min. : ſed non poteſt homo naturæ viribus , ſervare totam legem longo tempore , & quoad omnes, vel plures actus, imperatos à lege , conc. : pro breviſsimo tempore, & quoad unum, vel alterum actum , qui ſit pro tunc affectivè efficax , nego min.

82 Itaque , licet homo non poſsit abſque auxilio ſpeciali gratiæ totam legem adimplere adimpletione formali effectiva , & exequenti ; immò nec dilectione affectiva, diù durante , propter difficultates , graveſque tentationes occurrentes , poteſt tamen illam implere impletione affectiva , pro parvo tempore durante;& conſequentèr poteſt adimplere virtualitèr totam legem, quatenus prædicta Dei dilectio affectiva continet virtualitèr affectivè adimpletionem totius legis naturæ. Continet, inquàm , in affectu ; quia affectus efficax ſervandi totam legem datur ſine gratia ordinis ſupernaturalis ; cum talis gratia non requiratur ad affectum, ſed ad effectum ſervandi totam legem. Non autem continet in effectu , quia prædicta dilectio purè naturalis , qua ſervatur pro tunc lex naturę , ſolum poteſt elici pro aliquo brevi ſpatio temporis , in quo nequit tota lex adimpleri effectivè ; cum nequeat tota lex pro tam brevi tempore occurrere.

83 Arguit. 2. : nam Concil. Arauſicanum 2. can. 25. *prorsùs donum Dei eſt , diligere Deum. Ipſe , ut diligeretur, dedit qui , non dilectus , diligit.* Et Milevitanum : *utrumque donum Dei eſt , & ſcire , quid facere debeamus , & diligere , ut faciamus.* Et Trident. ſeſſ.6.cap. 6. docet , *quod homo, à Deo motus , & excitatus , incipit diligere Deum , tamquam omnis juſtitię fontem.* Eodem modo ſæpè numero loquitur Auguſt.: ergo, &c. Reſp. , Concilia , & PP. loqui de amore Dei ſupernatu-

turali, & salutari; non autem de amore non salutari, qualis est, qui est purè naturalis. Hoc patet: nam addunt Concilia; gratiam esse necessariam ad amandum Deum, *sicut oportet*, quæ particula, secundùm phrasim Conciliorum significat opus, conducens ad salutem: quod tantum intelligi potest de actibus supernaturalibus.

84 Arguit. 3.: nullus actus, disponens, sive proximè, sive remotè, ad justificationem, & remissionem peccati, est possibilis ex viribus naturæ; sed summus amor Dei disponit subjectum, saltem remotè ad justificationem, & remissionem peccati: ergo, &c. Prob. min. ex illo Ioan. 11. ubi ait Christus: *qui diligit me, diligetur à Patre meo :: ad eum veniemus, &c.*: ergo summus amor, &c. Resp. disting. min.: summus amor Dei, quando est supernaturalis, disponit, &c., concedo: si talis amor sit purè naturalis, nego min. Ad prob. dico, quod illa dilectio, de qua loquitur Christus Dñus., est supernaturalis, & ex directione fidei christianæ.

85 Arguit. 4.: amor Dei super omnia, etiam purè naturalis, non patitur secum aliquem affectu inordinatū: immò includit odium omniū, quę aversantur legi divinæ: erg., si potest homo viribus naturę hunc amore elicere, poterit etiam totam legem servare; quod est contra Concilia, & PP. Confirm. 1. homo per amorem Dei efficacem debet ita firmari in bono, ut, etiam si occurrant graves tentationes, eas superare proponat; sed homo ex naturalibus non potest elicere tale propositum: ergo, &c. Prob. min.: non potest homo sine gratia graves tentationes vincere, neque totam legem naturæ servare: ergo, cum prędictum propositum sit volitio vincendi, & servandi omnia, consequens est, quod ex viribus naturæ non possit elici. Confirm. 2.: homo per amorem Dei convertitur in Deum: ergo, stante tali amore, non potest esse à Deo aversus: ergo stante tali amore, non potest esse peccator: ergo naturæ viribus poterit acquirere remissionem peccati.

86 Resp. ad argumentum distinguendo consequens: poterit homo servare totam legem pro aliquo brevi tempore, & quoad unum, vel alterum actum, conc.: pro diuturno tempore, & constantèr, nego consequentiam. Ad prim. confirm. distinguo mai.: debet ita firmari in bono, positivè, ne-

go:

go: negativè, conc. mai.; & diſtincta ſic min., nego conſequentiam. Itaque homo naturali dilectione amans Deum, debet hic, & nunc nullam habere volitionem cedendi talibus tentationibus, vel violandi legem naturæ; & ſic debet eſſe negative firmatus in bono; non tamen debet poſitivè per actualem aliquam tendentiam reſiſtere omnibus tentationibus, nec totam legem naturalem ſibi ſervandam expreſſe proponere; nam ſæpiiſsimè poteſt contingere, ut quis non cogitet de illa difficultate, nec adſit tentatio aliqua gravis, & in tali caſu amor Dei, tantum affectivè efficax, non debet poſitivè firmare animum contra difficultates abſentes, vel pro tunc non occurrentes; ſufficit enim, quod negativè ſe habeat modo iam dicto.

87 Ad ſecundam confirmationem, diſtinguo primum conſequens: ergo ſtante tali amore, non poteſt manere averſus à Deo actualitèr, conc.: habitualitèr, nego conſequentiam, & reliquas ex iſta illatas. Homo igitur, dum Deum actualiter amat, non poteſt ſimul habere actum odij, vel alium peccaminoſum; propterea que non poteſt eſſe actualitèr averſus à Deo: at, quia hìc actus nondum delet peccata habitualia prius patrata, manet homo habitualitèr averſus á Deo, & habitualitèr peccator, & ſic remiſsionem peccati non acquirit per amorem purè naturalem. Iſta ſecunda confirmatio inſtatur in attritione ſupernaturali, per quam homo, in omnium ſententia, convertitur ad Deum, & tamen eius peccata non delentur per talem attritionem, & nihilominùs, ſtante tali attritione, qua homo ſit actualitèr converſus ad Deum, manet habitualitèr averſus ab ipſo, & habitualitèr peccator.

88 Arguit. 5.: homo per peccatum manſit infirmus ſaltem moralitèr, & liberum eius arbitrium, & ſi non extinctum, ſaltem viribus atenuatum: ergo, licet ex proprijs viribus poſsit elicere aliqua bona opera, non tamen perfectiſsimum opus, uti eſt dilectio Dei ſuper omnia. Prob. conſequentia exemplo hominis, laborantis naturali infirmitate, qui etſi poſsit ex propriis naturum aliquem hominis ſani efficere, non tamen poteſt ad motum perfectiſsimum. Reſp., admiſſo antec., diſtinguendo conſequens: ergo licèt ex proprijs viribus, &c.; non tamen poteſt ad opus perfectiſsimum in qualibet occaſione, & perſeverantèr, vèl ita facile, ac

homo in ſtatu naturæ integræ, conc. : rarò, & in aliqua occaſione, ſeu pro parvo tempore, in quo gravis tentatio non occurrit, nego conſequentiam. Pro hoc argumento, ejuſque plena ſolutione percipiendis, recollantur in tom. 3. & in Tract. de Statibus naturæ humanæ, quę ibi ſunt dicta de vulneribus in naturam inflictis per peccatum.

89 Arguit. 6. : dilectio Dei, ut Auctoris naturę, ſufficientèr diſponit ad remiſsionem culpæ, prout iſta eſt offenſa Dei, ut Auctoris naturę; ſed Deus non remittit culpam dimidiata venia: ergo nec homo poteſt ipſum naturaliter diligere, quin Deus ei adæquatè remittat offenſam. Nunc ſic; ſed dilectio Dei, ut Auctoris naturæ non diſponit ad remiſsionem adęquatam culpæ: ergo nec ſe ſola poterit inveniri abſque aliquo actu ſupernaturali in homine elevato, & lapſo. Reſp., conceſsis præmiſſis, negando conſequentiam. Ratio eſt; quia, cum offenſa Dei, ut Auctoris gratiæ, ſit maior, quam offenſa ipſius, ut Auctoris naturæ, & iſta contineatur in illa, licèt non è converſo, ſequitur, quod, ſicut prima non tollitur per dilectionem Dei, ut Auctoris naturæ, ita nec per eandem dilectionem tollitur ſecunda in homine jam elevato; cum Deus numquam remittat culpam dimidiata venia.

90 Quarè in homine elevato & exiſtente in mortali, ſimulque Deum, ut Auctorem naturæ, efficacitèr diligente, duplex reperitur culpa: una contra Deum, ut Auctorem gratiæ, quæ nequit tolli per dilectionem purè naturalem, ut pote inferioris ordinis ad offenſam contra Deum, ut Auctorem gratiæ: & alia contra ipſum, ut Auctorem naturę, quæ licèt pro ſtatu purę naturæ poſſet; immo actu remitteretur per dilectionem efficacem Dei, ut Auctoris naturæ, non tamen pro ſtatu naturæ lapſę, pro quo Deus actu decrevit, numquam remittere culpam, dimidiata venia. Unde, cum quęvis culpa gravis pro ſtatu naturæ lapſæ ſit contra Deum, ut Auctorem gratiæ, includatque in ſe rationem offenſę contra Deum, ut Auctorem naturæ, hinc eſt, quod ad remiſsionem talis culpę, non ſufficiat dilectio Dei, quantumcumque efficax, prout eſt Auctor naturæ; alioquin in Deo daretur remiſsio inadæquata culpę, quetenus ſub uno reſpectu illam remitteret. Quod ſi homo exiſteret in pura natura, & ſub iſta conſideratione

ne Deum offenderet, tunc dilectio Dei efficax purè naturalis ſufficeret ad remiſsionem offenſæ.

QUÆST. QUARTA.

An homo lapſus abſque auxilio gratiæ poſsit vitare peccata, & vincere tentationes?

91 ADVERTENDUM eſt 1.,quod tentatio nihil aliud eſt, niſi provocatio ad malum; quæ provocatio, vel provenit ab extrinſeco, vel ab intrinſeco. Ab extrinſeco, ut quando quis verbo, aut malo exemplo alterius incitatur ad peccandum. Ab intrinſeco, ut quandò una pars noſtri, v.g. appetitus carnis inclinat aliam, ſcilicét ſpiritum, ad peccandum. Hoc ſemper accidit, vel ex innata carnis propenſione, vel ex opere Dœmonis, moventis carnem per agitationem ſpirituum animalium: quæ tentationes ordinariè dicuntur, *carnis*, *mundi*, & *Dœmonis*.

92 Advertendum eſt 2., prædictas tentationes eſſe in duplici differentia: quędam ſunt leves, & ſunt illæ, quæ tantum levitèr ſolicitant ad peccandum: aliæ ſunt graves, & ſunt illæ, quæ vehementèr movent ad malum grave, aut leve; nam gravitas, vel levitas tentationis non menſuratur ex gravitate, aut levitate objecti, ad quod allicit, ſed ex modo alliciendi, ita ut illa tentatio ſit gravis, quę vehementèr animum inclinat; levis verò, quæ tantum levitèr inclinat animum ad conſenſum. Unde ſit regula communis, quod illę tentationes, quæ diutiùs durant, ut in plurimum ſunt graviores, & moleſtiores, licèt levitèr moveant, quàm alię vehementiores, quæ citò quieſcunt; propterea que facilius reſiſtitur iſtis, quam illis. Uno verbo: tentationes, & ſi leves, ob ſui frequentiam, & importunitatem ſolent evadere graves; & è contra tentationes graves, ſi momentaneæ ſunt, non ſolent eſſe ita periculoſæ.

93 Advertendum eſt 3.,quod tentatio triplicitèr poteſt vinci. Primò per aliam tentationem, ut quandò unum peccatum vitatur per aliud: ut ſi avarus v.g. vincat tentationem carnis ex motivo avaritiæ: in quo, & ſimilibus caſibus, inquit Auguſt. lib. 1. de Nuptijs cap. 3.: *ſic non peccata coercentur, ſed alijs peccatis alia peccata vincuntur.* Quod quidem non eſt vincere, ſed vinci; & in hoc primo ſenſu tam certum eſt, non requiri gratiam ad victoriam tentationis, ac certum

tum eſt, Deum non velle peccatum. Secundò poteſt vinci tentatio ex motivo timoris, vel amoris Dei; & hæc eſt vera, & laudabilis victoria. Tertiò tandem poteſt vinci ex motivo honeſtatis naturalis, vel etiam horroris naturalis, retrahentis à malo, ad quod movet tentatio: & hoc, vel per ſuſpenſionem actus mali; vel per aliam actionem non malam, ſed potius ex ſe indifferentem; vel tandem per actum virtutis naturalis, quæ tentationi opponitur. De ſecundo, & tertio modo vincendi tentationes, procedit difficultas. Quibus prænotatis, pro intelligentia ſecundæ partis dubij.

94 Advertendum eſt 4. pro faciliori captu primæ partis, quod homo ſine auxilio gratiæ non poteſt potentia morali vitare omnia peccata mortalia. Ratio eſt: quia ſi homo ex viribus naturę non poteſt ſervare totam legem naturalem, ut jam dictum eſt, nec poterit ex eiſdem viribus vitare omnia peccata, quæ ex tranſgreſsione talis legis oriuntur. Advertendum eſt 5., quod homo ex ſolis viribus naturę non poteſt per totam vitam vitare omnia peccata venialia, propter innumeras tentationes in contrarium ex omni parte conditionum urgentes. Unde, in præſenti ſolum poteſt eſſe dubium: an homo lapſus, in ſtatu gratiæ, & juſtitiæ exiſtens, per auxilia ordinis gratiæ poſsit vitare toto tempore vitæ, vel pro aliquo diuturno, aut brevi ſpatio temporis omnia mortalia, vel etiam venialia: & hoc ſive collectivè, ſive diſtributivé.

95 Pro cujus deciſsione, advertendum eſt ultimò, quod ſanctificans gratia, prout an præſens attinet, tripliciter poteſt conſiderari. Primò prout eſt connexa cum ordinarijs actualibus auxilijs quę omnibus adultis juſtificatis conferuntur. Secundo prout eſt connexa cum quibuſdam uberioribus, & præſtantioribus auxilijs actualibus, quæ non quidem omnibus juſtis, ſed ſolum quibuſdam ex ſpeciali privilegio amoris Dei conceduntur. Tertiò tandem prout eſt connexa cum aliquibus auxilijs actualibus, quę ita raro conferuntur, ut uni, vel paucis, admodum videantur conceſſa; & ideò ſingulare beneficium, ſeu privilegium appellatur. His notatis, ſit

96 Concluſio: *homo lapſus, ſine auxilio ſupernaturali non poteſt vincere tentationes graves, benè verò leves.* Quoad prim. part. eſt communis contra Pelagianos, qui judicabant, omnes tentationes

poſſe

poſſe vinci ex ſolis viribus naturę ; quos ſic alloquitur Aug.: *nec donum Dei poſcitis, ne intretis in tentationem, hoc eſt, ne peccetis, in veſtra enim virtute confiditis.* Quoad ſecundam part. eſt etiam communis contra Baïanos, aſſerentes, nec leviſsimam quidem tentationem poſſe ſuperari abſque auxilio gratiæ. Concluſio eſt Subt. Doct. in 2. diſt. 28. q. unica.

97 Prob. 1. ex ipſo, ubi inquirit : *utrum liberum arbitrium hominis ſine gratia poſsit cavere peccatum mortale?* Et pro parte negativa dicit : *in hoc videtur eſſe hæreſis Pelagiana, quod liberum arbitrium ſufficiat ſine gratia.* Et paulo poſt ait : *item hæreſis videtur potiſsimè increpata ab Auguſtino, & adducta hac D. Gregorij auctoritate : peccatum, quod pœnitentia non deletur, mox ſuo pondere ad aliud trahit.* Ait Doct., quod propter verba Auguſtini, quę adducit contra Pelagianos, non poteſt caveri ab omni peccato ſine gratia ; ſed ſi homo ſine gratia non poteſt vitare omnia mortalia, nec poterit ſine gratia, vincere tentationes graves, quę ex natura ſua trahunt, & alliciunt moraliter voluntatem: ergo juxta Doct. Subt.,&c.

98 Prob. 2. Concluſ. ex Script. : nam in Pſalm. 17. dicitur: *in te eripiar à tentatione.* Et in Pſalm. 117. : *impulſus everſus ſum, ut caderem, & Dñs. ſuſcipet me.* Et in Oratione Dominica : *& ne nos inducas in tentationem* : ergo, juxta Sacram Script., homo non poteſt reſiſtere gravibus tentationibus, quin auxilium Dei ipſum protegat. Prob. 3. ex Concilijs, & Pontificibus : nam in Concilio Dioſpolitano cap. 15. anathematizatur, quod dictum fuit à Pelagio, nempe, *victoriam noſtram non eſſe ex Dei ajutorio, ſed ex libero arbitrio.* Et Conc. Arauſic. 2. can. 9. definit : *divini eſt muneris, cum & rectè cogitamus, & pedes noſtros à falſitate, & injuſtitia continemus.* Et Innoc. in Epiſt. 1. ad Concilium Carthaginenſe ait: *quotidiana ille præſtat remedia, quibus niſi freti confiſsique nitamur, nullatenus vincere humanos errores poterimus. Neceſſe eſt enim, ut quo auxiliante vincimus, & iterum non adjuvante, vincamur.* Idem docet Zozimus Papa in Epiſt. *ad univerſos Orbis Epiſcopos* : ergo, &c.

99 Prob. 4. ex Patribus: nam Auguſt. lib. de Perfectione juſtitiæ circa finem ait : *quiſquis negat, nos orare debere, ne intremus in tentationem : ab auribus omnium removendum, & ore omnium anathematizandum eſſe, non dubito.* Et homilia 23. cap. 6. ait : *ſi adulter non fuiſti,*

hoc

hoc tibi dicit Dñus. Deus tuus, regebam te mihi, ut non adulterium commmiteres : suasor defuit, &, ut suasor deesset ego feci : locus, & tempus defuit, &, ut hæc deessent, ego feci. Adfuit suasor : non defuit tempus, ut non consentires, ego terrui : agnosce ergo gratiam ejus, cui debes, quod non admisisti. Ambrosius in Psalm. 43. ait: *quis est tam fortis, ut nequaquam in tentationem moveatur, nisi Dominus ei adjutor assistat?* Idem dicunt reliqui Patres.

100 Secunda pars eiusdem Conclusionis prob.; tum ex Script., nam 1. ad Corinth. 1. dicitur: *fidelis Deus, qui non patietur, vos tentari, ultra id, quod potestis*; ac si dixisset: Deus opitulatur vobis per gratiam, quando vires naturæ non sufficiunt: erg. sentit Apost., tentationes leves posse superari ex viribus liberi arbitrij; alioquin frustrà dixisset: *ultra id quod potestis*; si revera homines non haberent ex se vires ad resistendum tentationibus, in se levibus. Idem docent Summi Pontifices in damnatione propositionis 29., & propositi on. 30. Baij: ergo homo sine gratia potest superare tentationes leves.

101 Tum prob. ratione: liberum hominis arbitrium non est ita viribus fractum, quin superare valeat difficultatem, à natura superabilem, ut per se est notum; sed tentatio levis solum addit difficultatem, à natura superabilem: ergo, &c. Prob. min.: si alicui proponatur: proprius pater honorandus, v. g. propter beneficia recepta, & simul occurrat levis tentatio propter leves minas, aut iram in filium, ratione quarum videtur filius avocari ab honore sui patris, adhuc poterit in honorando patrem pergere, solis viribus naturæ se roborando, nempè considerãdo, quod si patrẽ offendat, peccavit contra ipsum jus naturale, & ut filius degener infamia notabitur, quę mera motiva naturalia sunt: ergo, &c.

102 Confirm. 1.: per peccatum non extinguitur ratio nec aufertur libertas: ergo saltem aliquando, ratio naturalis ostendit malitiam, & turpitudinem aliquorũ actuum, ad quos provocatur; poterit voluntas ex motivo tali turpitudinis prædictos actus vitare. Antec. est certum. Prob. consequentia: voluntas est libera non solum ad eligendum inter bona æqualia, sed etiam inter inæqualia, & eligere potest minus bonum, præ maiori; ergo similiter, quando appetitus fugerit homini utilitatem furti, aut voluptatem adul-

adulterij, & ratio eidem proponit horum actuum turpitudinem, & honeſtatem fugę illorum, voluntas poteſt eligere hanc fugam, etiam ſi aliquantulum magis inclinetur ad illos actus.

103 Confirm. 2.: homo ex viribus naturę poteſt facere aliquod opus, moraliter bonum, ut patet ex dictis: ergo & eiſdem viribus poteſt vincere aliquas leves tentationes. Prob. conſeq.: quando enim quis facit opus moraliter bonum, reſiſtit ſugeſtioni mali oppoſiti; ut, cum quis ex naturali miſericordia ſuccurrit pauperi, vincit oppoſitionem avaritiæ. Confirmat. 3.: moraliter repugnat, hominem infidelem, ratione utentem, ſemper, & in omni occaſione facere, aut conſentire malis, quæ ſibi proponuntur; ita ut ex naturali propenſione in bonum, & rationis dictamine numquam reſiſtat, numquam occaſionem mentiendi, aut luxuriandi prætermitat.

104 Confirm. denique: nam quotidiè experimur, quod eodem tempore ſolicitamur ad duo objecta utilia, vel delectabilia, quorum unum eſt malum, & aliud non malum; ut quando quis ſolicitatur in eodem tempore ad turpia, & ad ludum, ſeu venationem, aut aliam recreationem honeſtam, vel ſaltem non malam poſitivè; ſed multoties accidit, quod homines eligant delectabilia honeſta, præ illis turpibus, ſine auxilio gratiæ ſupernaturalis: ergo, &c. Advertite tamen, has, & ſimiles victorias non eſſe ſalutares.

105 Arguit. 1. contra prim. partem Concluſionis: ſi homo ex viribus naturæ non poſſet vincere tentationes graves, non peccaret, quando eis ſuccumbit; ſed hoc eſt falſum: ergo, &c. Prob. mai.: nemo peccat in eo, quod non eſt in eius poteſtate; ſed non eſt in poteſtate hominis, gravitèr tentati, non ſuccumbere: ergo, &c. Reſpondent aliqui Scotiſtę diſtinguendo maiorem ſecundam: nemo peccat in eo, quod non eſt in eius poteſtate, nec phyſica, nec morali, concedunt: quod non eſt in poteſtate morali, negant. Et diſtinguunt min.: non eſt in poteſtate morali hominis, gravitèr tentati, non ſuccumbere, concedunt: non eſt in poteſtate eius phyſica, negant. Iſtam diſtinctionem in ſenſu, ab Scotiſtis intento, refutabimus, inquirendo: in quo conſiſtat efficatia auxilij.

106 Reſpondeo brevitèr negando mai. Ad probationem nego min. Ratio eſt: quia non ſolum eſt in poteſtate phyſi-

ca

ca hominis, gravitèr tentati, ſed etiam in poteſtate eius morali ſitum eſt vincere tentationes graves, ſi velit cooperari auxilio, ſibi à Deo oblato, qui neminem patitur tentari ultra id quod poteſt, non ſolum phyſicè, ſed etiam moralitèr. Quod ſi fingatur caſus, in quo homo ſit gravitèr tentatus, Deus, qui ei denegat ſua auxilia ad reſiſtendum (quod valdè durum eſt, & difficile creditu, ut pote omnino diſonum ſummæ Dei bonitati; immò & juſtitiæ, ſuppoſita elevatione hominis ad finem ſupernaturalem), tunc dicimus, quod homo ſic conſtitutus non ſolum non habet poteſtatem moralem ad reſiſtendum, ſed nec poteſtatem phyſicam, niſi tantum remotè talem, non verò proximam; cum poteſtas phyſica proxima ad reſiſtendum tentationi gravi integretur ex entitate naturali potentiæ, & ex auxilio ſupernaturali divinę gratiæ: quæ duo conſtituunt actum primum proximum ordinis ſupernaturalis. Quare, tentatione gravi urgente in abſentia omnis auxilijs, voluntas neceſsitatur ad ſuccumbendum, nedum neceſsitate morali, ſed etiam neceſsitate phyſica proxima in ſenſu jam explicato.

107 Replicabis: victoria tentationis gravis eſt ſupernaturalis: ergo nullo modo eſt in poteſtate voluntatis ei reſiſtere. Patet antec.; quia talis victoria dependet ab auxilio ſupernaturali. Diſting. antec.: victoria tentationis gravis eſt ſupernaturalis quoad modum, ſeu ſecundùm quid, conc.: eſt ſupernaturalis quoad ſubſtantiam, & ſimplicitèr, nego antec. Victoria igitur tentationis gravis dependet à libertate voluntatis, cooperantis auxilio, ſeu motioni gratię, potentis pro eodem tunc non cooperari. Et quoad hoc victoria eſt naturalis, ſeu ex viribus naturæ, licèt non adæquatè; nam victoria adæquata eſt ſimul ab utroque, ſcilicet, ab auxilio movente, & à voluntate mota, & ſimul agente.

108 Arguit. 2.: non requiruntur maiores vires ad reſiſtendum tentationi gravi, quam ad ſuſtinenda difficiliora onera, quæ, proptèr honores aſſequendos, divitias comparandas, & concupiſcentias explendas, occurrunt; ſed hæc plerumque ſubſtinent homines viribus naturæ: ergo, &c. Reſp. negando mai.; quia motiva ſenſibilia, quibus homines moventur ad ſuperandas graves difficultates pro ſuis cupiditatibus explendis, ſunt de ſe ſenſui, & cupiditati grata, & jucunda; ideòque multo fortius

tius ſolent movere, quam motiva purè honeſta, & ſpiritualia, quæ interdum adverſantur voluptati ſenſuum; & ideò non illa, ſed iſta auxilium alterius requirunt. Unde, quandò homines vincunt graves difficultates ex motivis tantum ſenſibilibus, hoc faciunt ſine ulla laude, aut merito, & fortasè per alia peccata; nam, quod fur, v.g. timens cuſtodes, non furetur, non eſt vincere tentationem, cum iſte iam ſupponatur victus interne per voluntarium conſenſum furandi; quod tamen in re non exequitur propter metum cuſtodum: quod propriè eſt vincere tentationem furandi per timiditatem.

109 Arguit. 3.: nulla videtur gravior tentatio, quam metus mortis; ſed poteſt quis ſine gratia ſuperare metum mortis ex motivo virtutis, merè apparentèr talis, vel ex motivo alicuius erroris: ergo & omnem gravem tentationem. Prob. min.: poteſt hæreticus ex falſa religione, quam ex errore putat eſſe veram contemnere ſuam vitam, & pati mortem, & hoc naturaliter, & ſine gratia immo potius renitente gratia: ergo, &c. Reſp. diſtinguendo min.: ſed poteſt, &c., per donum Dei, quod Div. Auguſt. lib. de Pacientia cap. 29. *donum exhæredatorum vocat*, concedo: per naturæ vires, ſubdiſtinguo min.: ſi dominetur in illius animo aliqua vehementior paſsio, v.g. ſtudium conſervandæ apud Sectarios famæ, conc.: ſi ſecùs, nego min.

110 Metus mortis graviſsima quidem eſt tentatio, quam nemo ex vera pietate ſuperare poteſt ſine gratia Dei. Quod ſi etiam infideles ſuſtinent mortem pro defenſione ſuæ religionis, hoc faciunt ex vana gloria, & pertinatia, ne ſuis videantur etraſſe: vel mortem ſubeunt ex diabolica quadam prudentia, ut fortes, & pij ab alijs cenſeantur, ſuoſque conſodales in ſuis erroribus contineant. Unde vincunt unam tentationem per aliam fortiorem. De hujuſmodi hominum conſtantia inquit Auguſt. lib. de Pacientia cap. 29.: *hæc conſtantia eſt donum non hæreditarium, in quibus ſummus hæredes Dei, ſed quæ poſſunt accipere etiam filij concubinarum, qu bus Iudæi carnales, & ſchiſmatici, vel hæretici comparantur, non habentes, niſi falſam fidem, quæ per elationem vel timorem, non veram, quę per dilectionem operatur.*

111 Contra ſecundam partem. Solent objici textus adducti pro probatione alterius partis; & ex Arauſicano 2. can.

14. dicente: *nullus miſer de quacumque miſeria liberatur, niſi qui Dei miſericordia prævenitur.* Et ex Chryſoſtomo homil. 24. ſuper Epiſt. 1. ad Corinth., ubi exponens illa verba Apoſtoli: *fidelis Deus, qui non patietur, &c.*; ait: *ſunt ergo tentationes, quę ferri non poſſunt; & quæ hæc ſunt? omnes, ut ſemel dicam; poſſe enim ferri ſitum eſt in Dei nutu:* ergo gratia eſt neceſſaria ad ſuperandas tentationes leves; nam in prædictus auctoritatibus nula fit exceptio. Reſp., tales auctoritates ſolum eſſe intelligendas de tentationibus gravibus, vel ſi de levibus intelligantur, ſenſus eſt, hominem non poſſe naturaliter eis omnibus, collectivè ſumptis reſiſtere, nec etiam diſjuntivè captis pro longo tempore abſque eo, quod incidat in aliquam culpam, ſaltem levem; cũ quo tamen componitur, quod una vel altera tentatio levis poſsit vinci ſine gratia. Certum tandem eſt, gratiam Dei eſſe neceſſariam ad ſuperandas meritoriè, & ſalutariter tentationes, etiam leves, nec non & ad eas, copulativè ſumptas, vincendas, non verò ad ſuperandas aliquas leves pro aliquo brevi tempore. Sit jam

112 Concluſio 2.: *homo lapſus, ex viribus naturæ poteſt vitare aliqua peccata mortalia, non tamen omnia.* Prob.: quotieſcumque homo lapſus elicit opera moraliter bona, pro tunc vitat mortalia peccata; ſed homo lapſus, ex dictis, poteſt ex viribus naturę elicere aliqua opera moraliter bona, ut conſtat ex damnatione illarum propoſitionum: *liberum arbitrium ſine gratię Dei adjutorio non niſi ad peccandum valet: Omnia opera infidelium ſunt peccata, Philoſophorum virtutes ſunt vitia*: ergo, &c. Pars ſecunda concluſionis patet; nã ſine auxilio gratiæ non poteſt homo vincere graves tentationes; ſed, ut in plurimum ocurrunt tentationes graves, quibus homo provocatur ad peccandum mortaliter: ergo, &c.

113 Dices: ſi homo lapſus ex viribus naturæ poſſet vitare aliquod mortale, poſſet vitare omne; ſed hoc non: erg., &c. Maior videtur Subt. Doct. in 2. diſt. 28. quæſt. unica §. *contra iſtas duas vias*, num. 5., ubi ait: *ſi in hoc tempore poteſt cavere ab hoc peccato mortali, & illo, & dum cavet hoc cavet omne: & ſimiliter de tempore conſequente, & ſi de ſemper: ergo ſi poteſt ſemper cavere hoc & illud, ſimul poteſt cavere omnia.* Reſp. diſtinguendo mai.: ſi homo lapſus poſſet ex vi-

viribus naturæ vitare aliquod mortale, urgente gravi tentatione, poſſet, &c.; conc.: tentatione gravi non urgente, nego mai. Nos ergo ſolum dicimus, quod nulla urgente tentatione gravi contra tranſgreſſionem alicujus præcepti, poteſt homo lapſus naturaliter exequi aliquem actum talis præcepti, qui licèt nullo modo meritorius ſit, cum fiat ſine gratia, ſufficit tamen ad non peccandum pro tunc. Et in hoc ſenſu procedit Doct. citat. contra Henricum, ubi in fine illius paragrafi ſic concludit: *ergo ſi nunc poteſt homo peccatum cavere de quo tentatur, multo magis illud poteſt aliàs cavere, & ſic de alijs.*

114 Concluſio 3.: *homo lapſus, quamvis juſtificatus, & in ſtatu gratiæ, & juſtitiæ exiſtens, non poteſt de lege ordinaria abſque ſingulari Dei privilegio diù vitare omnia peccata ſivè mortalia, ſive venialia collectivè ſumpta.* Deducitur ex Scoto citato pro antecedenti. Et prob. 1. ex Scriptura: nam Proverb. 24. dicitur: *ſepties enim cadit juſtus, & reſurget.* Eccleſiaſtici 7.: *non eſt homo juſtus in terra, qui faciat bonum, & qui non peccet.* Et 1. Ioann. 1.: *ſi dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus.* Et Trid. ſeſſ. 6. can. 23. *ſi quis hominem, ſemèl juſtificatum, dixerit, amplius peccare non poſſe :: aut è contra, poſſe in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare, niſi ex ſpeciali Dei privilegio, quemadmodum de Beata Virgine tenet Eccleſia, anathema ſit*; ſed hæc, & ſimilia loca probant, hominem lapſum, quamtumvis juſtum non poſſe per communia auxilia ordinis gratiæ abſque ſpeciali Dei privilegio vitare omnia mortalia, ſeu venialia, collectivè ſumpta: ergo, &c.

115 Prob. 2.: difficilius eſt, vitare omnia venialia, collectivè ſumpta, quam mortalia; ſed homo lapſus, quantumvis juſtus, non poteſt, juxta Trid., pro toto tempore vitæ vitare omnia mortalia abſque ſpeciali privilegio: ergo nec venialia. Minor ſupponitur. Prob. mai.: magis ſpecialis gratia requiritur, ad vitanda omnia venialia pro toto tempore vitæ, quam ad vitanda mortalia: ergo, &c. Prob. antec.: auxilia, & motiva, quæ retrahunt homines à mortalibus ſunt fortiora, quam quæ eos retrahunt à venialibus; nam à mortalibus nos retrahunt naturalis horror turpitudinis, & deordinationis eorum; remorſus conſcientiæ; diſonantia rationis, timor damnationis æternæ, & amiſsionis gratiæ, & gloriæ: quæ motiva non ſunt tam fortia pro venia-

li-

libus. Præterea : occaſiones venialium ſunt magis frequentes, eorum obiecta magis familiaria, & magis delectabilia abſque ulla fere remurmuratione conſcientiæ : ergo, &c.

116 Quod verò per ſpeciale Dei privilegium poſsit homo vitare pro toto tempore vitæ omnia peccata, tam mortalia, quam venialia docet Auguſt. lib. 2. de Peccatorum meritis, & remiſsione, cap. 6. dicens : *ſi à me quæratur : utrum homo ſine peccato poſsit eſſe in hac vita, confitebor, poſſe per Dei gratiam, & liberum arbitrium.* Et circa finem cap. ait: *dubitare non poſſum, nec Deum aliquid impoſsibile homini præcepiſſe, nec Deo ad opitulandum, & adjuvandum quod fiat, quod jubet, impoſsibile aliquid eſſe; ac per hoc poteſt homo, ſi velit, eſſe ſine peccato, adjutus à Deo.* Nec obſtat huius ſpecialis favoris non extare exemplum, ut inde colligatur, hoc non poſſe fieri. Nam, ut inquit Auguſt. citat. : *non legitur factum, ut per foramen acus tranſiret camellus, & tamen Chriſtus hoc quoque dixit, Deo eſſe poſsibile. Similitèr non legitur duodecim millia legionum Angelorum pro Chriſto pugnaſſe, ne pateretur; & tamen ille hoc dixit, potuiſſe fieri.*

117 Arguit. 1. ex Script.: de Iob dicitur cap. 1. : *quod non ſit ei ſimilis in terra, homo ſimplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo.* Prima Ioan. 3. : *omnis, qui in Deo manet, non peccat* : : *omnis, qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit.* Item Luc. 1. dicitur de Zacharia, & Eliſabeth : *erant autem juſti ambo incedentes in omnibus mandatis, & juſtificationibus.* Deinde Chriſtus Dominus præcipit, Matth. 5. : *ſtote perfecti, ſicut Pater veſter Cæleſtis perfectus eſt:* ergo medijs auxilijs ordinarijs poſſunt à juſtis vitari omnia peccata.

118 Reſp. negando conſequentiam; quia, licèt aliqui juſti fuerint ſine peccato gravi, ſine omni tamen peccato ſimplicitèr, & abſolutè, etiam leviſsimo nullus Sanctus fuit, niſi ſola Virgo Maria. Et quod ſic intelligendæ ſint Scripturæ illæ, patet ex alijs ſuprà citat., nam, quamvis dicatur de Iob, quod in omnibus tentationibus non peccavit, tamen à Deo reprehenditur. Et Ioannes ipſe cap. 1. eiuſdem Epiſt. ait : *ſi dixerimus, quoniam peccatum non habemus, &c.* Et Paulus, qui 2. ad Timoth. 4. ait : *bonum certamen certavi*; dubitat tamen 1. ad Corinth. dicens : *nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc juſtificatus ſum.* Et ad Philipenſ. 3. fatetur, ſe non eſſe perfectum : *non, quod jam perfectus ſim.*

ſim. Quod dicitur de Parentibus Baptiſtæ, ſignificat eorum eminentem pietatem, ſed non immunem ab omni peccato : unde, quia Zacharias hæſitaverat credere Angelo, prædicenti nativitatem Ioannis, factus eſt mutus. Denique, cum jubet Chriſtus ; nos eſſe perfectos, ſicut Pater, non loquitur in rigore matemathico, nec loquitur de omni genere perfectionis, ſed in aliquo ; loquitur ergo occaſione dilectionis inimicorum : nec diſpenſat nos ab illa particula Orationis Dominicę: *dimitte nobis debita noſtra.*

119 Arguit. 2.: ſi perfectio illa eſſet impoſsibilis, ſecundùm vires ordinarias gratiæ, Deus non præciperet illam; nam Deus impoſsibilia non jubet : ergo illa perfectio eſt poſsibilis cum auxilio ordinario gratiæ. Reſp. diſting.antec.: ſi eſſet abſolutè, & ſimpliciter impoſsibilis, conc. : ſi tantum ſecundùm quid, & deffectu, veniente ex parte noſtra, nego antec., & conſeq. Abſoluté ergo, & ſimpliciter poſsibile eſt ex parte Dei, ut nullus pro toto tempore vitæ peccet, nec leviſsimè quidem. Unica autem ratio, cur hoc non fiat, ſe tenet ex parte voluntatis noſtræ, nolentis perfectè cooperari auxilijs ordinarijs divinę gratiæ, quibus, ſi nos perfectè cooperaremur, Deus maiora, & abundantiora auxilia nobis præberet ita ut nec in minimo ipſum offenderemus. Sic Aug. lib. 2.de Peccatorum meritis, & remiſsione, cap. 17. ait : *cum voluntate humana, gratia adjuvante divina, ſine peccato in hac vita poſsit homo eſſe, cur non ſit, poſſem facillimè, & veraciſsimè reſpondere, quia homines nolunt.* Quare Deus impoſsibilia nunquam jubet ; immò nec difficillima, quæ facilia non reddantur ex adjutorio divinæ gratiæ,& aſsidua cooperatione voluntatis noſtrę : quæ tamen aſsiduitas cooperandi eſt adeo rara, ut nullo puro homini videatur contigiſſe, niſi Virgini Deiparæ.

120 Arguit. 3. : ſi juſtus diceret : *volo ſemper vitare omnia venialia* ; eius dictum eſſet laudabile ; ſecus vero, ſi diceret : *volo commitere aliqua venialia*; vel : *nolo vitare omnia venialia* ; ſed neutrum eſſet verum, ſi non poſſet juſtus vitare omnia per auxilia ordinaria legis gratiæ : ergo, &c. Prob. min. : juſtus non poteſt laudabilitèr proponere aliquid impoſsibile, ſicut nec poteſt vituperari, ſi proponat facere, quod non poteſt vitare ; ſed vo-

volens ſic ſemper vitare omnia venialia, proponeret aliquid impoſsibile; & nolens ea ſemper vitare, proponeret facere aliquid, quod non poſſet vitare: ergo, &c.

121 Reſp. negando min. Ad probat. diſting. mai.: juſtus non poteſt laudabiliter proponere aliquid impoſsibile phyſicè, & collective conſideratum tale, concedo: moraliter, & diſtributivè ſumptum, nego mai. Et diſting. min.: ſed volens, ſemper vitare omnia venialia, proponeret aliquid impoſsibile moraliter, & diſtributivè ſumptum, nego min.: phyſicè, & collective conſideratum, ſubdiſting. min.: cum auxilijs tantum ordinarijs, conc.: cum ſpeciali Dei privilegio, nego min. Itaque, qui proponeret, vitare omnia peccata, ita ut nullum ſit in particulari, & determinatè cognitum, quod non vellet vitare, laudabiliter ageret; qui verò proponeret, aliqua venialia commitere, malè operaretur, quia abſolutè, & determinativè proponeret peccare.

122 Replicabis: non eſt impoſsibile, quod juſtus per auxilia tantum ordinaria divinæ gratiæ poſſet vitam omnia venialia, etiam collective: ergo, &c. Prob. antec.: non eſt impoſsibile, quod juſtus per talia auxilia poſsit vitare omnia venialia, diſtributivè ſumpta: ergo, &c. Prob. conſeq.: à termino diſtributivo ad collectivum valet conſequentia: ergo, &c. Reſp. negando antecedens. Ad probat., conceſſo antec., nego conſeq. Ad cuius probat., diſting. antec.: à termino diſtributivo, cuius omnes partes numerantur diſtributivé, ad collectivum tenet conſequentia, conc.: ſi omnes eius partes non ſic enumerantur, nego conſeq. Hæc ergo enumeratio peccatorum venialium, ſingillatim vitandorum non poteſt fieri, ſtante infirmitate humana, ac varietate, & multitudine occaſionu, cirunſtantiarũ, ac tentationu, decurſu vitę humanæ occurrentium. Ex ſpeciali autem privilegio divinę gratię poteſt juſtus per totam vitam, ſe immunem ſervare ab omni prorsús peccato, tam mortali, quam veniali. Et, ſi inquiras: in quo conſiſtat tale privilegium? reſpondetur, quod hoc jam eſt dictum, & explicatum in ea quęſt., in qua inquiritur: an gratia efficax conſiſtat in auxixilio, ſic attemperato voluntati, ut ipſam certo moraliter determinet ad conſenſum ſalutarem?

*** *** ***
*** ***

QUÆST.

QUÆST. QUINTA.

An gratia actualis ſit neceſſaria ad perſeverantiam finalem: & quę, & qualis ſit talis gratia?

123 NOTANDUM eſt quod perſeverantia ex vi vocis dicit ſtabilitatem, & perſiſtentiam in aliquo ſtatu, & maximè in bono; nam ſtabilitas in malo, dicitur potius pertinatia, vel induratio. Unde perſeverantia, propriè ſumpta, dicitur illud donum, quo homo perſiſtit in bono, & ſanctitate uſque ad finem, ſeu mortem incluſivè, & quidem per temporis notabilem aliquam durationem; nam qui ſtatim, aut brevi admodum tempore poſt adeptam gratiam ſanctitatis moriuntur, ut bonus Latro in cruce, & infantes poſt baptiſmum, non dicuntur propriè perſeverantes ſicut nec illi, qui poſt longam perſiſtentiam in bono tandem deficiunt, & in peccato mortali morientes damnantur. Perſeverantia ergo propriè talis exigit longiorem, & finalem perſiſtentiam quæ in morte coronetur. Et de iſta quæritur: an ſit ex aliquo ſpeciali dono gratię ſupernaturalis; & quale ſit tale donum? Sit ergo

124 Concluſio 1.: *homo quantumcumque juſtus non poteſt finaliter perſeverare in bono abſque auxilio ſupernaturali divinæ gratiæ.* Eſt communis, & de fide, conſtatque ex pluribus Scripturæ locis, Deum aſsiſtere ſpecialiter Sanctis, ne cadant, ut cum dicebat David Pſalm. 15.: *à dextris eſt mihi, ne commovear.* Et Pſalm. 79. orabat: *fiat manus tua ſuper virum dexterę tuæ, ſuper filium hominis, quem confirmaſti tibi, & non diſcedimus à te*, id eſt, ut non recedamus. Et Pſalm. 127.: *niſi Dñus. cuſtodierit civitatem, fruſtrà vigilat, qui cuſtodit eam.* Ipſe Deus per Ieremiam cap. 23. ait: *timorem meum dabo in corde eorum, ut non recedat à me.* Chriſtus Dñus. orabat Ioan. 7.: *Pater Sancte, ſerva eos in nomine tuo.* Denique hùc faciunt textus hucuſque citati, quibus probatur neceſsitas gratiæ, ad implendam legem, vitanda peccata, & ſuperandas tentiones: ergo, &c.

125 Prob. 2. ex Concilijs: nam Arauſicanum 2. ait: *adjutorium Dei, etiam renatis, ac ſanatis, ſemper eſt implorandum, ut ad finem bonum pervenire, vel in bono poſsint opere perdurare.* Trid. ſeſſ. 6. cap. 13. ait: *de perſeverantiæ munere, de quo ſcriptam eſt: qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit:*

quod

quod quidem aliundè haberi non poteſt, niſi ab eo, qui potens eſt, eum, qui ſtat, ſtatuere, ut perſeverantèr ſtet, &c. Et canone 22. *: ſi quis dixerit, juſtificatum, vel ſine ſpeciali auxilio Dei in accepta juſtitia perſeverare poſſe, vel cum eo non poſſe, anathema ſit* : ergo, &c.

126 Prob. 3. ex Subt. Doct. nam juxta ipſum citatum in quęſtionibus præcedentibus, non poteſt juſtus per ſe ipſum ſervare totam legem, nec vitare omne peccatum lethale, aut veniale, diù, & per totam vitam, nec vincere omnes tentationes occurrentes: ergo multo minus poterit perſeverare finalitèr, & meritoriè abſque auxilio ſupernaturali. Confirm.: non minus requiritur auxilium gratiæ, ex jam dictis, ad reſiſtendum tentationibus diaboli, & carnis, & ad benè operandū, & ad perſeverandum in virtutum exercitio, quam ad illos actus ſæpiùs eliciendos, & virtutes acquirendas, & maximè ad promerendam aliquandò gratiam juſtificationis; ſed ad hæc omnia eſt neceſſarium auxiliū ſupernaturale: erg. à fortiori neceſſarium eſt ad illa conſervanda, & in eis finalitèr perſeverandum.

127 Arguitur 1.: homini exiſtenti in gratia nihil deeſt, ut poſsit vitare omnia mortalia peccata: ergo non indiget gratia ulla ſpeciali ad perſeverandum in accepta juſtitia. Prob. antec.: juſtus per gratiam habitualem non ſolum mundatur à mortalibus præteritis, ſed pręſervatur à futuris; cum per illam elevetur ad ſtatutum ſupernaturalem, inclineturque ad bonum, & ad illud roboretur: ergo ſi ante acceptam gratiam illam, poterat aliqua peccata vitare, ſaltem pro brevi tempore, multo magis poſt acceptam. Reſpondetur diſting. antec.: nihil deeſt, &c., concurrente auxilio divinæ gratiæ, conc.: non concurrente, nego antec. Gratia ergo habitualis, licèt prętſtet omnia prędicta munia, non tamen omnia ſufficiunt ad perſeverandum ſine novis auxilijs; nam Scotus, ſupra citatus, ait: *gratia nunc non ſanat perfectè naturam*, ideòque, ut juſtus perſeveret in accepta juſtitia, indiget novis auxilijs actualibus.

128 Replicabis: qui poſt gratiam acceptam ſtatim moritur, aut brevi poſt, non eget alio dono, ut perſeveret: ergo nec alij, qui tempore longiori vivunt. Reſpondent aliqui concedendo antec., & negando conſequentiam. Qui enim ſtatim poſt gratiam acceptam mo-

moritur, non incurrit in tentationes, nec laſſatur in via juſtitiæ, & virtutum, ut accidit longè viventibus propter infirmitatem naturæ. Meliùs reſpondetur negando antec.; quia etiam mors ipſa præcipitata in hominibus juſtis eſt Dei auxilium ſpeciale, ut pote ſpecialis effectus divinæ providentiæ, juxta illud Sapientię 4.: *raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum eius, &c.*

129 Arguit. 2.: ſi Adam permanſiſſet juſtus, non indigeret gratia illa ſpeciali ad perſeverandum; ſiquidem illi ſufficeret gratia habitualis: ergo, nec Chriſtiani modo juſtificati indigent tali gratia ad perſeverandum. Prob. conſeq.: quod deperditum fuit in Adamo, fuit copiosè reparatum per gratiam Chriſti: ergo, ſi Adam cum ſola gratia habituali poſſet perſeverare, etiam & reliqui juſti. Reſp. omittendo antec., & negando conſeq. Licèt enim Chriſtus nobis meruerit gratias abundatiores, copiosèque per ſuam Mortem nos redemerit, non ſequitur, quod in natura lapſa homines juſti non indigeant ad perſeverandum, ultra gratiam habitualem, gratia actuali; nam habitualis gratia ſe ſola non perfectè ſanat.

130 Omiſſi antec., quod in noſtra ſententia eſt falſum; nam ipſius Adę lapſus ſatis probat indigentiam auxilij divini, etiam in ſtatu innocentiæ. Quod auxilium non defuit Adę, ne caderet; quarè, ſi cum illo de facto cecidit, multo magis, citius, & facilius ſine illo cecidiſſet. Quo circa Auguſt. de Correctione, & Gratia cap. 11. diſtinguit de duplici adjutorio, quorum unum dicitur *ſine quo*, & coincidit cum auxilio, quod nunc communiter dicitur *ſufficiens*: alterum dicitur *quo*, quod coincidit cum auxilio, quod dicitur *efficax*. Primum concedit Auguſt. in Adamo in ſtatu innocentiæ: ſecundum verò negat. Videantur dicta in hoc tom. in Tract. 15. Diſp. de Gratia ſanitatis, & medicinæ.

131 Arguit. 3.: juſtitia, ſeu gratia habitualis dat juſto jus ad gloriam: ergo dat jus ad omnia media, conducentia ad gloriam. Modo ſic: ſed perſeverantia eſt potiſsimum medium ad gloriam: ergo, licèt ſit donum diſtinctum à gratia habituali, adhuc non eſt ſpecialis gratia, ſed quid conſequens ad habitualem. Reſp. diſting. antec.: dat jus ad gloriam, ſuppoſita perſeverantia, juxta illud: *qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit*, conc.: præciſivè ab ipſa perſeverantia, ſubdiſting. antec.: dat jus inchoatum, conc.: dat

jus perfectum, & completum, nego antec., & conſeq.

132 Inſtabis: hoc ipſo, quod homo eſt juſtus, non deſeritur à Deo; ſed ſi non deſeratur, numquam cadet ſed perſeverabit: ergo perſeverantia eſt quid conſequens & annexum cum gratia, & non quid ſpeciale præter illam. Maior prob. ex Trid. ſeſſ. 6. cap. 11. dicente: *Deus namque ſua gratia ſemel juſtificatos non deſerit, niſi ab eis prius deſeratur.* Reſp. diſting. mai.: non deſeritur à Deo quoad vinculum charitatis, quandiù eſt juſtus, conc.: quoad permiſsionem cadendi, & deficiendi à juſtitia, nego mai. Et ſimiliter diſting. minorem: ſi non deſeratur quoad permiſsionem, &c., conc.: ſi non deſeratur quoad vinculum charitatis, nego min., & conſequentiam. Deus non deſerit hominem quoad amicitiam, quandiú eſt juſtus, & ſervat in ſe charitatem ad Deum, non recedendo ab ipſo. Hoc docet Concilium; ſed quoad libertatem eum relinquit in manu conſilij ſui, permittit tentationes, & occaſiones cadendi: ideò aliquandò caſuri ſunt juſti, ſi Deus eos non regit per continua auxilia ſuę gratię prævenientis.

133 Concluſio 2.: *gratia, quæ dat finaliter perſeverare in illis, qui diù gratiam acceptam conſervant importat interna Dei auxilia ſupernaturalia, quibus interius roborantur juſti ad reſiſtendum peccatis: in illis verò, qui poſt acceptam habitualem gratiam citò moriuntur, importat protectionem ſingularem Dei externam.* Prob. 1. ex Subt. Doct. in 4. diſt. 46. quæſt. 2. §. *reſpondeo*, ubi in Deo agnoſcit duplicem miſericordiam: una qua prohibet malum imminens: & alia, quà tollit malum præſens: & quod nullum accidit, quod non permitat, nec ullum removetur, aut vitatur, niſi ipſo dante, ſeu volente antecedenter, aut conſequenter: ergo, quod homo non incidat in malum peccati, quocumque tempore, & maximè pro toto tempore vitæ poſt acceptam gratiam, ſemper venit ex Dei miſericordia, reſplendente in internis auxilijs datis, ut patet ex Trident. cit. dicente: *ſi quis dixerit, juſtificatos ſine auxilio ſpeciali Dei in accepta juſtitia perſeverare poſſe, :: anathema ſit.*

134 Prob. 2. quoad prim. part. ex dictis in præcedenti concluſione: nam Script., Concilia, & PP. requirunt auxilium gratiæ ſine quo Sancti ipſi ſtare non poſsint in ſua juſtitia, nec perſeverare: De hoc autem auxilio loquuntur in hac occa-

ſio-

ſione, ſicut in alijs, loquntur de auxilio interno gratiæ actualis: ergo & in iſta. Et hoc facile colligitur ex ipſis textibus, vg. ex Trid. citato dicente: *ſi quis dixerit, juſtificatum, vel ſine ſpeciali auxilio Dei in accepta juſtitia perſeverare poſſe, vel cum eo non poſſe, anathema ſit*: igitur auxilium dans perſeverantiam eſt quid præter habitualem gratiã, conſiſtens in interioribus Dei auxilijs, quibus interius roborantur juſti, ad reſiſtendum peccatis.

135 Prob. ſecunda pars, maximé de adultis ex illo Sapientiæ 4.: *raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius*, & ex illo Chriſti Dñi. Matth. 24.: *& niſi breviati fuiſſent dies illi* (nempe circa finem mundi) *non fieret ſalva omnis caro, ſed propter electos breviabuntur dies illi*. De parvulis autem eſt res manifeſta. Ubi adverti debet, quod in parvulis non eſt neceſſaria gratia interior; quia cum non ſint capaces rationis uſus boni, aut mali, tota gratia perſeverantiæ conſiſtit in illa ſpeciali protectione, & miſericordia, qua Deus per temporalem eorum mortem prævenit, ne cadant in mortem ſpiritualem. Hic ſolet inquiri: an omnibus detur gratia perſeverantiæ? Certum eſt, non omnes perſeverare. Deus tamen illam omnibus exhiberet, ſi per illos impedimentum non ſtaret. Solet etiam inquiri: an perſeverantia cadat ſub merito? Sub merito de condigno nequit cadere; benè tamen ſub merito de congruo. Et hæc dixiſſe ſufficiat de toto iſto Tractatu.

TRAC-

TRACTATUS XVII.

DE

GRATIA HABITUALI, JUSTIFICATIONE, ET MERITO.

PROEMIUM.

EX dictis in præcedenti Tractatu de *Auxilijs divinæ gratiæ* patet, quod gratia proprijſsimè accipitur pro beneficio interno ſupernaturali, homini divinitus collato, & gratum Deo ſubiectum reddente: in qua acceptione gratia dicitur: *gratum faciens*, contradiſtinguitur à gratijs, gratis datis. Iam in ſuperiori Tract. Sermo fuit inſtitutus de gratia, gratum faciente actuali, per quam, ſcilicèt, à peccatis præcavemur, reſurgimus, ad gratiam juſtificationis diſponimur, & beatitudinem promeremur. Nunc autem totus labor incumbit circa habitualem gratiam, & eius duos

duos effectus, qui ſunt *juſtificatio*, & *meritum*. Hæc enim habitualis gratia eſt ipſa forma, quæ proximè, & immediatè reddit juſtos homines, in quibus, tamquam in ſubiectis recipitur. Sit ergo

DISPUTAT. I.

DE NATURA, ET ESSENtia gratiæ habitualis.

PRiuſquàm de effectibus gratiæ, eiuſque cauſis loquamur, exigit methodus, ut de natura præcedat diſputatio

QUÆST. PRIMA.

An gratia habitualis ſit quid intrinſecum animæ?

1 IN hac difficultate nullum eſt inter ipſos Catholicos dubium; ſecùs autem eſt circa hæreticos, inter quos, multi relati à Bellarmino lib. 1. de Gratia c. 3. exiſtimant, gratiam non eſſe aliquid in nobis exiſtens, ſed ſolum extrinſecum favorem, ſeu benevolentiam Dei, per quam gratia eſt à Deo dilecta. Alij putant, nos fieri juſtos, & Deo gratos, vel per juſtitiam, qua ipſe Deus Iuſtus eſt, vel juſtitiam Chriſti, ut imputatam nobis. Conformiter ergo ad communem Theologorum ſententiam, ſit noſtra

2 Concluſio: *gratia habitualis eſt aliquod donum ſupernaturale intrinſecum, ſeu receptum in noſtra anima, quo Deo homines redduntur chari.* Ita tenet Doct. Subt. in 1. diſt. 17. quæſt. 3. §. *contra iſtam concluſionem.* Prob. 1. concluſio ex Sacra Script., nam 2. ad Corinth. cap. 1. dicitur: *ſignavit nos, & dedit nobis pignus Spiritus in cordibus noſtris*; ſed pignus, nobis datum, & ſigillum nobis impreſſum, quid reale, & intrinſicè inhærens aperte ſonant; igitur Scriptura, ſignificans gratiam juſtificantem ſub iſtis metaphoris, clarè demonſtrat, eam eſſe donum aliquod, homini intrinſecum. Deinde ad Rom. 5. de charitate, quæ eſt, in noſtris principijs, idem habitus cum gratia, dicitur: *charitas Dei diffunditur in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum*; ſed quod in cordibus diffunditur, *intrinſecum quid eſt*: ergo, &c. Unde Auguſt. lib. de Peccatorum meritis, & remiſſione, ait: *Deus dat ſui Spiritus fidelibus gratiam, quàm latenter infundit, & parvulis*; ſed gratia actualis, conſiſtens in actibus intellectus, & voluntatis non recipitur in parvulis, qui non operantur rationaliter, ut patet: ergo Auguſtino eſt Sermo

de

de Gratia habituali, intrinsicè in parvulis recepta.

3 Deinde prob. Conclus. ex Concil. Trid., expressis verbis firmante doctrinâ Catholicorum: *unica*, inquit Concil., *causa formalis nostræ justificationis est justitia Dei, non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit, qua videlicèt à Deo donati, renovamur spiritu mentis nostræ, & non reputamur, sed verè justi nominamur, & sumus, justitiam in nobis recipientes.* Hoc ipsum declarat Concil. cap. 7. per hæc verba: *hanc dispositionem, seu præparationem justificatio ipsa consequitur, quæ non est sola peccatorum remissio, sed & sanctificatio, & renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ.* Et Catheciſmus Romanus, tratans de Sacram. Baptiſmi, ait: *est autem gratia divina qualitas in anima hærens, ac veluti explendor, & lux, quæ animarum nostrarum maculas omnes delet.*

4 Prob. 3. Concluſio ratione Subt. Doct. cit.: peccator ante pœnitentiã est injustus, & post pœnitentiam est justus: ergo transit ex injustitia ad justitiam. Modo sic: sed injustitia est privatio gratiæ: erg. gratia est forma positiva, intrinsicè inhærens animæ. Consequ. patet; nulla enim privatio tollitur à subjecto, nisi per formam positivam, cujus est privatio. Antec. etiam patet; nam, si nihil positivum esset in subjecto formaliter nùnc, quam prius, non magis careret privatione núnc, quam priús. Ista probatio Doctoris loquitur in ista providentia, in qua peccatum dicit privationem gratiæ: de alia providentia dicetur suo loco.

5 Hìc est obſervandum, quod licèt Petrus Lombardus Magiſter Sententiarum videatur esse pro parte negativa in hac difficultate, quatenús docet, charitatem non esse aliquod donum creatum, sed ipsum Spiritum Sanctum, intimè unitum: nihilominús Magistrum benignè interpretatur Scotus, dicens, non eam fuisse Magistri Sententiam: tum, quia dist. 37. aperte docet, charitatem esse quid creatum, cum sit in puero, quem Deus inhabitat, qui tamen nullum habere potest actum elicitum circa Deum: tum quia in 2. dist. 26. admitit gratiam creatam in anima, unde, dum dicit, charitatem esse Spiritum Sanctum, per hoc indicat, quod, peculiarì ratione charitas tribuitur Spiritui Sancto, quia per habitum charitatis Spiritus Sanctus inhabitat animam justi. Hoc totum aliud non est, quam identitatem ponere inter habi-

tū charitatis,& gratiam habitualem, quæ ſententia eſt opinio valde ſana, & in noſtra Schola recepta.

Solvuntur argumenta.

6 ARguitur 1. ex Div. Aug.8. de Trin.cap. 7. dicente: *qui diligit proximum, conſequens eſt, ut ipſam præcipuè dilectionem diliget; Deus autem dilectio eſt: conſequens eſt ergo ut ipſam dilectionem diligat.* Vel ergo Div. Auguſt. ſumit in minori dilectionem formaliter, vel eam ſumit effectivè? Si ſumitur formaliter, ſequitur, quod Deus eſt noſtra formalis dilectio, & ſic gratia eſt ipſe Deus. Si ſumitur effectivè, ſequitur, quod ſylogiſmus Div. Auguſtini conſtat quator terminis. Sequela patet; nam propoſitio maior loquitur de dilectione formali & minor propoſitio loquitur de dilectione effectiva.

7 Confirmatur ex ipſomet D. Auguſt. 15.de Trinitate ubi advertitur à Sancto Doct. modus diverſus loquendi in Scriptura de charitate, ac de alijs virtutibus; dicitur enim: *tu eſt pacientia mea: Deus meus miſericordia mea;* ſed de charitate dictum eſt: *Deus charitas eſt*, ſicut dictum eſt: *Deus Spiritus eſt*; ergo juxta mentem Magni Parentis Auguſt. inter has locutiones Sacræ Scripturæ: *Deus eſt pacientia: Deus eſt Charitas*, eſt maximum diſcrimen; quod: *Deus eſt pacientia*, intelligitur effectivè: *Deus charitas eſt*, intelligitur formaliter; & propterea gratia, quę vel eſt ipſa charitas, vel eſt inſeparabiliter connexa cum charitate, non eſt quid creatum.

8 Ad argumentum reſpondet Doct. Subr. quęſt. 3. cit., quod ſyllogiſmus D. Auguſt. ęquivalet duobus, quorum, primus eſt: omnis diligens proximum, diligit dilectionem ſuam, formalem, ſi ſe convertit ſuper illam: & cum iſta dilectio participata ſit; ideo diligens proximum, diligit dilectionem participatam. Secundus ſyllogiſmus ſumit totum primum pro maiori, & ſubſumit; ſed qui diligit dilectionem participatam, debet diligere dilectionem per eſſentiam, quę dilectio eſt Spiritus Sanctus: erg. omnis diligens proximum, diligere debet Spiritum Sanctum, ſeu Deum. Unde in forma reſpondetur, quod in primo ſylogiſmo ſumitur dilectio pro dilectione formali, & participata; in ſecundo verò ſyllogiſmo ſumitur dilectio pro dilectione per eſſentiam, quę eſt dilectio noſtra effectivè.

Ad

9 Ad confirmationem reſpondetur, poſſe de Deo dici: *Deus Charitas eſt*; & poteſt dici: *Deus, eſt charitas mea*; attamen, & ſi poſsit dici: *Deus eſt ſpes mea*; non poteſt tamen dici: *Deus eſt ſpes, pacientia, & alia ſimilia.* Et ratio eſt: quia charitas eſt perfectio ſimpliciter ſimplex, formaliter enuntiatur, ſeu prædicatur de Deo; ſpes vero, pacientia, fides non ſunt perfectiones ſimpliciter ſimplices; nam viſio eſt melior fide; & fruitio eſt melior, quam ſpes, & ſic non reperiuntur in Deo formaliter, ſed tantum eminenter, & virtualiter, ex quo Deus eſt cauſa effectiva talium virtutum in nobis. Non obſtante memorata differentia inter charitatem, & reliquas virtutes, Deus eſt tantum effectivè noſtra charitas, hoc eſt charitas noſtra, & finita ſeu participata, reperitur in nobis à Deo recepta.

10 Arguit. 2.: nam 1. ad Corinth. cap. 1. ait Apoſtolus: *Chriſtus eſt, qui factus eſt a Deo nobis ſapientia, juſtitia, ſanctificatio, & redemptio*: ergo Chriſtus eſt juſtitia, qua juſtificamur: ergo, ſi per gratiam juſtificamur, noſtra gratia erit Chriſtus, & non aliquod donum, nobis intrinſicè inhærens. Reſpondeo ad argumentum, Chriſto competere eſſe noſtram juſtitiam, & juſtificationem, non formaliter, quatenùs ſit forma, hos effectus in anima præſtans, ſed meritoriè, in quantum ſuis actibus meritorijs nobis promeruit iſtam gratiam. Præterquamquod in prealegato text. dicitur de Chriſto eſſe noſtram juſtitiam, ſicut & noſtram ſapientiam; at certum eſt, nos eſſe ſapientes formaliter ſapientia creata, & nobis intrinſeca, non autem Chriſto: ergo idem eſt de juſtitia, ſeu gratia juſtificante.

QUÆST. SECUNDA.

Quale intrinſecum ſit gratia, & qua certitudine conſtet, eam eſſe qualitatem permanentem, ſeu habitum?

11 GRatiam juſtificantem non eſſe ſubſtantiam, ſed accidens, extra dubium eſt, immò quam plures putant hoc eſſe certum de fide, cum enim forma inhærens cordibus noſtris ſit accidens, & juxta Concilium Trid. citat. in præcedenti quæſt., gratia, & charitas, qua juſtificamur, diffundatur in cordibus noſtris, atque illis inhæreat; hinc, inquiunt, de fide eſt, gratiam eſſe formam accidentalem. Cæterùm de hoc poſtea. Ad minùs autem ex Trid. colligitur, gratiam non eſſe ſubſtantiam, cum inhæreat, ſed accidens, cuius

proprium eſt inhærere. Item extra dubium eſt, gratiam eſſe qualitatem, ut conſtat ex Catheciſmo Romano, dicente: *eſt autem gratia divina qualitas in anima inhærens.*

12 Certum eſt etiam, gratiam non eſſe naturalem potentiam, vel naturalem impotentiam, quia non eſt inſita à natura, ſicut nec eſſe paſsionem, aut patibilem qualitatem, quia non eſt perceptibilis aliquo ſenſu externo. Unde ſolum remanet, quod ſit habitus, vel diſpoſitio: diſpoſitionem tamen non eſſe, ex eo mihi ſatis probatur; quia diſpoſitio eſt facilis mobilis à ſubiecto; gratia verò eſt principium permanens, difficile mobile. Ex quo iam deducitur, quę ſit concluſio reſponſiva ad primam partem quæſtionis, nimirum; *gratiam eſſe qualitatem de linea habitus.* Nec juvat plus in hoc immorari.

13 Circa ſecundam part. quæſt., inquirentem, quo gradu certitudinis ſit certum, gratiam eſſe intrinſecam qualitatem de linea habitus? Prænotandum eſt, quoad ultra certitudinem ſcientificam, de qua in Philoſophia, in præſenti materia triplex diſtinguitur certitudo. Prima eſt certitudo fidei, & eſt illa, quam habent propoſitiones in Libris Canonicis contentæ: tales ſunt, quas complectitur Codex ille, vulgo Biblia nuncupatus; vel etiam propoſitiones à Papa, loquente ex Cathedra, definitæ, vel definitę à Concilio Generali, autheritate Romani Pontificis congregato, illiuſque autheritate munito. Secundo eſt certitudo theologica, & eſt, quę reperitur in propoſitione deducta ex duabus præmiſsis, quarum una ſit de fide, & alia lumine naturæ nota. Tertia eſt certitudo moralis, & eſt, quæ reperitur in propoſitionibus, communitér acceptis à PP. & Theologis. Per oppoſitum eſt triplex incertitudo, ſeu falſitas. Prima eſt hæreticalis, quæ eſt contra id, quod continetur in Sacra Script., vel proponitur, ut definitum ab Eccleſia. Secunda eſt erronea, quæ eſt contra ſecundam certitudinem. Tertia eſt temeraria, quia procedit contra torrentem PP., & Theologorum. Hoc ſuppoſito, ſit

14 Concluſio: *de fide eſt, gratiam juſtificantem eſſe formam intrinſicè inhærentem; non verò eſt de fide, licèt moraliter ſit certum, eſſe qualitatem permanentem ſeu habitum.* Concluſio iſta multas habet partes, quarum prima conſtat ex quæſt. antec. Circa ſecundam part. notat Eximius Doct., quod poteſt diſputari, vel prout ante celebrationem Concilij Trid., vel prout poſt iam Concilium celebra-

bratum ; & advertit, quod aliud eſt eſſe de fide in ſe, & aliud eſſe de fide quoad promulgationem, & ſufficientem propoſitionem Univerſę Eccleſię, nobis factam. Hoc ſuppoſito, ait Suarez, eſſe communem ſententiam, ante Concil. Trid. hoc non fuiſſe de fide, citans pro contraria ſententia Subt. Mag. in 3. diſt. 23. quęſt. unica, §. *ad quæſtionem*, dicentem ſemper hanc veritatem fuiſſe de fide, eo quod aſſerat: *oportet ponere fidem infuſſam propter authoritatem Scripturæ.*

15 Verum ipſe Eximius Doct. in progreſſu huius quæſt. ait: *cum ergo negamus, hoc fuiſſe de fide ante Concil. Trident. eſſe intellegendum quoad promulgationem ab Eccleſia factam, & hoc ſolum probant rationes factæ. Nihilominus tamen verum cenſeo, hoc dogma in ſe inſpectatum ſemper fuiſſe de fide quia revera erat in Scriptura contentum, licèt nondum per Eccleſiam apertè explicatum.* Et fortaſsè Scotus nihil aliud dicere voluit. Huiuſque Suarez, qui proinde debebat, non citare Subt. Doct. pro contraria ſententia. Mens igitur Doct. Mariani in loco ſupra citat. eſt, non poſſe probari à ratione, dari fidem infuſſam : tenet verò illam dari ob authoritatem Script., non claram, & manifeſtam, ſed prout intellectam ab ipſo, & PP., quorum intelligentia non eſt de fide, niſi approbetur ab Eccleſia approbatione ſpeciali.

16 Prob. ergo Concluſio quoad ſecundam partem : nam ſi hoc eſſet de fide certum, colligeretur maxime ex Concilio Trident. ; ſed ex Concil. Trid. unicè conſtat, quod charitas, & gratia ſunt forma diffuſa in his, qui juſtificantur, atque illis inhærere : an autem hoc ſit per modum actus ; an verò per modum habitus, & qualitatis phyſicè permanentis? Hoc ibi non definitur : ergo, licet eſſet temerarium defendere, gratiam juſtificantem non eſſe habitum, ſeu qualitatem permanentem, hoc tamen non eſſet hæreſis.

17 Arguitur 1. : de fide eſt, nos juſtificari forma inhærente : ergo etiam eſt de fide, nos juſtificari per qualitatem permanentem, & habitualem; & conſequentér, gratiam eſſe habitum. Antec., præterquamquod eſt definitum in Concil. Trident. ; ulterius conſtat ex illo ad Corinth. 15. : *nunc manent fides, ſpes, & charitas.* Et ex illo Ioann. cap. 7. : *ſemen Dei manet in eo*, ubi per ly *ſemen* gratia juſtificans intelligitur; & ſic clarè deducitur, nos juſtificari forma permanente, atque adeo habitu.

18 Reſp. diſtinguendo an-

antec.: de fide eſt, nos juſtificari forma inhærente, quę ſit permanens, vel phyſicè, vel moralitèr, conc. antec.: quæ ſit permanens phyſicè præciſè, nego antec., & conſequentiam. Illud dicitur permanere moraliter, quod licèt in re tranſeat, manet tamen in prudentum exiſtimatione in ordine ad effectum, non ſecus, ac ſi phyſicè permaneret. Patet in peccato actuali, quod cum actu phyſicè tranſit, & nihilominús, manet moralitèr, donec remittatur: quę permanentia quam optime ſalvatur abſque ullo habitu phyſico. Illud verò dicitur phyſicè permanere, quod ſecundum ſuam entitatem phyſicam perſeverat. Notabis autem, à nobis non dici, gratiam tantum moralitèr permanere; ſed ſolum, non eſſe de fide, quod phyſice permaneat: quæ res ſunt valdè diverſæ.

19 Arguitur 2.: parvuli in baptiſmo juſtificantur per formam intrinſicè inhærentem; ſed hæc nequit eſſe qualitas tranſiens: ergo Concilium aſſerens, gratiam eſſe formam intrinſicè inhærentem, loquitur de qualitate permanente. Prob. minor: in parvulis gratia inhærens nequit eſſe, nec operatio actualis, nec actuale auxilium: ergo, &c. Confirmatur pro adultis: Concil. Trident. ſeſſ. 6. cap. 10. diſtinguit gratiam, qua homo juſtificatur, ab actibus, quibus ad juſtificationem diſponitur; ait enim: hanc diſpoſitionem juſtificatio ipſa conſequitur: ergo gratia ſanctificans eſt aliquid præter actus, & ſic qualitas permanens.

20 Reſpondeo, totum eſſe verum, & certum certitudine theologica, & morali, & ſic in praxi eſt moralis obligatio credendi, gratiam eſſe qualitatem permanentem: & qui pertinax hoc negaret, eſſet ſuſpectus in fide; verúm non eſſet formaliter hæreticus, quia poterat reſpondere ad iſtam ſecundam authoritatem Concilij, quod ad actus, quibus homo ſe diſponit ad juſtificationem, ſequitur alius actus perfectior, quo formaliter juſtificatur. De parvulis verò, & ſi admittatur Concilium uſum fuiſſe nomine, *qualitatis*, quod non eſt expreſſum in illo, non tamen conſtat, eſſe qualitatem permanentem, eum non repugnet, Deum juſtificare parvulos per qualitatem tranſeuntem, aliam ab actibus, & ab auxilijs.

***

QUÆST. TERTIA.

An gratia, & habitus per ſe infuſſus charitatis ſint idem habitus?

21 HOC ipſo, quod movetur quæſtio circa identitatem, vel diſtinctionem gratiæ ſanctificantis, & habitus per ſe infuſi charitatis, ſupponitur in gratia ſupernaturalitas entitativa: quæ ſuppoſitio eſt Doct. Subt. multis in locis ſuæ doctrinæ. Probatur que ratione. Illa forma eſt entitativè ſupernaturalis, quæ in ſua entitate excedit omnem collectionem cauſarum naturalium, exigitque non produci, niſi ab Authore ſupernaturali; ſed gratia ſanctificans talis eſt, quoniam titulo ſuæ intrinſicæ perfectionis ex nihilo producitur, ſeu creatur à Deo, agente ſupra omnem exigentiam cauſarum naturalium, & ut unico Authore ſupernaturali: ergo gratia juſtificans eſt ſupernaturalis entitativè.

22 Nec dicas cum Gonet Diſput. 2. de Eſſentia gratiæ, artic. 2., quod Doct. Noſt. Subt. unicè admittit in gratia ſupernaturalitatem quoad modum, ex eo videlicèt, quod Subt. Mag. putat, aliquid dici ſupernaturale, quia producitur à cauſa, agente ſupra regulas naturæ, ſivè ſupra modum, quo ex ſua natura exigit produci. Et ibidem proſequitur idem Gonet, cenſuram ferens de ſententia Subt. Magiſt. per hęc verba: *ſed hæc ſententia communitèr rejicitur; tum, quia non diſtinguit inter ſupernaturale intrinſicè, ſivè quoad entitatem, & extrinſicè, ſivè quoad modum, contra communem Theologorum conſenſum, immo contra fidem. Tum etiam, quia quando gratia habitualis inditur à Deo, infunditur non contra regulas, quibus exigit produci.* Hucuſque Gonet. Non, inquam, hoc pacto benignè imputatur Scot. à Gonet; Doct. enim Subt. diſtinguit expreſsè, inter ſupernaturale quoad ſubſtantiam, & eſt, quod, atenta entitate illius, non poteſt imprimi ab agente naturaliter: é contra quod eſt ſupernaturale ſolum quoad modum, atenta eius entitate, poteſt imprimi ab agente naturalitèr, licèt ratione modi, quo hic, & nunc imprimitur, non niſi ab agente ſupernaturalitèr poſsit imprimi.

23 Et ponit Subt. Doct. in quæſt. 1. Prologi in fine exemplum utriuſque ſupernaturalitatis his verbis: *differentia iſtorum duorum modorum, ponendi ſupernaturalitatem, patet, ſeparando unum*

unum ab alio, puta, ſi ageres ſupernaturale cauſaret notitiam objecti naturalis, ut ſi infunderet Geometriam alicui, illa eſſet ſupernaturalis primo modo, id eſt, quoad modum, & non quoad ſubſtantiam: ſi autem infunderet notitiam huius: Deus eſt Trinus, vel ſimilium, hęc ſupernaturalis eſſet utroque modo: ubi autem eſt primus modus tantum, ibi non eſt neceſſe, quod ſit ſic ſupernaturalis, quin naturalitèr poſsit haberi: ubi verò eſt ſecundus modus, eſt neceſsitas, quod ſupernaturalitèr habeatur, quia naturalitèr haberi non poteſt. Hæc ſunt expreſſa verba Doct. loco cit., quę, ſi ab Adverſario lecta fuiſſent, non tam facile imponeret calumniam.

24 Nec favet Contrario, ſupernaturalitatem, etiam entitativam, explicari à Subt. Doct. per habitudinem ad agens; nam ſupernaturalitas entitativa ſumitur dupliciter, *formalitèr* ſcilicèt, & *fundamentalitèr*. Supernaturalitas entitativa formalis, verum eſt, quod conſiſtit in reſpectu, ſeu habitudine entitatis, ſeu formæ ad agens ſupra vires, & exigentiam naturæ. Supernaturalitas fundamentalis, ſeu radicalis ſtat in ipſamet perfectione, ſeu prædicato illo intrinſeco, ratione cuius gratia juſtificans, & aliæ res, quæ ſunt quoad ſubſtantiam ſupernaturales, intrinſicè, & per ſe exigunt fieri à Deo unicè ut Authore ſupernaturali. Unde, quod naturale, & ſupernaturale non importent differentias quidditativus entis, ſed ſolum habitudinem ad aliud agens, ut cum Doct. dictum eſt tom. 3. diſput. 3. quæſt. 4. ſect. 3., venit intelligendum de ſupernaturalitate formali, non verò de radicali, aut fundamentali, quę non poteſt commodius explicari, quam per ordinem ad agens ſupernaturale, à quo debet produci.

25 Exiſtente ergo vera ſuppoſitione, quod nimirum gratia habitualis eſt forma intrinſicè, entitativè, & quod ſubſtantiam ſupernaturalis, totus Cardo præſentis difficultatis eo devolvitur: *an videlicet habitualis gratia juſtificans ſit idem, vel diſtinctus habitus cum charitate?* Certum eſt in primis, & extra omnem controverſiam, quod gratia habitualis à fide habituali, & à ſpe habituali diſtinguitur. Ratio eſt; quia nullum eſt maius ſignum diſtinctionis realis, quam actualis ſeparatio unius ab alio; ſed gratia habitualis non remanet in peccatore, & in eodem peccatore manent virtutes infuſſæ fidei, & ſpei, ſi contra has virtutes non peccavit: ergo, &c. Et, ne in æqui-

vo-

veco procedamus, eſt etiam ſupponendum, ut certum, quod gratia in noſtris principijs duo importat: unum in eſſe phyſico, ſeu materiali, & aliud in eſſe formali, ſeu in eſſe gratię. Hoc poſtremo modo conſiderata dicit pactum, ſeu ordinationem divinam, qua forma, quæ eſt gratia elevata, habet conſtituere hominem filium Dei, & à peccato liberum; de qua ordinatione poſtea in ſuo loco. Ergo primo modo conſiderata gratia eſt, de qua nunc inquiritur: an diſtinguantur, vel identificentur? His ſuppoſitis, ſit noſtra

26 Concluſio: *gratia, & charitas habitualis ſunt idem, ſeu indiſtinctus habitus.* Seu, quod idem eſt: *habitualis gratia, in eſſe phyſico conſiderata, non diſtinguitur realiter ab habitu per ſe infuſſo charitatis.* Concluſ. iſta eſt Sub t. Doct. in 2. diſt. 27. q. unica, cum quo omnes eius Diſcipuli, & aliqui Ieſuitę, ut ſunt Bellar minus, & alij, contra torrentem Thomiſt. Prob. 1. ex ethimologia nominis: nam charitas ortum habet à nomine greco *charis*; ſed charis idem eſt, quod latinè *gratia*: ergo, &c. Nec dicas charitatis nomen commune eſſe gratiæ ſanctificanti, & virtuti charitatis; aliquando enim ſumitur à PP., & Script. pro gratia, aliquando pro virtute elevante voluntatem. Quæſtio ergo procedit de charitate in hoc ſecundo ſenſu; nam in primo certum eſt coincidere cum gratia ſantificante. Contra eſt; nam virtus, perficiens voluntatem, charitas dicitur à nomine greco *charis*: ergo cum charis idem ſit, quod gratia, etiam charitas, quæ eſt virtus voluntatis perfectiva, erit idem cum gratia. Ulterius: nam minus rectè Script., & PP. ſumerent charitatem pro gratia juſtificante, niſi charitas, quę eſt verè virtus elevans voluntatem eſſet idem, quod gratia ſanctificans. Verùm ne videatur facere vim in nomine.

27 Prob. 2. Concluſio ratione, in authoritate fundata, quam tangit Doct. cit., & poteſt reduci in iſtam formam: diverſitas habitum colligitur ex diverſitate actum, ſeu effectum; ſed effectus gratiæ, & charitatis ſunt idem omninò: ergo gratia, & charitas ſunt unus, & idem habitus. Maior eſt certa; quia, ſi unus habitus præſtat totum, alter diſtinctas ſuperfluit. Minor, in qua poteſt eſſe difficultas, prob.: effectus gratiæ ſanctificantis ſunt: nos regenerare in filios adoptivos Dei: hominem Deo gratum, & dilectum reddere: vitam ſpiritualem conferre: eſſe fontem, &

& originem omnium virtutum: hominem intimè conjungere cũ Deo: & tandem eſſe ſemen vitæ æternæ; ſed hi omnes ſunt effectus charitatis: ergo, &c. Prob. min., & primo de primo effectu ex 1. Ioann. 3. ubi ait: *videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filij Dei nominemur, & ſimus*: ergo charitas nos regenerat in filios adoptivos Dei. Prob. de ſecundo effectu: Ioan. 15. Chriſtus Dñus. ait: *ſi quis diligit diligetur à Patre meo*: ergo charitas hominem gratum, & dilectum Deo officit. Prob. de tertio effectu: 1. Ioan. 3. dicitur: *qui non diligit manet in morte*. Et infra: *nos ſcimus, quia translati ſummus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres*: ergo charitas eſt vita ſpiritualis hominis, & ejus carentia eſt mors. Prob. de quarto ex Apoſtolo 1. ad Corinth. 13: *Charitas patiens eſt benigna eſt, &c.* ſed charitas non eſt formaliter patientia, nec benignitas: ergo radicalitér, & originativè. Prob. de quinto: nam 1. Ioann. 4. dicitur: *qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo*: ergo charitas intimè conjungit hominem cum Deo. Prob. de ſexto ex Iacobi 1.: *coronam vitæ repromiſsit Deus diligentibus ſe*: ergo charitas eſt ſemen vitæ æternæ; ſed non eſt aſsignabilis alius effectus gratiæ: ergo, &c.

28 Probat. 3. Concluſio ex Concil. Trident. ſeſſ. 6. cap. 7., ubi dicitur: *quamquam nemo poſsit eſſe juſtus, niſi cui merita Paſsionis Dñi. Nri. Ieſu-Chriſti communicantur, id tamen in hac impij juſtificatione fit, dum eiuſdem Sanctiſsimæ Paſsionis merito, per Spiritum Sanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui juſtificantur, atque ipſis inhæret*; ſed homo juſtificatur per gratiam habitualem: ergo gratia, & charitas idem ſunt. Confirm. ex eodem Concilio ſeſſ. 6. cap. 10. dicente: *hoc veræ juſtitiæ incrementum petit Sancta Eccleſia cum erat: de nobis fidei, ſpei, & charitatis augmentum*: ergo juſtitia, ſeu gratia habitualis comprehenditur in aliqua harum virtutum; ſed non in fide, & ſpe, quę ſepè remanent in peccatore: ergo in charitate conſiſtit.

29 Prob. 4. authoritate SS. PP., & primo ex D. Auguſt. lib. de Natura, & gratia cap. 26. dicente: *ipſa eſt enim charitas veriſsima, pleniſsima, perfectiſsimaque juſtitia*. Et cap. 38. *charitas Dei, qua una verè juſtus eſt, quicumque juſtus eſt*. Secundo ex D. Gregor. Homil. 28. aiente: *quid ergo intelligere debemus per veſtem nuptialem, niſi charitatem?* Sed veſtis nuptialis

eſt

eſt gratia habitualis : ergo intelligere debemus per gratiam habitualem habitum charitatis. Vèl alitèr : veſtis nuptialis eſt gratia habitualis ; ſed hæc realitèr diſtinguitur à charitate, in ſententia contrariorum : ergo per veſtem nuptialem aliquid debemus intelligere prætèr charitatem , ſeu diſtinctum à charita , quod eſt contra D. Greg.

30 Ad hanc rationem, authoritate Script. , & SS. PP. munitam , reſpondent Contrarij primo , eoſdem effectus gratię , & charitati tribui , non quia ſunt unus , & idem habitus , ſed quia ſunt inſeparabilitèr interſe connexæ. Verum contra eſt ; nam connexio , & concomitantia inſeparabilis formarum non ſufficit, ut effectus unius alteri tribuatur : ergo nulla eſt reſponſio. Probat. antec. : nam minus inſeparabilitèr connectitur voluntas , & virtus operativa cum anima rationali , tamquam cum radice illius , quam charitas cum gratia , in principijs Thomiſt. ; ſed non obſtante connexione inter voluntatem , & animam , improprijſsimè diceretur de voluntate , quod ſit forma corporis , quod illud vivicet, quodque homo ſit conſtans corpore , & voluntate : ergo,&c.

31 Reſpondent Adverſarij 2. , quod licèt multi gratię effectus tribuantur charitati propter connexionem utriuſque , tamen alitèr tribuuntur gratiæ , alitèr charitati ; gratiæ ſcilicèt , ut primæ radici; ut fructui illius , charitati. Hęc ſolutio parum diſtat à prima; quare impugnatur ſicut illa : ergo voluntati poſſunt abſolutè tribui omnes effectus animæ, poſtea explicando , quod animę tribuuntur , ut radici primę, voluntati , ut fructui. Quare poſſemus dicere , voluntatem formare copus , quod eſt improprijſsimum. Contra 2.: & ſi alij effectus gratię poſsint tribui charitati cum expoſitione dicta , minimè poteſt tribui eſſe radicem bonorum operum; ſed juxta D. Greg. Mag. hom. 27.in Evangelia,*non habet aliquid viriditatis ramus boni operis , ſi non manet in radice charitatis*: ergo Contrariorum explicatio non eſt bona. Prob. mai. : ſi poſſet applicari expoſitio Thomiſt. propoſitioni D.Greg.,eſſet ſub his , vel ſimilibus terminis: charitas eſt radix boni operis, non ut eſt radix ; ſed ut eſt fructus , qui modus explicandi authoritatem Magn. Gregor. abſolutè enervat proprietatem ipſius charitatis , ergo , &c.

32 Reſpondent 3. : quod, quando in Scriptura effectus gratiæ tribuuntur charitati, non accipitur charitas , ut eſt habi-

bitus, quo Deum diligimus, ſed prout eſt vinculum amicitiæ inter nos, & Deum, quo & ipſum Deum diligimus, & mutuò ab eo diligimur: in quo ſenſu charitas continet ſubſe habitum gratiæ, quæ eſt effectus dilectionis, qua Deus nos diligit. Sed contra: & ſupponendo, eſſe contra bonam philoſophiam dicere, proprietatem continere ſuam radicem, à qua dimanat, ſit, inquam, contra: charitas eſt vinculum amicitiæ inter nos, & Deum, quo & ipſum diligimus, & ab ipſo diligimur; ſed hoc vinculum, tam realitèr, quam formalitèr eſt ipſa gratia: ergo gratia, & charitas ſunt idem habitus.

33 Reſpondent tandem, quod eſt aliqua excellentia in gratia, quæ charitati non tribuitur, ſcilicet, dare primum eſſe ſupernaturale: atque adeo eſſe naturam ordinis ſupernaturalis, & radicem, ſeu primum principium omnium motuum ſupernaturalium. Sed contra eſt: nam talis excellentia nulla authoritate Script. Conciliorum, & PP. expreſsis verbis gratiæ tribuitur, ſed illam colligunt Contrarij ex eo, quod in Script. dicitur, hominem per gratiã naſci ex Deo, regenerari, & in eius filium adoptari; ſed hæc eadem encomia tribuuntur charitati ab Script., Concil., & SS. PP.: ergo dare primum eſſe in linea ſupernaturali in modo loquendi Script. Conciliorum, & PP., & gratię, & charitatis effectus eſt communis; & propterea nulla eſt excellentia, gratię habituali conveniens, quę ſimul non conveniat charitati infuſſæ. Unde ſunt idem, & indiſtinctus habitus.

34 Hæc omnia procedunt de charitate, & gratia in eſſe phyſico accepta. Etenim gratia, in eſſe morali gratiæ, addit ſupra habitum charitatis quamdam moralem vim, deribatam à divina ordinatione, & pacto, quo Deus ſtatuit habere in ſibi dilectum hominem, habentem charitatem; & vi charitatis, ut involventis hanc divinam ordinationem, conſtituere hominem, à peccato immunem, filium Dei, & hęredem vitæ æternę. Unde gratia, in eſſe morali gratiæ accepta: diſtinguitur ab habitu charitatis, penès includens ab incluſſo; nam gratia charitatem includit, & ultra iſtam phyſicam qualitatem ſupperaddit ordinationem divinam, ſeu virtutem moralem, deribatam ab iſta ordinatione, ut pręſtet formales effectus, peccata delendi, & hominem juſtum reddendi, ſeu juſtificandi.

Sol-

Solvuntur argumenta.

35 ARguitur 1. ex Scrip. Concilijs, & PP. loquentibus, de gratia, & charitate, tamquam de duplici forma, realiter diſtincta: nam 2. ad Corinth. cap. 3. dicitur: *gratia Dñi. N. Ieſu-Chriſti, & charitas Dei.* Et ad Thim. c. 1. *ſuperabundavit gratia Dñi. N. Ieſu Chriſti cum fide, & dilectione*; ſed Paul. in his verbis inſinuat, gratiã diſtingui à charitate, ſicut à fide: ergo cum fides realiter à charitate diſtinguatur, idem dicendum de gratia. Confirmatur 1. ex eodem Paulo ad Rom. 5., dicente: *charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis*: ubi diffuſio charitatis tribuitur Spiritui Sancto, pro priori nobis dato; ſed Spiritus Sanctus datur per gratiam habitualem: ergo prius infunditur gratia, quam charitas; atque adeo diſtinguuntur realiter.

36 Confirm. 2.: tum ex Concil. Vienenſe de Summa Trinitate, & fide catholica, ubi dicitur: *parvulis in baptiſmo infundi gratiam informantem, & virtutes.* Tum ex Trident. ſeſſ. 6. cap. 6. docente, *hominem juſtificari per voluntariam gratiæ ſuſceptionem, & donorum*; atqui charitas eſt virtus, & ſpeciale donum: ergo diſtinguitur á gratia. Nec deſunt PP. id ipſum affirmantes, nam Auguſt. lib. de Spiritu, & littera, cap. 32. in fine diſtinguit juſtitiam, qua juſtificamur à charitate, qua Deus nos facit dilectores ſui. Et D. Dionyſius de Eccleſiaſtica Hyerarchia, pag. 1. ait: *non poſſe hominem operari divina, niſi prius fuerit conſecutus ſtatum divinum.* Ultimò confirmatur: nam prius eſt animam diligi à Deo, quam Deum ab anima diligi, juxta illud Ioann. cap. 1. ſuæ Epiſt.: *ipſe prior dilexit nos*; ſed Deus diligit animam, quia habet gratiam, charitas verò eſt principium, quo nos Deum ipſum diligimus: ergo, cum una ſit prior alia, patet, quod diſtinguuntur.

37 Reſp., has, & ſimiles authoritates levis eſſe momenti, cum ipſi Thomiſtæ parum confidant in authoritatibus, ut colligitur ex eo, quod Paulus à Conceptione ſentit in hac materia dicens: *mittimus argumentum ab authoritate, quia ut obſervavit Pater Suarez de Gratia lib. 6. cap. 12. eſt difficile ex Script., & PP. aliquid convincere.* Iam ergo ad argum. principale eſt dicendum, Apoſt. non loqui de charitate habituali, de qua eſt quæſtio, ſed de actuali, ſeu de actu illo, quo diligimus Deum: qui actus ex habitu charitatis, vel gratiæ Dñi. Ieſu, quæ in nobis ſuperabundavit,

pro-

provenit, ab ipſoque realiter diſtinguitur: unde non inſinuat, gratiam diſtingui à charitate habituali, ſicut a fide, ſed ab actuali dumtaxat.

38 Ad primam confirm. nego min.; quia Stus. Sptus. datur etiam per gratiam actualem, ſivè per auxilium gratiæ, moventis nos ad juſtificationem, cũ hæc ſit ſpecialis Sptus. Sti. motio, ex Trid. ſeſ.6. cap.3.dicente: *ſi quis dixerit, ſine prævenient e Sptus. Sti. inſpiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, ſperare, diligere, ſicut oportet, ut ei juſtificationis gratia concedatur; anathema ſit.* In quibus verbis per Sptum. Stum. intelligitur gratia actualis.

39 Ad Div. Auguſt. dico, tantum velle, quod ſicut nos non juſtificamur per juſtitiam, qua Deus juſtus eſt, ſed per formam creatam, nobis inhærentẽ, iſta charitas, quę defunditur in cordibus noſtris, non eſt ipſum prędicatum Dei, quo nos diligit, ſed habitus in nobis receptus, & nos conſtituens dilectores: nihil tamen ibi determinavit de diſtinctione gratiæ à charitate. Vel, ſi mavis, dic cum Vazquez, quem approbat Maſtr., quod per gratiam, qua juſtificamur intelligit Auguſt. auxilium gratiæ moventis ad juſtificationem noſtram; quod auxilium dicitur juſtificatio, ſaltèm diſpoſitivè, quia ſaltem ad ipſam diſponit. Div. Dionyſius poteſt ſine interpretatione admitti; nam nos non negamus, hominem non poſſe ſupernaturaliter operari, niſi prius ſupernaturalem ſtatum acquiſierit; ſed dicimus, per eandem formam conſtitui in tali ſtatu, & conſtitui potentem ſupernaturaliter operari, ut patet in calore, ſuum ſubjectum conſtituente in eſſe calidi, & in eſſe calefactivi.

40 Ad tertiam confirm. diſtinguo mai.: prius eſt animam diligi à Deo, &c., prioritate exiſtentiæ, & præſuppoſitionis, arguente diſtinctionem realem, nego: prioritate connotationis. ſivè alia, non arguente realem diſtinctione, conc. mai.; & data min., negatur conſequentia. Gratia ergo non eſt ita indiſtincta à charitate, ut nulla prorſus diſtinctione gaudeat; diſtinguitur enim ſaltem penes diverſa connotata, quæ diſtinctio ſufficit ad ſalvandam aliquam prioritatem inter hoc, quod eſt, conſtituere hominem dilectum à Deo, & conſtituere illum dilectorem Dei. Sanè eadem qualitas realiter utrumque præſtat, ſed primum effectum præſtat, in eſſe morali gratiæ, ſeu ut ſubſtat divinæ ordinationi; alterum verò effectum præſtat phyſicè; ſeu ex natura rei.

41 Accedit, quod ut conſtat in phyſicis, eadem forma præſ-

prę̃ſtare poteſt plures effectus realiter diſtinctos, maxime ſi unus ſit primarius & alter ſecundarius, & tamem ad diſtinctionem effectuum, non arguitur diſtinctio realis cauſarum. Urgetur in re noſtra: nam, ſecundum Thomiſt., & omnes, gratia conſtituit hominem amicum Dei, & facit filium adoptivum, qui effectus diſtinguuntur; non enim valet ex terminis: eſt amicus: ergo filius. Cum ergo omnes componant diſtinctionem horum effectuum cum indiſtinctione cauſæ; poterit etiam componi indiſtinctio, ſaltem realis, gratiæ à charitate, ſto illi effectus ſint diſtincti. Præterea, ut jam manet inſinuatum, & infra in ſuo loco probabitur; hominem reddere Deo gratum, non eſt phyſicus, ſed moralis effectus qualitatis, & habitus charitatis; cujuſmodi eſt ejus effectus phyſicus, hominem reddere Dei dilectorem.

42 Arguit. 2. natura, & ejus virtutes, ſeu potentiæ realitèr interſe diſtinguuntur cum iſtę ſupponant illam: at conſtituere naturam in ordine ſupernaturali eſt proprium gratiæ, quæ in ordine ſupernaturali ſe habet ut natura, & charitas, ut pote virtus, eſt proprietas, & potentia ſupponens gratiam: ergo gratia, & charitas ſunt duæ res diſtinctæ. Omnia conſtant præter maiorem, quæ multiplicitèr probatur: & 1. authoritate Philoſ. 7. Phiſic. c. 17. dicentis: *virtus eſt quædam diſpoſitio perfecti ad optimum; dico autem perfectum, quod eſt completum ſecundum naturam*: ergo virtus ſupernaturalis perficit, & diſponit ſubjectum conformitèr ad naturam, in eodem ordine conſtitutam: ergo ipſam in tali ordine ſuponit. Prob. 2. eadem maior; nam omnes virtutes, vel hominis, vel Angeli, naturam hominis, vel Angeli ſupponunt: ergo omnes virtutes divinæ, ſeu ſupernaturales ſupponunt naturam divinam participatam, vel phyſicè, vel moralitèr pro diverſitate opinionum: ergo cum charitas ſit virtus ſupernaturalis, & divina, ſupponit hominem conſtitutum in eſſe ſupernaturali, & divino: ergo, cum in eſſe talis per gratiam conſtituatur, gratia, & charitas erunt diſtinctę.

43 Tertio prob. illa maior: virtus diſponit ſubjectum in ordine ad operationes ſibi convenientes, & proportionatas; ſed hæc proportio attenditur penes naturam ſubjecti: ergo virtus ſupernaturalis debet ſuponere naturam proportionatam; ſed talis natura non eſt natura humana ſecundum ſe; quia homini non ſunt proportionatę, & connatura-

le

les operationes divinę, & ſupernæ: ergo erit altior natura elevans humanum ad conſortium naturæ divinæ, quod ſane habetur per gratiam: ergo iſtam ſupponit virtus charitatis. Confirmatur 1.: omnis appetitus conſequitur naturam, vel formam; ſed charitas eſt appetitus, & inclinatio ad Deum: ergo conſequitur aliquam formam, vel naturam, ſed formam, quam conſequitur, non eſt natura ſecundum ſe, quia charitas non appetit bonum conſonum naturæ ſecundum ſe, ſed naturæ, elevatę per gratiam ad ordinem ſupernaturalem: ergo iſta erit illa forma ad quam charitas conſequitur. Confirm. 2.: in naturalibus hæc tria diſtinguuntur, ſcilicèt, natura, inclinatio, & motus: ergo etiam in ordine ſupernaturali hæc tria reperiri debent; cum, modo poſſibili, ſupernaturalis ordo ordini naturæ debeat conformari. Antec. patet in gravibus, & levibus, in quibus, aliud eſt natura, aliud gravitas, ſeu propenſio in locum deorſum, & aliud motus ad ipſum.

44 Reſp. negando mai. argum. principalis; virtus namque ſupernaturalis non ſupponit naturam ſupernaturalem, ſed illam conſtituit in tali eſſe, ut velint, nolint, debent concedere omnes illi, qui confitentur, adultum accedentem ad baptiſmum cum peccato mortali, quod non ſit infidelitatis, vel deſperationis, reciperet fidem, & ſpem, non autem gratiam: in quo caſu fides eſt certe virtus ſupernaturalis, nec ſupponit hominem in tali eſſe per priorem formam conſtitutum, cum fides prior forma ſit in tali ordine. Etiam eadem virtus moralis conſtituit ſubiectum in eſſe morali, & ſtudioſo, & eſt principiū proprij actus. Ad primam prob. ex Phyſ. diſting. antec.: virtus eſt diſpoſitio perfecti in actu primo ad optimum, hoc eſt, ad actum ſecundum, conc. ant.: eſt diſpoſitio perfecti in actu ſecundo, nego ant. Vel aliter: virtus conſtituit ſubjectum perfectum, non conſtitutum per aliam formam, vel virtutem priorem, conc.: conſ. titutum iam per priorem formam, nego. Conformitas huius expoſitionis cum mente Ariſt. ex eo patet, quia 2. Ethycor. dixit: virtus eſt, quæ habentem perficit, & opus eius bonum reddit, quod tamen eſſet falſum, ſi habentem inveniret iam perfectum.

45 Ad ſecund. prob. dico, antec. eſſe ad oppoſitum; nam virtus hominis, eſto ſupponat naturam ſecundùm ſuum eſſe ſubſtantiale conſtituram, non tamen illam conſtitutam ſuppo-

nit

nit per priorem formam in eſſe morali, & virtuoſo. Solum ſupponit naturam capacem, ut per virtutem in determinato eſſe conſtituatur, & fiat potens operari conformiter ad illud eſſe. Idem dicendum eſt de virtute ſupernaturali. Ad tert. prob. reſp., virtutem non ſolum diſponere ſubiectum ad operationes, verum etiam conſtituere naturam in eſſe virtuoſo; naturæ autem ſic conſtitutæ ſunt convenientes, & quodam modo connaturales actus virtutum; qui tamen actus virtutum non erant proportionati pro priori ad talem virtutem conſtituentem. Unde non diſponit ſubiectum, aliàs per formam diſtinctam conſtitutum, ſed eademmet virtus, & conſtituit, & diſponit.

46 Ad prim. confirm. diſtingo mai.: appetitus per modum potentiæ, conc.; per modum habitus, ſubdiſting.: conſequitur naturam capacem, & eam in proprio eſſe habitus conſtituit, conc.; conſequenter ad naturam per priorem formam conſtitutam, nego mai., & conſeq. Charitas ergo eſt habitus appetitivus, conſequiturque ad naturam, quatenus eſt capax, ſeu non dicit repugnantiam ad illum; non verò ita conſequitur ad naturam, ut illam conſtitutam in tali eſſe, ſupponat per alium habitum. Accedit, quod etſi concedatur, appetitum conſequi ad naturam, non ideo infertur, realis diſtinctio inter naturam, & appetitum; nam multa conſequuntur ad naturam, quę tamen non diſtinguuntur realitèr, ut voluntas, & intellectus ad animam, propria paſsio ad ſubiectum: & in divinis attributa ad Eſſentiam.

47 Ad ſecund. Confirm. reſp. negando antec.: nam in naturalibus, licet natura, & motus, ſivè operatio diſtinguantur realitèr, non tamen ita diſtinguuntur natura, & inclinatio, quod eodem exemplo, ab arguente propoſito, fit palàm. In gravibus namque gravitas non diſtinguitur realiter à natura gravium; immo eadem forma conſtituit grave in proprio eſſe, & eſt principium motus deorſum. Ex hucuſque dictis apparet, quam parum difficultatis contineat hoc potiſsimum Contrariorum fundamentum. Procedit ex principio falſo apud Scotiſtas, apud quos nihil magis tritum, quam quod idem realitèr, & conſtituit ſubiectum in aliquo ordine, & eſt principium operandi in tali ordine. Reliqua argumenta aſſumpta, tum ex Cap. ſubjecti receptivi gratiæ, & charitatis, tum ex eo, quod

gra-

gratia eſt natura, ſeu præſtans quaſi eſſe ſubſtantiale in linea ſupernaturali, ſolutionem accipiunt ex reſolutione quæſtionum, infra ponendarum.

QUÆST. QUARTA.

An gratia ſit participatio phyſica, & formalis Divinæ Naturę?

48 NOtandum eſt 1. ex Doctore Subt. quodlib. 5. §. *ad argumentum principale*, quod *participare* idem ſignificat, ac *partem capere*. Unde creaturam participare Deum, aliud non eſt, quam partem capere infinitæ perfectionis in Deo exiſtentis. Cœterum, cum Deus ſit ens ſimpliciſsimum, & partibus carens nulla creatura poteſt Deum ita participare, ut propriè à Deo accipiat partem. Quare pars in præſenti non ſumitur pro parte formali Dei infiniti, ſed ſumitur extenſivè, quatenus omne minus dicitur pars maioris, quia ratione ſuæ infinitatis Deus dicit totalitatem in entitate, & finitas dicit partialitatem in ente; omne enim finitum minus eſt, quam infinitum, & propterea poteſt dici extenſivè, & non propriè pars infiniti.

49 Notandum eſt 2., quod participatio, alia eſt *moralis*, alia *phyſica*. Moralis participatio conſiſtit in eo, quod prædicatum divinum, quod participari dicitur á creatura, non reperiatur in creatura phyſicé; ſed moraliter, ſive ex ordinatione divina. E contra in participatione phyſica, in qua prædicatum, quod participari dicitur, in Deo, & in creatura phyſicè reperitur. Hæc phyſica participatio adhuc eſt duplex, altera eſt *formalis*, & tunc datur, cum ratio participata in utroque, ſcilicet, in participante, & in eo, à quo participatur, phyſicè formaliter reperitur: ſic lux aëris eſt phyſica formalis participatio lucis Solis, quia tam in aere, quam in Sole formaliter reperitur lux. Alia eſt participatio *virtualis*, & contingit dupliciter: vel, cum ratio participata reperitur formaliter in participante, in eo verò, à quo participatur, eminenter, vel virtualiter, vel cum res contra ſe habet, nempè rationem participatam in participante virtualiter reperiri, in partipato verò formaliter.

50 Sit exemplum: calor corporum ſublunarium dicitur virtualis participatio caloris Solis, quia calor virtualiter tantum, & eminenter in Sole reperitur, in ſublunaribus autem formaliter. Unde infertur, tria eſſe neceſſaria ad participationem phyſicam formalem. Primum eſt, quod participans, & id, à quo par-

participat, conveniant in aliqua ratione communi, quæ de utroque formalitèr prædicetur. Secundum est, quod diversimode in utroque reperiatur; alioquin, iam non partem capere, sed æqualitèr se habere potius esset. Tertium est, quod prędicatum, quod participari dicitur, sit à Deo participatum, id est, ab ipso Deo causatum.

51 Notandum est 3., quod cum divina Natura sit essentialitates Sancta, & Iusta, propterquod est omninò impeccabilis, summèque necessitata ad operandum rectè, hinc provenit, naturam divinam admittere duplicem considerationem. Uno modo secundum quod Sancta, & Iusta est, sub qua consideratione explicat munus sanctitatis ad genus moris spectantis, nam dicit rectitudinem affectus, ratione cuius saltem radicalitèr Deus evadit Sanctus, & Iustus in omnibus operibus suis, ut potè conversus ad se ipsum, tamquam ad summum bonum, & aversus ab omni iniquitate. Alio modo natura divina consideratur secundum quod est radix, & principium metaphysicum, unde dimanant divina attributa, & proprietates.

52 Notandum est 4. esse inconfessо, quod gratia habitualis est aliquomodo, & moralitèr participatio naturæ divinę. Ratio est; nam in Scriptura dicitur hominem nasci ex Deo per gratiam; sed omnis nativitas respicit, ut terminum, naturam: ergo gratia est, saltem moralitèr naturæ Dei participatio. Maior patet pluribus in locis Sacrę Script., nam 2. Petr. c. 1.: *maxima, & pretiosa nobis promissa donavit, ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ.* Psalmo 81. dicitur: *ego dixi dij estis.* Ioann. 3.: *videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut Filij Dei nominemur, & simus.* Augustin. ait: *homines dicit deos, ex sua gratia deificatos, non de sua substantia natos ille deificat, qui per se ipsum, non alterius participatione Deus est.* Conc. Trid. sess. 6. cap. 4. ait: *nostra iustificatio est translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adæ in statum gratiæ.* Ubi manifestè videtur, quod gratiæ tribuitur esse quandam deitatis, seu naturæ divinæ participationem, ex qua habet justus esse ex Deo natus. Tota ergo præsens difficultas est: an divina natura participetur physicè, & formalitèr à gratia habituali duplici sensu exposito. Sit nostra

53 Conclusio: *gratia iustificans non est physica, & formalis participatio naturę divinæ, ut natura est.* Concluſ. est Doct. Subt. in 2. dist. 27. q. unica: & probatur ratione illius convel-

lendo principale fundamentum Thomiſt., qui ſunt in contraria ſententia. Ratio eſt talis, ut gratia eſſet formalis, & phyſica participatio naturæ divinæ ſubjectaretur in anima, & non in voluntate; ſed falſum eſt hoc; nam gratia, ut pote realitèr identificata cum charitate ex quæſt. præcedenti, ſubiectatur immediatè in voluntate, & non in anima. Prob. mai.: ſi gratia eſſet talis participatio deberet recipi immediatè in eo, quod eſt radix, & principiatio intellectionis, & volitionis, ſed anima, & non voluntas, eſt huiuſmodi radix: ergo immediate in anima, & non in voluntate reperiretur gratia. Minor conſtat. Prob. mai.: ideo charitas, quæ eſt participatio phyſica divinæ voluntatis immediate recipitur in voluntate, & non in anima, quia eſt proximum principium noſtræ dilectionis: ergo, &c.

54 Prob. 2. Concluſ. natura divina, ut natura ſolum eſt ſanctitas radicalis; ſed gratia, juxta Adverſarios, eſt participatio phyſica formalis divinæ naturę, ut natura eſt: ergo tantum erit ſantitatis radicalis participatio; & proinde gratia ſolum erit ſanctitas creata radicalitèr, & non habebit conſtituere hominem formalitèr, ſanctum, quod eſt contra Conc. Trid., ubi aſſerit, quod unica cauſa formalis noſtræ juſtificationis, eſt juſtitia, ſeu gratia. Prob. mai.: quod immediatè opponitur immunditiæ, & impuritati eſt ſanctitas formalis; ſed amor divinus, vel aliud attributum ſpectans ad voluntatem, immediatè opponitur impuritati; & propter hanc cauſam tale attributum, & non natura divina, ut natura, erit ſanctitas formalis, atque adeo natura erit ſanctitas radicalis. Patet mai. ex D. Dioniſio de divinis nominibus, ſic ſanctitatem explicante: *eſt ab omni ſcelere libera, & ex omni parte immaculata puritas.*

55 Prob. 3. Concluſ.: participatio formalis, & phyſica ſtat in eo, quod participans habeat aliquid formalitèr, & phyſicè commune cum eo, à quo participat; ſed gratia habitualis non eſt talis: ergo non eſt phyſica, & formalis participatio divinę naturę. Prob. min.: natura divina, ut natura eſt formalitèr eſt prima radix, unde dimanant attributa, eſtque principium radicale videndi, & amandi, Deum in ſe ipſo: ergo, &c. Mai. eſt ita vera apud Contrarios, quod propter eam dicunt, gratiam formalitèr phyſice participare divinam naturam, quia eſt radix videndi, & amandi Deum in ſe ipſo.

56 Prob. min.: gratia habitualis in primis non eſt radix charitatis; quia nihil radicat

ſe

ſe ipſum, & iam patet, eſſe eundem realem habitum gratiam & charitatem; ſed aliunde gratia non eſt prima radix habituum ſupernaturalium fidei, & ſpei: ergo non eſt prima radix videndi, & amandi Deum in ſe. Conſeq. patet; quia radix actus debet etiam eſſe radix fidei, ſpei, & charitatis, quæ ſunt principia proxima, ut patet in anima, quę eſt radix intellectus, & etiam intellectionis. Prob. min.: de conceptu radicis eſt, quod præcedat illa quorum eſt radix, non enim radicatum eſt ſua radice prius, quin potius poſterius, ſed gratia non præcedit ſemper fidem, & ſpem ut patet in iuſtificatione peccatoris, qui peccavit peccato, v.g. furti, in quo pro priori ad gratiam receptam præhabebat in ſe, dum erat in peccato, fidem, & ſpem.

57 Confirm. 1.: nam gratia, vel dicitur á Contrarijs radix habituum ſupernaturalium, inſtar naturę, reſpectu ſuarum potentiarum, eo quod gratia ſuſtentat illas virtutes, ſicut natura ſuſtentat ſuas potentias; & hoc, non quia ſicut deſtructa natura, deſtruuntur potentię in ipſa ſubſtentatæ, pariformiter deſtructa gratia, deſtruerentur virtutes infuſſæ; ſed hoc eſt contra Conc. Trid. definiens, manere fidem in peccatore, qui non commiſit peccatum infidelitatis, immo etiam manet ſpes, deſtructa gratia, ut omnes fatentur: vel gratia dicitur radix dictarum virtutum, quia per eas gratia operatur; ad modum quo anima per proprias potentias: & neque hoc eſt dicendum; alioquim, ſicut anima dicitur intelligere, & amare, ita gratia diceretur credere, & ſperare, quod nullus dicit.

58 Vel tandem gratia dicitur radix, quia naturam rationalem elevat, & conſtituit in eſſe ſupernaturali, & divino, redditque eam proportionatam, ut poſsit recipere habitus ſupernaturales, & per eos operari ſupernaturaliter: & neque hoc falſitate caret: tum primo, quia ſequeretur, primam gratiam eſſe potius diſpoſitionem, quam naturam, vel radicem. Sequela patet; ſiquidem reddere ſubjectū aptum, & proportionatum ad aliquam formam recipiendam, & ad benè utendum, eſt proprium diſpoſitionis, non radicis, vel naturę: tum 2. quia virtutes ſine gratia exiſtunt, & ſuos proprios actus operantur, ut ſupra patuit, & quidem modo connaturali, ut naturale opponitur miraculoſo: ergo, &c.

59 Si dicant Adverſarij fidem, & ſpem manere in peccatore in ſola ratione habituum, non verò manere in ratione vir-

virtutum, qua ratione eſt, quod radicentur in gratia, & ab illa dimanent. Contra hanc reſp. eſt: peccator non hæreticus ſe diſponit per actum fidei ad iuſtificationem, credendo myſteria fidei, quia revelata ſunt à Deo: è contra hæreticus myſteria, quæ non negat, credens ex motivo humano non ſe diſponit ad juſtificationem: videatur propoſitio 23., damnata ab Innocent. XI.; ſed credere, ut pote actus bonus ſupernaturalis diſponens ad iuſtificationem, non poteſt non eſſe ab habitu, qui virtuoſus ſit: ergo, &c.

Contraria argumenta ſolvuntur.

60 ARguit. 1. opponendo omnes illas authorit., in quibus dicitur, hominem per gratiam naſci, & renaſci ex Deo, eſſe ejus filium adoptivum, divinæque naturæ conſortem. Nec reſpondere iubat, tales author. eſſe intelligendas de participatione morali, ſecùs verò de participatione phyſica formali, eo quod gratia non iuſtificat phyſicè, & ex natura rei, ſed moralitèr tantum, & ex divina ordinatione, ut in ſuis principijs tenent Scotiſtę. Non iubat, inquam, in prædicto ſenſu intelligere Script. & PP., quia contra hanc ſolutionem inſurgunt Contrarij in hunc modum.

61 Homo in Script. dicitur ex Deo naſci, & renaſci per gratiam, & in eius filium adoptari, conſortemque fieri divinæ naturæ; ſed hæc locutiones, de participatione, ſeu conſortio tantum morali gratiæ cum natura divina verificari nequeunt: ergo gratia eſt participatio divinæ naturæ, non tantum moralis, ſed phyſica. Probat. min.: habere conſortium tantum morale cum Deo, ſeu eius naturam ſolum moralitèr participare dicit pręciſſe, divinam rectitudinem moralem participare; ſed participatio rectitudinis moralis Dei, non ſalvat nativitatem eius ex Deo, nec filiationem adoptivam, & conſortium cum Deo: ergo tales locutiones de participatione purè morali non poſſunt intelligi. Maj. communitèr admittitur. Minor prob.: nativitas, & filiatio neceſſario petit, ut filius participet naturam patris, & quidem participatione ſubſtantiali, ſi filiatio eſt ſubſtantialis, & accidentali, ſi ſolum accidentalis eſt filiatio; ſed rectitudo moralis Dei non eſt ipſa natura divina, adhuc participativè ut natura eſt; nam cum ſit propria voluntatis perfectio, pertinet ad perfectiones attributales, naturam ſupponentes: ergo participatio rectitudinis moralis Dei non

ſal-

ſalvat, quod homo nãſcatur, & renaſcatur ex Deo per gratiam.

62 Ad argum. ex authorit. deſumptum, reſp. ſicut ibi in illius propoſitione. Ad replicam conceſſa mai., nego min. : ad probationem nego etiam min., cum mai. probationis; & ratio eſt, quia participare rectitudinem moralem Dei, ſive morale conſortium cum Deo habere ſufficit ad filiationem adoptivam, quam in ſenſu Script.; præſtat gratia; nam ſufficit ut homo poſsit vivere, & agere ſpiritu Dei, & ad morem ipſius, ut conceptis verbis docet Apoſt. ad Rom. 8. dicens : *quicumque enim ſpiritu Dei aguntur, hi ſunt Filij Dei.* Sicut per oppoſitum peccatum reddit peccatorem filium Diaboli, juxta illud Chriſti : *vos ex parte Diabolo eſtis.* Et juxta aliud : *unus ex vobis Diabolus eſt.* Præterea : nativitas, & filiatio phyſica petit, filium participare naturam patris, non autem filiatio moralis, & adoptiva. Eſt ergo duplex filiatio, una naturalis, & phyſica, & hæc ſalvari nequit quin filius communicet in natura cum patre, & fit hæc communicatio per generationem, quæ eſt origo viventis, à vivente in ſimilitudinem naturæ : altera adoptiva, quæ non reſpicit productionem naturæ communicatæ, ſed tantum quod adoptato tribuatur ius ad hęreditatem, quod non habebatur ex vi ſui originis.

63 Claret hoc in adoptione, quæ fit inter homines. Per iſtam namque adoptatus non recipit eſſe naturale ab adoptante; alioquin non tam filius adoptivus, quam naturalis eſſet; ſed tantum aſſumitur ad hęreditatem per voluntatem adoptantis. Unde adoptio ſic communiter definitur : eſt voluntaria aſſumptio, ſive gratuita acceptatio perſonæ extraneæ ad hæreditatem, ad quam ex vi ſui originis ius non habebat. In iſta definitione adoptionis nulla fit mentio de communicatione naturæ : cum ergo gratia Dei nos efficiat hæredes, ſeu nobis tribuat ius ad hæreditatem gloriæ, eſto non ſit phyſica participatio divinę naturæ poteſt filios adoptivos nos facere, & optime ſalvantur locutiones Scripturę, & PP. cum ſola participatione morali.

64 Verum inſiſtes, licèt communicatio naturæ non ſit de ratione adoptionis, prout adoptio inter homines reperitur, nihilominus requiritur ad adoptionem, per quàm homo in filium Dei adoptatur : ergo non ſubſiſtit data ſolutio. Prob. ant.: nam ideo adoptio in humanis non requirit communicationem naturæ, quia adoptandas ſuppo-

nitur

nitur eiuſdem naturæ cum adoptantæ, adeſtque proindè ſufficiens principium, quo fiat aptus ad percipiendam eius hęreditatem; ſed adoptio divina hoc non ſupponit, homo enim præciſivè à gratia non habet communicare in natura cum Deo, atque adeo nec habet ſufficientem capacitatem ad hæreditatem Dei percipiendam; ergo licet humana adoptio communicationem naturæ non requirat, ſecùs autem eſt de adoptione divina. Ratio autē cur adoptio humana communicationē in natura non dicat, atque adeo non producat aliquid intrinſecum in adoptato, benè tamen divina eſt perſpicua, nam per adoptionem humanam adoptatus ſuccedit tantum in bonis naturalibus, quæ ſunt ejuſdem ordinis cum illo, proindeque ad illorum participationem elevatur per extrinſecam elevationem.

65 Reſp. ad inſtantiam negando antec.; ad probat., data mai., diſting. min.: ſed adoptio divina hoc non ſupponit hoc eſt, ſufficientem capacitatem ad percipiendam hæreditatem Dei, ſufficientemque quoad hoc participationē naturę, præciſivè à dono, quod ſit phyſica, vel formalis participatio naturæ divinæ, conc.: alitèr, nego. Explicatur hoc: verum eſt, quòd adoptio in humanis ſupponit in adoptando ſimilitudinem in natura, ſuper quam nihil aliud addit, niſi charitatis unionem, vel copulationem, quę eſt unio affectiva, ut conſtat ex Conc. Trancfortienſi, dicente: *quid eſt adoptio, niſi charitatis copulatio, qua pater adoptione ſibi copulat filium, quem proprium non habet?* Verum eſt etiam quod pro priori ad hanc affectivam unionem ſupponitur in natura adoptandi capacitas ad hęreditatem percipiendam, & quod filiatio Dei adoptiva, quam confert gratia, ut homo ſit idoneus ad hęreditatem divinam, non eſt neceſſarium quod iſta ſit phyſica, & formalis participatio naturæ divinæ, ſed ſufficit, quod ſit moralis.

66 Hoc autem ſatis clarè convincitur ex ipſa ratione adverſariorum, nam communicatio phyſica in natura ideo ſupponitur ad adoptionem humanam, ut adoptandus habeat ſufficientem capacitatem ad hęreditatem adoptantis. Si namque abſque tali communicatione capacitas intelligeretur, ſuperflua eſſet communicatio; at homo pręciſivè ab aliqua participatione phyſica naturæ divinæ, ut talis eſt, habet capacitatem, ut heres Dei ſit, ut conſtat ex eo, quod homo ſecundùm ſuum eſſe

eſſe naturale habet animam rationalem, quæ eſt in manu Dei, & eſt eius maxima participatio, ut ſubſtantia, ut ſpiritus, & ut capax, ſaltem remotè cognitionis, & fruitionis Dei; & licèt capacitatem proximam non habeat, niſi per gratiam, ideo eſt, quia Deus clarè viſus, licèt ſit obiectum naturalis inclinationis, non tamen eſt naturalis attingentiæ, & proindè, ſuppoſita in ipſa natura virtute inchoata, & partiali, ut iſta compleatur, neceſſaria eſt ſupernaturalis gratia, quæ hoc ipſo, quod eſt filiatio adoptiva, non eſt phyſica, ſed moralis participatio naturę divinæ.

67 Arguit. 2.: illa forma, quæ in eſſe ſupernaturali dat quaſi quoddam eſſe ſubſtantiale, eſtque prima radix donorum ſupernaturalium, eſtque vita ſpiritualis animæ, eſt participatio, non moralis, ſed phyſica formalis divinę naturę; ſed hęc omnia munera habet gratia ſanctificans in anima Iuſti: ergo gratia iuſtificans non eſt tantum moralis participatio divinæ naturæ. Maior eſt certa; natura enim, ut docetur in Phyſica, eſt principium, & cauſa motus eius in quo eſt primo, & per ſe, & non ſecundùm accidens. Confirm.: nam illa forma quæ eſt, qua oritur inclinatio, motuſque, & operationes in Deum, ſicut eſt in ſe, eſt verè, & proprie natura, ſed non creata, ſed increata, & divina ſaltem participativè: ergo, &c.

68 Reſpond. iam dictum eſſe, in quo ſenſu poſsit concedi, quod gratia ſanctificans ſit radix donorum ſupernaturalium; non enim eſt radix phyſica, ad modum quo eſſentia phyſicè radicat ſuas paſsiones, & proprietates, alioquim, defficiente gratia, defficerent etiam omnes virtutes, & dona ſupernaturalia, quod eſt falſum, ut conſtat in peccatore, peccato furti peccante, qui non ideo amittit virtutes per ſe infuſſas fidei, & ſpei, nec virtutes morales ab eo acquiſitas. Solum ergo eſt natura, & radix moralitèr, quia eſt forma, qua infuſſa, exigit conſtituere hominem habitualitèr, & permanenter potentem ad actus virtutum eliciendos, atque ita cœteri habitus ſupernaturales conſiderantur veluti facultates, & virtutes, quæ ad eius exigentiam exiſtunt. Similitèr vocatur gratia vita animę, in quantum eſt forma, quę vivificat moralitèr omnes eius operationes, ut pote quæ ſine ea ſunt mortuę, eo quod per illas non meretur homo de condigno. In eodem ſenſu eſſe ſupernaturale præſtitum à gratia dicitur primum, & quaſi ſubſtantiale; meri-

ritum enim de condigno, eſt in quod, tanquam in ſcopum collimant omnes potentiæ, auxilia, & habitus ſupernaturales, ut docuit Doct. in Reportatis in 2.diſt.26.§. *ad primum argumentum.*

69 Et quidem non alteri qualitati ſupernæ, quam charitati infuſſæ convenire, quod ſit non quidem phyſica prima radix donorum ſupernaturalium, ſed moralis, ſeu in linea merendi, patet: tum primo; quia genuina ratio, cur gratia participatio naturæ divinę appelletur, eſt, quia per habitum charitatis, ut conjunctum cum ordinatione Dei, habemus ius ad participandam divinam naturam per fruitionem, & viſionem beatam; hoc enim eſt eſſe conſortes divinę naturæ, id eſt, eſſe comites, & ſocios in ejus ſorte. Unde Ioan. in Epiſt. cap. 5., reddens rationem, quare ſimiles Deo erimus, ait: *quia videbimus eum ſicuti eſt in ſe.* Dare autem primum eſſe ſupernaturale utcumque, quod neceſſarium erat ad conceptum naturæ, & radicis phyſicæ, à gratia non eſt; tum, quia in peccatore gratia deſtituto, remanet eſſe ſupernaturale præſtitum à fide, & ſpe, & patet etiam in recipiente baptiſmum cum impedimento ad gratiam, & recipiente, in opinione multorum, fidem, & ſpem. Unde ſolum manet, quod charitas ſit participatio naturæ divinæ, & quatenus eſt forma informans, & decorans omnes virtutes, illas referendo in finem ſupremum, & quatenùs eſt prima radix meriti de condigno

70 Adeſt altera non ſpernenda ratio ad hoc, ut deitatis participatio moralis conveniat charitatis habitui, indiſtincto á gratia ſanctificante: nam alioquin nulla eſſet ratio, quare per quodcumque peccatum deperditur charitas, & non fides, & ſpes, quandoquidem quodcumque peccatu non opponitur directè charitati, ſed tantum odium Dei. Cum ergo, ipſis Adverſarijs fatentibus, charitas, & gratia ſint comites inſeparabiles adhuc de potentia Dei abſoluta, ſequi eſt neceſſe charitati convenire, non minus quam gratię, eſſe radicem, participationemque moralem divinæ naturæ. Et quidem ita ſentit Auguſt. ſuper illa verba Pſal. 71.: *& radicem tuam in terra viventium*, dicens: *radix noſtra charitas eſt, fluctus noſtri opera noſtra.*

71 Ad confirm. reſp., quod ipſa gratia ſanctificans ſit, non forma diſtincta ab ipſa inclinatione ſupernaturali ad Deum, ut eſt in ſe. Patet in exemplo gravium, & levium adducto ab Adverſarijs; nam gravitas,

&

& levitas, & ſunt inclinatio ad locum proprium, & ſimul ſunt principium tendendi in eum, quin detur ulla diſtinctio inter principium eſſendi, & operandi. Et ex hoc infertur contra adverſarios, gratiam ſanctificantem, ſeu charitatem non poſſe eſſe phyſicam formalem participationem divinæ naturæ. Ratio ad hominem eſt; quia divina natura, juxta ipſos, non eſt operativa, niſi per proprietates, & attributa, ſeu potentias, dimanantes, & radicatas ab ipſa natura divina; ſed gratia, ſeu charitas eſt eadem indiſtincta forma, quæ tribuit homini eſſe conſtitutum in linea ſupernaturali, & in eſſe operativi: ergo nequit eſſe phyſica formalis participatio divinę naturę.

72 Arguit. 3.: ſanctitas creata eſt formalis participatio divinæ naturæ; ſed gratia eſt ſanctitas creata: ergo, &c. Minor cum conſeq. tenet. Prob. mai.: ſanctitas creata eſt participatio ſanctitatis divinæ, ſed natura divina, ut natura eſt ſanctitas divina: ergo, &c. Prob. min.: ex D. Dionifio de Divinis nominibus, ſic ſanctitatem definientem: *eſt ab omni ſcelere libera, & omni ex parte immaculata puritas*; ſed natura divina, ut talis eſt, & ut prior attributis, hoc habet: ergo, &c. Reſp., in Deo eſſe duplicem ſanctitatem, radicalem nempe, & formalem. Formalis ſanctitas, vel eſt ſpeciale attributum, ut verius nobis videtur, vel, ut alijs placet, eſt aggregatum omnium perfectionum divinarum. Sanctitas verò radicalis eſt radix illius attributi, vel aggregati. Unde ad argum. dico, naturam divinam, ut priorē attributis eſſe nuicè ſanctitatem radicalem: & cum gratia, nobis collata ſit formalis ſanctitas, ſequitur, quod hæc illam non poteſt phyſice formaliter participare.

73 Arguitur 4.: in Iuſtis neceſſariò eſt admittenda aliqua prima radix omnium operationum ſupernaturalium; ſed hæc alia nequit eſſe, niſi gratia ſanctificans: ergo gratia ſanctificans eſt phyſica formalis participatio Deitatis, ut iſta eſt radix attributorum, & operum divinorum. Prob. mai.; quia ſi non daretur hujuſmodi radix ſupernaturalis, aut operationes ſupernaturales, ſe haberent diſparatæ inter ſe, aut non ſine ingenti difficultate, poterit earum ſubordinato aſsignari. Reſp. neg. mai. Et ad prob. neg. antec. Habitus ſupernaturales ſunt ad elevandas, & perficiendas potentias animę; cumque iſtæ potentiæ ſervent inter ſe ordinem, conſequenter habitus habent etiam inter ſe ſubordinationem. Quod parificari poteſt in ipſis habitus virtutum

moralium inter ſe ſervantibus concordem armoniam, & miram conſonantiam.

DISPUT. II.

DE CAUSIS GRATIÆ HABITUALIS.

SCIRE, eſt, *rem per cauſam cognoſcere*, & ideo ad cognitionem naturę, & quidditatis gratia de qua in præcedenti Diſput., ſequitur præſens, in qua de ejus cauſis. Genera cauſarum ſunt *efficiens, finalis, materialis, & formalis.* De cauſa finali, & efficienti ait Concil. Trid. ſeſ. 6. cap. 7.: *hujus juſtificationis cauſæ ſunt, finalis quidem gloria Dei, & Chriſti, ac vita æterna: efficiens vero miſericors Deus.* Circa cauſam efficientem duæ quęſt. poſſunt moveri, quę iam manent ſolutæ in hoc Theologico Curſu. Eſt prima: an gratia creetur, vel potius educatur de potentia animę? Eſt ſecunda: an de potentia Dei abſoluta poſsit aliqua creatura, vel tamquam cauſa principalis, vel ſaltem inſtrumentalis, creare gratiam. Ambæ quæſt. videantur reſolutæ in Tract. de Angelis, Diſput. *de Creatione*, quæſt. 3., & 4. De cauſa formali gratiæ non debemus agere, quia cum ſit ipſa forma, non poteſt fieri ex alia. Supereſt erg., ut agatur de cauſa materiali, ad quam redducuntur diſpoſitiones. Sit ergo

QUÆST. PRIMA.

An ad gratiam habitualem recipiendam requirantur aliquæ diſpoſitiones: & an ſint morales?

1 SEnſus eſt in hac difficultate de gratia habituali, in hominibus adultis recipienda; nam extra dubium debet eſſe, in parvulis non requiri aliquam diſpoſitionem, cum careant potentijs expeditis, ad eliciendos actus, qui ſint talis diſpoſitio. Dicere autem cum Gonet, habitus ſupernaturales fidei, & ſpei, qui ſimul cum gratia parvulis infunduntur in baptiſmo, eſſe in illis diſpoſitionem ad gratiam, judicamus eſſe ab uti nomine *diſpoſitionis.* Sermo etiam eſt in pręſenti de adultis poſteris Adami; nam de Angelis, & de Adamo ipſo inquirere: an præceſſerit ex ipſorum aliqua pręvia diſpoſitio ad gratiam ſpectat ad proprios Tract. de Angelis, & de Hominibus, ubi iſte quæſtiones, & moventur, & reſolvuntur.

2 Duplex ergo diſpoſitio ad formam diſtinguit ſolet: una *remota*, & eſt, quæ tempore pręſ-

præcedit poſsitionem formæ in ſubjecto, & ſubjectum aptat remote ad illam recipiendam; v.g. calor remiſſus diſponit lignum ad formam ignis recipiendam. Alia *proxima*, & eſt illa, quæ in eodem inſtanti, in quo forma introducitur, ſubjectum diſponit ad illam recipiendam. Seu, ut alijs placet, & eundem ſenſum reddit, eſt, quam ſequitur introductio formæ, ut calor, v.g. ut octo lignum diſponit ad formam ignis in eodem inſtanti. His ſuppoſitis, ad prim. quæſt. part. ſit reſponſiva.

3 Concluſio 1.: *ad gratiam habitualem recipiendam ex parte ſubjecti, ſeu recipientis ſunt neceſſariæ aliquæ diſpoſitiones, tum proximè, tum remotæ.* Concluſ. definita eſt in Trid. Conc. ſeſ. 6., ubi non ſolum aſſerit neceſsitatem harum diſpoſitionum, verum etiã quibus actibus iſte diſpoſitiones fiant, declarat dicens: *diſponuntur autem ad ipſam juſtitiam, dum excitati divina gratia, & adjuti, fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum:: & dum peccatores ſe eſſe intelligentes à divinæ juſtitiæ timore, quo utilitèr concutiuntur, ad conſiderandam Dei miſericordiam, ſe convertendo, in ſpem eriguntur.* Eadem veritas expreſſe habent in Sacra Scrip., nam 1. Reg. cap. 7. dicitur: *præparate corda veſtra Domino.* Et Eccleſiaſtici c. 2.: *qui timent Dñm. præparabunt corda ſua.* Accedunt Authoritates Sanct. PP. ſufficiat Mag. Parent. Auguſt. authoritas Sermone 15. de verbis Apoſtoli per illa verba: *ſeruit neſcientem juſtificat volentem.*

4 Prob. ratione: homo peccans, liberè avertitur à Deo per peccatum: ergo congruum eſt, ut libere ad Deum convertatur, ut juſtificetur: at liberè à Deo converti, media inſpiratione divina, eſt diſponi ad juſtificationem, ſeu ad gratiam habitualem recipiendam: ergo requiruntur diſpoſitiones ex parte adulti juſtificandi, ut juſtificetur. Confirm.: ex peccatoribus ſunt aliqui, qui recipiunt gratiam, & juſtificantur, & ſunt nonulli, qui in peccato perſeverant; ſed differentia peccatorum, qui non convertuntur, non eſt ex parte Dei, quia acceptator perſonarum non eſt, & quantum eſt ex ſe, deſiderat ſalutem omnium: ergo ſtat in eo, quod alij diſponuntur ex auxilio gratiæ ad recipiendam gratiam juſtificationis; alij verò nollunt conſentire divinæ vocationi ad converſionem invitanti: & conſequenter ad gratiam recipiendam ſunt neceſſariæ aliquæ diſpoſitiones ex parte ſubjecti juſtificandi.

5 Arguit. 1. contra iſtum con-

concluſ.: nam, illa data, ſequeretur, nos juſtificari ex operibus, non autem ex fide, contra Apoſt. ad Rom. 3. Item. juxta ipſum Apoſt., homo gratis juſtificatur: ergo abſque ulla diſpoſitione ex parte ſua. Reſp. negando ſequelam, & conſequentiam. Ratio utriuſq; eſt; quia Concil. Trid. expreſſe reddit rationem ſeſ. 6. cap. 8., explicando, quomodo intelligitur, impium per fidem, & gratis juſtificari, ait enim: *per fidem ideo juſtificari dicimur, quia fides eſt humanæ ſalutis initium, fundamentum, & radix omnis juſtificationis :: gratis autem juſtificari, ideo dicimur, qui nihil eorum, quæ juſtificationem præcedunt, ſive fides, ſive opera, ipſam juſtificationis gratiam promeretur. Si enim gratia eſt iam non ex operibus.* Accedit, quod opera, quibus homo ad gratiam habitualem recipiendam diſponitur, proveniunt à gratia actuali excitanti, & adjuvante, ſine qua talia opera non diſponerent, propter quod juſtificatio non eſt ex operibus ſed ex gratia, quamvis non ita ex gratia, ut opera hominis penitùs reijciantur.

6 Arguit. 2. contra eadem concluſ.: licet agens naturale, & finitæ virtutis requirat diſpoſitiones in ſubjecto, ut in eo producat formam, ſecùs tamèn eſt in agente virtutis infinitæ; ſed Deus eſt agens infinitæ virtutis: ergo ut gratia habitualis à Deo in homine producatur nulla ex parte recipientis requiritur diſpoſitio. Reſp. diſting. mai.: ſi agens infinitæ virtutis operatur de plenitudine poteſtatis, ſeu ſecundum potentiam abſolutam, tranſeat maior; dum agens infinitæ virtutis operaretur ſecundùm potentiam ordinariam, ſubdiſting.: non requiritur diſpoſitio ex indigentia agentis, con.: ex voluntate ejus, decernente, formam producere ſub conditione, quod ſubjectum ſe præpararet cum auxilio divino ad eam recipiendam, nego mai.; & conceſſa min., diſtinguo ſimiliter conſequens. Deus in productione gratiæ in anima operatur conformitèr ad potentiã ordinariam, qua decrevit lege valde congrua, peccatorem non juſtificari, niſi per priùs idem peccator, vocatus, & adjutus per auxilium divinum, liberè convertatur ad Deum; & talis ad Deum converſio eſt diſpoſitio ad obtinendam gratiam juſtificantem, per quam peccata expelluntur.

7 Pro ſecunda parte quęſt. reſolvenda præmitendum eſt, quod actus, quibus homo ad gratiam habitualem diſponitur recenſentur à Concil. Trid. ſeſ. 6.

6. cap. 7. & 12. Unde est tenendum cum ipso Concilio, quod prædicti actus disponentes sunt, ut sequitur: 1. fides, 2. timor Dei, 3. spes, 4. dilectio Dei, 5. dolor de peccatis, 6. propositum suscipiendi baptismū in non baptizatis, & in baptizatis propositū recipiendi Sacram. pœnitentię, 7. propositū servādi legē Dei, & innovandi vitam. Isti omnes actus eliciuntur à peccatore, excitato, vocato, & adjuto actuali gratia Dei, ut idem Concil. ibidem cap. 5. declarat per hæc verba: *justificationis exordium à Dei per Christum Iesum præveniente gratia, sumendum esse, hoc est ab ejus vocatione, qua nullis eorum existentibus meritis vocantur, &c.* De cujus gratiæ actualis necessitate ad dispositionem, tam remotam, quam proximam ad obtinendam justificationis gratiam videndum est, quod dictum manet de hac difficultate in Tract. præcedenti de Divinis auxilijs.

8 Ergo ista secunda quæst. pars eo devolvitur: utrum, scilicèt, tales actus sint physicę, vel morales dispositiones? Pro quo est notandum 1.; quod actus disponentes ad gratiam non sunt ita necessario requisiti ad illam, ut absolutè, & in omni providentia non possit peccator gratiam adipisci sine illis. Hac de causa nos infra in Disp. de *justificatione* propugnabimus, posse Deum de potentia sua absoluta infundere gratiam, delentem peccata absque aliquo actu peccatoris. Hinc fit consequens, quod tales actus solum requiruntur in præsenti providentia, secundum quam Deus decrevit, non converti ad hominem peccatorem, nisi ipse peccator ad Deum convertatur, secundùm illud: *convertimini ad me, & ego convertar ad vos.*

9 Est notandum 2.: quod dispositio ad aliquam formam potest esse duplex: moralis, scilicet, & physica. Moralis est, quæ ita disponit subiectum ad formam, ut non producat aliquid physicè exigens illam, sed tantum alliciat, & solicitet causam, physicè productivā formæ, ut formam producat, & hoc per modum impetrationis, vel meriti de congruo. Dispositio physica est, quę in subiecto recepta, ipsum aptat, ad recipiendam propter physicam, naturalemque proportionem, & exigentiam dispositionis cum forma. Sic calor physicè producit calorem, & expellit frigus, ratione cuius disponitur materia ad formam ignis.

10 His præmissis, est sensus difficultatis: an actus illi, quibus homo peccator ad gratiam recipiendam disponitur, sit physicè, & ex natura rei hominem disponant, ut causent ali-

aliquid in anima, ad quod ex natura rei ſequatur productio gratiæ? An verò ita ſe habeant, ut ſolum requirantur prædicti actus ex ordinatione divina, tantumque alliciant, & per modum impetrationis Deum moveant, ut gratiam in anima producat phyſicè? Si diſponunt priori modo, erunt diſpoſitiones phyſicæ, ſeu ex natura rei, ut ſentit communiter Schola Thomiſt. Si autem diſponunt 2. modo, erunt diſpoſitiones morales, ut ſentiunt communiter Scotiſtæ, & ſatis frequenter Jeſuitæ. Cum hac ſecunda ſententia ſit

11 Concluſio 2.: *actus illi, boni moraliter, & ſupernaturales, quibus ad juſtificationem diſponitur peccator, ſunt diſpoſitiones, non quidem phyſicæ, & ex natura rei, ſed purè morales.* Prob. 1. Concluſ. ex Trid. Concilio ſeſſ. 14. Cap. de *Contritione*, dicente: *fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus neceſſarius.* Ex quibus ſic: inter actus peccatoris, quibus ſe ſe diſponit ad gratiam, locum præcipuum habet contritio, ut teſtatur ipſum Concil. ſupra adductum, recenſens dolorem de peccatis inter reliquos actus; ſed contritio diſponit ſolum moraliter ad gratiam juſtificantem recipiendam: ergo ſolum moraliter diſponunt cæteri actus. Prob. min.: concurſus alicuius diſpoſitionis per modum impetrationis, & meriti de congruo, purè moralis eſt, ſed contritio concurrit ad obtinendam gratiam juſtificationis, non aliter, quam per modum impetrationis, ut expreſsè ſignificatur à Concilio in illis verbis, ab eo poſitis: *ad impetrandam veniam*: ergo, &c.

12 Prob. 2. noſtra Concluſ. ratione: diſpoſitio phyſica, & ex natura rei, eſt illa, ad quam forma conſequitur ex exigentia, proportioneque phyſica, & naturali ipſius diſpoſitionis ad formam; ſed gratia habitualis non ſic conſequitur ad contritionis actum, qui, in omnium ſententia, eſt ultima diſpoſitio ad eam: ergo contritio, & reliqui actus diſpoſitivi non ſunt phyſicę, ſed purè morales diſpoſitiones. Prob. min.: poſito à peccatore, cum divino auxilio, actu contritionis, gratiam conſequitur, non aliter, quam in vi meritorium Chriſti Dñi., & in vi divinæ fidelitatis, & promiſsionis: ergo contritionem non ſequitur gratia remiſsionis, ſeu juſtificans ex phyſica exigentia, proportione, aut connexione contritionis cum gratia. Prob. antec. ex 1. Ioann. cap. 1. dicentis: *ſi confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt Deus, & Iuſtus, ut remittat,*

tat, &c.; ſed ly *fidelis* ſignificat divinam promiſsionem factam Ezeq. cap. 18. per hæc verba: *ſi autem impius egerit pœnitentiam vita vivet*: & ſane fidelitas reſpicit pactum inter Deum & Chriſtum Dñum. celebratum de elargienda juſtificatione homini conſentienti vocationi collatæ ex meritis mortis, & Paſſionis Chriſti. Confirm.: elargitio gratiæ, homini, quomodolibet diſpoſito eſt à Deo liberalitèr, & gratuitè operante; ſed ſi diſpoſitiones ad gratiam eſſent phyſicæ, iam elargitio gratię non eſſet à Deo, liberalitèr, & gratiosè operante: ergo, &c. Prob. min.: diſpoſitio phyſica eſt illa, quæ ex natura ſua, & neceſſariò phyſica neceſsitate exigit introductionem formæ præciſsivè ab omni liberalitate agentis; etenim Deus non operatur liberaliter, & gratiosè dum in materia ultimo diſpoſita producit ignem: ergò ſi diſpoſitiones ad gratiam non eſſent purè morales, Deus non operaretur liberalitèr in elargienda gratia peccatori contrito.

13 Prob. 3. Concluſ.: omnis diſpoſitio phyſica, & ex natura rei talis præcedit formam, ad quam diſponit; ita ut connaturalitèr nequeat introduci talis forma ſine tali diſpoſitione; ſed ſine ullo ex actibus liberi arbitrij, ſupra enumeratis pro diſpoſitionibus ad gratiam, poteſt gratia connaturalitèr infundi: ergo diſpoſitiones ad gratiam ſunt morales, & non phyſicæ. Minor conſtat in parvulis, quibus defacto in baptiſmo gratia ſanctificans infunditur abſque ullo actu liberi arbitrij, cum parvuli non ſunt capaces, ob impeditas potentias animæ ullius earum exercitij. Maior certa videtur; nam diſpoſitio ex natura rei ad aliquam formam exigitur connaturalitèr à tali forma.

14 Dices aſſumptum eſſe falſum, nam non ita neceſſario diſpoſitio prędcedit formam quin poſsit connaturalitèr forma introduci abſque ea, ut patet in diſcurſu, qui eſt diſpoſitio phyſica, & ex natura rei, requiſita ad ſcientiam in homine, & tamen ſcientia in Angelo non requirit diſcurſum. Idem eſt de vita, quæ in uno homine requirit talem complexionem, & in alio aliam: & de mollitie, & raritate, quæ in cera petunt pro diſpoſitione calorem, quæ tamen non petunt in luto: ergo á pari eſto in adultis gratia requirat pro diſpoſitione phyſica actus liberi arbitrij, non inde ſequitur eſſe parem rationem pro parvulis.

Sed

15 Sed contra eſt, & præſcindendo pro nunc: an in Angelis requiratur diſcurſus ad ſcientiam? Sic argumentor: ſi ad ſcientiam phyſicè, & ex natura ſcientię creatæ requiritur diſcurſus impoſsibile eſſet connaturalitèr acquiri ſcientiam à quocumque ſubiecto, etiam Angelo ſine diſcurſu; ſed per vos gratia poteſt parvulis infundi, & defacto in baptiſmo infunditur, vel in martyrio abſque actibus liberi arbitrij: ergo actus liberi arbitrij in adultis non ſunt diſpoſitiones phyſicæ. Patet mai., nam id, quod forma exigit ex natura talis formę, non præſcindit ab eo, aliunde non ex natura formę, ſed ex imperfectione, & qualitate ſubjecti requireretur: ergo ſi ad ſcientiam phyſice, & ex natura ſcientiæ creatæ exigeretur diſcurſus, eſſet impoſsibile, quod connaturalitèr acquireretur ſcientia á quocumque ſubiecto, etiam Angelo, & proinde, quod parvulis gratia de facto infundatur abſque actibus liberi arbitrij ſignum eſt quod tales actus non requiruntur, ut diſpoſitiones phyſicæ, & ex natura formæ introducendæ, ſed purè ex divina ordinatione, qua decretum eſt, peccatorem adultum non fore juſtificandum ſine prędictis actibus liberi arbitrij.

16 Itaque aliæ ſunt diſpoſitiones, quas forma ſecundum ſe exigit, & ſine his nequit connaturalitèr introduci forma, ut calor reſpectu ignis, frigus reſpectu aquæ, &c. Alię quæ non ex natura formę requiruntur, ſed ut forma recipitur in tali, vel tali ſubiecto: & iſtæ non ſunt diſpoſitiones per ſe requiſitæ ad formam, ſed tantum per accidens; unde ſine illis poteſt introduci forma. Claret hoc in doctrina communi Thomiſt.; iſti enim communitèr deffendunt, Theologiam in nobis viatoribus eſſe ſcientiam propriè dictam, non obſtante, quod Theologia noſtra evidens non ſit; & cum opponitur ipſis, evidentiam principiorum eſſe neceſſariò requiſitam ad ſcientiam verè talem, reſpondent, non eſſe requiſitam ad rationem ſcientiæ abſtrahentis à perfecta, & imperfecta, ſed tantum ad rationem ſcientię perfectæ: ſi namque ad primam requireretur, abſdubio ſine evidentia conſiſtere non poſſet: ergo ſi actus liberi arbitrij eſſent diſpoſitiones ex natura gratiæ ad ipſam requiſitę, neque in parvulis poſſet reperiri ſine huiuſmodi actibus.

17 Dices: ergo in adultis, ſaltim ratione ſubiecti, actus liberi arbitrij erunt diſpoſitiones ad gratiam: ergo & phyſicè diſponunt ad illam. Patet conſequentia; nam licèt calor non

non ſit diſpoſitio ad mollitiem ex natura rei, nihilominùs ex quo ſit diſpoſitio ad illam, ut in cera receptam, probatur eſſe diſpoſitionem phyſicam ad mollitiem cerę: ergo à ſimili erunt diſpoſitiones phyſicæ ad gratiam in adultis recipiendam actus liberi arbitrij. Reſp., quod ex quo actus liberi arbitrij tantum ſint diſpoſitiones ad gratiam, prout in adultis recipitur, non inde infertur, eſſe diſpoſitiones phyſicas, ſed tantum morales. Ratio eſt; quia tales actus, adhuc in adultis, ex ſe non connectuntur cum gratia, ſed ſolùm dependenter ab ordinatione Dei; calor autem eſt diſpoſitio phyſica ad mollitiem in cera, quia independenter à quavis ordinatione connectitur cum mollitie ceræ, eſto non ſit diſpoſitio ad illam abſolute ſed ad illam prout in determinato ſubiecto receptam.

18 Alitèr prætendunt Adverſarij reſpondere noſtrę tertiæ probationi, dicendo, quod in parvulis etiam requiruntur diſpoſitiones ad gratiam. Diſponuntur enim, inquiunt medijs cœteris habitibus ſupernaturalibus, ut ſunt virtutes infuſę, tam Theologicæ, quam morales. Contra eſt; & prętęrquam quod nobis ſufficit offendere diſpoſitiones, ſupra ex Trid. numeratas, non requiri ex natura gratiæ, ſed tantum moralitèr, & ex ordinatione Dei, ſic ad hominem contra ipſos argui poteſt: nam juxta Thomiſt., habitualis gratia, ut poté phyſica formalis participatio deitatis, ſeu naturæ divinæ, ut natura eſt, habet, quod ſit prima radix cœterorum habituum ſupernaturalium, & propterea prioritate radicis, & cauſalitatis prędedit omnes illos habitus: ergo prædicti habitus non poſſunt diſponere ad gratiam in parvulis. Conſequentia patet, quia cum diſpoſitio debeat præcedere formam, ad quam diſponit, iam illi habitus eſſent ſimul priores, & poſteriores gratia ipſa: priores quidem, quia diſponunt ad illam; poſteriores, quia radicantur in illa, & cum repugnet in eodem reſpectu ejuſdem iſta ſimultanea prioritas, & poſterioritas; ideò, in Thomiſt. principijs, eſt implicatorium dicere, quod habitus ſupernaturales virtutum infuſarum ſint in parvulis diſpoſitiones ad gratiam habitualem.

19 Arguitur 1. contra iſtam ſecund. Concluſ.: verba Concilij Trid. in rigoroſſo ſenſu intelligenda ſunt, quoties in contrarium non obſtet, vel locus Sacræ Scripturæ, vel manifeſta ratio; ſed Concil. Trid. aſſerit, peccatorem diſponi ad gratiam: ergo cum non obſtet in contrarium, nec locus Script., nec

aperta ratio, talis diſpoſitio debet intelligit in rigoroſſo ſenſu: qui ſenſus rigoroſſus non eſt de diſpoſitione morali, ſed phyſica. Reſp. negando ſuppoſitum conſequentis, nam ut conſtat ex 2. probatione noſtræ Concluſ., ipſa Sacra Script. ſatis clarè innuit, diſpoſitiones ad gratiam non eſſe ex natura rei, ſed ex divina ordinatione. Deinde certum eſt, Concilij verba debere intelligi in ſenſu, in quo coherentiam dicat cum dictis ab eodem in alijs locis; at eſt certum ex eodem Concilio, talem diſpoſitionem eſſe neceſſariam, ad impetrandam gratiam, quod quidem non coheret cum eo, quod talis diſpoſitio ex natura rei, & phyſicè exigat, & proportionetur connectaturque cum gratia habituali, ut diſcurritur in prima probatione: ergo Concil. debet intelligi de diſpoſitione purè morali. Ultimo dici poteſt, Concilium non relinquere locum dubitandi, ipſum loqui de diſpoſitione purè morali, nam cap. 5. ſeſſ. 6. probat diſpoſitionis neceſsitatem ex illo Zachariæ 1. v. 3.: *convertimini ad me, & ego convertar ad vos*, in quibus ultimis verbis continetur expreſsè divina promiſsio.

20 Replicabis: diſpoſitio propriè dicta eſt phyſica, & nō moralis; ſed Concilium loquitur de diſpoſitione propriè dicta: ergo diſpoſitio ad gratiam habitualem eſt phyſica. Prob. mai.: munus diſpoſitionis, proprie dictæ, & afficere ſubiectum, illud determinando, & aptando ad formam recipiendam; ſed diſpoſitio moralis, ut moraliter preciſsè cauſans, nequit præſtare talia munia; nam, cum tantum ſe habeat per modum impetrationis, impetratio non explicat habitudinem ad ſubjectum, ſed ad premiantem, qua de cauſa non habet rationem cauſæ materialis, ſed efficientis moralis. Reſp. negando mai. Et diſtinguo min. probationis: nequit preſtare talia munera ex natura rei, conc.: ex Dei lege, nego min., & prob. imbibitam ſub diſtinctione data. Actus, quibus impius diſponitur ad gratiam, licet ex natura rei non habeant determinare, & trahere ſubjectum ad illam, id habent moraliter, cum ſint illud, cujus intuitu Deus promittit gratiæ infuſionem. Ulterius: tales actus ex natura rei habent quandam congruitatem ut Deus ſuam gratiam infundat homini, eos elicienti.

21 Arguit. 2.: diſpoſitio moralis non habet rationem diſpoſitionis, niſi ex ordina-

tio-

tione Dei, acceptantis pro diſpoſitione, quod ex ſe non eſt diſpoſitio; ſed actus, quibus homo diſponitur ad gratiam antecedenter ad ordinationem Dei habent diſponere ad illam: ergo non ſunt morales, ſed phyſicæ diſpoſitiones. Probat. min.: pro priori ad ordinationem Dei aliter ſe habet homo, eliciens tales actus ſupernaturales, ac qui tantum naturales actus elicuit; ſed hæc alietas in hoc ſtat, quod primus eſt verè diſpoſitus, ſecundus autem verè diſpoſitus non eſt ad gratiam recipiendam: ergo, &c. Reſp. negando min. Ad prob. diſting. mai.: pro priori ad ordinationem Dei aliter ſe habet homo in genere cauſæ efficientis, ac etiam in genere cauſæ ſuſceptivę, conc.: aliter ſe habet ineſſe diſpoſiti phyſicè, & ex natura rei ad gratiam, nego mai., imo, & ſuppoſitum. Licet enim, qui ſecluſa divina ordinatione, tales actus eliceret, aliter ſe haberet, quam qui nullum talem, vel ſolum naturales actus eliceret, eo quia primus produceret actum ſupernaturalem, & eundem actum ſupernaturalem in ſe reciperet; ſecus tamen ſecundus, quatenùs, nec produceret, nec in ſe reciperet actum ſupernaturalem, nihilominùs ambo convenirent in eo, quod eſſent phyſicè indiſpoſiti.

22 Explicatur hoc: nam qui defacto oraret pro collatione gratię aliter ſe haberet, ac ſi non oraret, & nihilominùs oratio tantum per modùm impetrationis concurrit ad juſtificationem, adhuc ſtante divina ordinatione: ergo diſpoſitio phyſica ad gratiam prę indiſpoſitione non ſtat in eo, quod aliter ſe habeat peccator utcumque. Prętera: argum. ſupponere videtur actus illos elici pro priori ad ordinationem Dei, quod falſum eſt; nam in præſenti providentia omnes tales actus ſupponunt divinam ordinationem, ſine qua, licèt poſſent eſſe, non tamen diſponere eo modo, quo illa ſtante diſponunt ad gratiam, ut ſatis expreſsè eruitur ex Concil. Trid. ſeſſ. 14. cap. 3., ubi fatetur, contritionem, confeſsionem, & ſatisfactionem, ut in pœnitente ad integritatem Sacramenti Pœnitentiæ, & ad plenam, & perfectam remiſsionem peccatorum requiri ex inſtitutione divina: unde rectè infertur, quod Dei inſtitutione, ſeu ordinatione non ſtante, non requiretur contritio, ut diſpoſitio, & proindè eſt diſpoſitio moralis, ut pote à Dei ordinatione dependens.

Arguit.

23 Arguit. 3. diſpoſitiones phyſicæ, & ex natura rei ſunt illæ, quæ verè, & realiter aptant ſubjectum ad formam, cum qua habent connexionem, & oppoſitionem cum forma oppoſita; ſed actus contritionis, & dilectionis Dei ſupernaturalis tales ſunt: ergo, &c. Minor patet; nam tales actus, ut potè eiuſdem ordinis cum gratia, ſubjectum inclinant ad amicitiam cum Deo, & ſic connectuntur cum gratia, quæ eſt talis amicitia; & cum deindè hæc amicitia peccato opponatur, conſequens eſt, quod tales actus opponantur cum peccato. Confirmat.: nam homo ſe diſponens ad gratiam per timorem, ſpem, & dilectionem, retrahitur à peccato per timorem, per ſpem concipit propoſitum emmendandi vitam, & denique per dilectionem fertur in Deum; ſed hi effectus conveniunt prædictis actibus ex phyſica eorum natura: ergo & ſua phyſica natura ſunt diſpoſitiones ad gratiam.

24 Diſtinguo mai.: diſpoſitiones phyſicæ ſunt quæ aptant ex natura rei ad formam habentque cum forma oppoſita oppoſitionem phyſicam, conc.: quæ tantum moraliter aptant, moralitèrque cum forma oppoſita opponuntur, nego mai.; & diſtinguo ſimiliter min., & nego conſeq. Ad confirmat. fatemur, illos omnes effectus eſſe phyſicos, & ex natura talium actuum, attamen, hoc toto conceſſo, tales actus ad gratiam non diſponunt, niſi ex voluntate Dei, acceptante illos: unde ſub hac ſolum conſideratione ſunt diſpoſitiones, minimè tamen lege Dei præciſſa, aliundè connexionem haberent cum gratia ſanctificante ex ſua natura; quod tamen falſum eſt.

25 Et hæc falſitas non ſolum eſt monſtrata ex hucuſque dictis, verum etiam videtur non poſſe negari à Themiſtis; nam D. Thomas 1. ſecundę habet ſequentia verba: *dicendum, quod præparatio ad gratiam eſt à Deo, ſicut à movente, à libero autem arbitrio, ſicut à moto; poteſt igitur præparatio dupliciter conſiderari, uno quidem modo ſecundùm quod eſt à libero arbitrio, & ſecundùm hoc nullam neceſſitatem habet ad gratiæ conſecutionem, quia donum gratiæ excedit omnem præparationem virtutis humanæ. Alio modo poteſt conſiderari, ſecundùm quod eſt à Deo movente, & tunc habet neceſſitatem ad id, ad quod ordinatur à Deo non quidem coactionis, ſed infallibilitatis, quia intentio Dei deficere non poteſt, ſecundùm quod ait Auguſt. de Prædeſtinatione Sanctorum, quod propter beneficia Dei certiſsimè liberantur, quicumque liberantur.*

Ex

26 Ex quibus ſic argumentor: diſpoſitio, ſivè præparatio ad gratiam habet infallibilem connexionem cum illa, ad quam ordinatur à Deo, & ſecundum quod ſubeſt intentioni divinæ, ut expreſsè fatetur ipſe D. Thomas; ſed hoc nihil aliud eſt, quam habere connexionem moralem, & non phyſicam, nam connexio moralis in eo ſiſtit, quod unum infallibiliter ſequatur ad aliud ex intentione, vel promiſsione Dei, ad quod ex natura rei non ſequeretur: ergo connexio inter diſpoſitionem, ſivè præparationem ad gratiam, & gratiam ipſam, non eſt phyſica, ſed moralis in via D. Thomæ. Nec ſatisfacit dicere cum Salmanticenſibus, hoc idem evenire in diſpoſitione phyſica ſecundum D. Thomam; nam ibidem in reſponſione ad tertium ait: „dicendum, quod „etiam in rebus naturalibus diſ„poſitio materiæ non ex neceſsi„tate conſequitur formam, niſi „per virtutem agentis, qui diſ„poſitionem cauſat.

27 Non, inquam, ſatisfacit, nam licet verum ſit, quod forma naturalis non ſequitur ad diſpoſitionem phyſicam ſecluſa actione agentis, formam producentis, attamen ultima diſpoſitio phyſica ad formam petit neceſſariò, & infallibiliter naturaliter, & ipſam actionem agentis, & ipſam formam ad quam eſt diſpoſitio phyſica, adeo ut miraculum foret, quod agens in tali circunſtantia formam non produceret, ut patuit in fornace Babilonico, & eveniret, ſi poſita perfecta organizatione corporis humani ad animam rationalem, hæc in eo non crearetur, at in noſtro caſu oppoſitum videre licet, nam ſecluſa divina lege, nullum eſſet miraculum, quod Deus gratiam denegaret peccatori, quantumcumque contrito, & Deum ſuper omnia diligenti; unde eſt diſpar ratio utrobique.

QUÆST. SECUNDA.

An ultima diſpoſitio ad gratiam habitualem procedat ab ipſa?

28 HÆC difficultas communis eſt, tam gratiæ, quam reliquis habitibus infuſsis. Unde, quod fuerit reſolutum, de ultima diſpoſitione, relatè ad gratiam habitualem, reſolutum etiam intelligatur de actu fidei, & de actu ſpei in non baptizatis, reſpectu ſupernaturalium habituum fidei, & ſpei. Conſultò procedit difficultas de ultima diſpoſitione, v. g. de ſupernaturali actu dilectionis Dei ſuper omnia, aut contritionis perfectæ, huic enim ſoli actui ex divina ordinatione, ſeu mo-

moraliter annexa eſt infuſsio gratiæ habitualis in eodem temporis inſtanti, quo ipſe à peccatore ex gratia actuali elicitur. Remotæ diſpoſitiones, quales ſunt reliqui actus in præcedenti quæſt. relati à Trident., ideò dicuntur diſpoſitiones remotæ, quia non ſunt cum gratia in eodem inſtanti temporis, in quo ipſæ eliciuntur, & conſequenter nullus concedit, quod procedant à gratia habituali, ſed tantum ab actuali. Sit noſtra

29 Concluſio: *ultima diſpoſitio ad gratiam habitualem, nec procedit, nec procedere poteſt à gratia habituali, ſed procedit ab auxilio ſupernaturale Dei.* Ita Doct. Subt. in 4. diſt. 14. quæſt. 2., & alibi: Doctorem ſequuntur omnes Scotiſtæ, quibus adhærent plures Jeſuitæ, & aliqui Thomiſtæ, ut Capreolus, & Joannes à Sancto Thoma contra plures alios. Prob. Concluſ. 1. ex authoritate Script., nam cap. 33. Ezeq. dicitur: *Si impius egerit pœnitentiam, iniquitatum eius non recordabor*: ergo prius eſt, quod peccator cum auxilio ſupernaturali Dei agat pœnitentiam, & ſe diſponat ad gratiam Dei, quam quod ei dimittantur peccata per infuſsionem habitualis gratiæ. Idem colligitur ex cap. 1. Zachariæ, ubi dicitur: *convertimini ad me, & ego convertar ad vos*, ubi per prius ponitur noſtra ad Deum converſio, facta à nobis per dilectionem, vel contritionem, mediante auxilio ſupernaturali, & deindè ponitur Dei converſio ad nos per ſuam gratiam habitualem: ergo contritio, & Dei dilectio ſupernaturalis, quæ ſunt proxima diſpoſitio, ad habitualem gratiam, unicè effectivè procedunt à nobis cum divino auxilio.

30 Similiter ex cap. 7. D. Luc., ubi loquendo de Magdalena, dixit Chriſtus Dñs.: *remiſſa ſunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum*, ubi maxima dilectio illius aſsignatur tamquam cauſa remiſsionis ſuorum peccatorum, habitæ per infuſsionem gratiæ habitualis, quam tunc temporis recepit, ſcilicet, dum multum dilexit. Modo ſic: ſed impoſsibile eſt, quod dilectio, ſeu ultima diſpoſitio ad gratiam ſit cauſa diſpoſitiva ad ipſam, & quod ſit effectus procedens ab ipſa gratia ad quam diſponit: ergo idem quod prius. Subſumpta patet; nam omnis cauſa eſt natura prior ſuo effectu, & omnis effectus natura poſterior ſua cauſa.

31 Prob. 2. ex Conc. Trid. cap. 7. ſeſsionis 6., ubi poſtquam cap. 5. & 6. definiſſet, omnes actus, diſponentes ad juſtificationem, debere eſſe ſupernaturales, atque

que procedere ex auxilio, & adjutorio Spiritus Sancti, ait: *hanc à ſpoſitionem, ſeu præparationem juſtificatio ipſa conſequitur, quæ non eſt ſola peccatorum remiſsio, ſed & ſanctificatio*: ergo gratia habitualis, per quam formaliter ſanctificamur, non poteſt cauſare talem ſupernaturalem diſpoſitionem, cum ſubſequatur, Concilio teſte, ad diſpoſitionem.

32 Pariter in eadem ſeſſ. ait Concil. *gratiam dari à Deo ſecundum propriam uniuſcuiuſque diſpoſitionem & cooperationem*: ergo pro aliquo priori debet intelligi propria diſpoſitio, & cooperatio, quam intelligatur infuſſa à Deo gratia habitualis. Modo ſic; ſi talis ultima diſpoſitio procederet effectivè à gratia habitualis, potius diſpoſitio eſſet juxta proportionem gratiæ habitualis, quam gratia habitualis eſſet, juxta proportionem diſpoſitionis, & cooperationis, quæ ſequela, cum ſit contraria Conc. verbis, hinc dici eſt neceſsè habitualem gratiam, nec de facto, nec de poſsibili producere ultimam diſpoſitionem ad ipſam.

33 Prob. 3. Concluſ. ratione: nihil poteſt cauſare, niſi exiſtat, ſeu exiſtentiam habeat; ſed nihil exiſtit quouſque omnes eius cauſæ exerceant ſuas cauſalitates: ergo cum actus contritionis perfectæ, ſeu dilectionis Dei ſuperomnia ſint cauſa materialis gratiæ habitualis, gratia ipſa habitualis non habet exiſtentiam, quouſque ultima diſpoſitio exerceat ſuam cauſalitatem; ſed quod ultima diſpoſitio ſuam cauſalitatem exerceat, jam ſupponit terminaſſe cauſalitatem omnium ſuarum cauſarum, aliàs ipſa non cauſaret: ergo antequam intelligamus, gratiam exiſtere, & poſſe cauſare, iam intelligitur ultimam diſpoſitionem eſſe cauſatam ab omnibus ſuis cauſis. Maior, in qua ſtat difficultas patet: tum, quia exiſtentia eſt ſaltem conditio in cauſa ad cauſandum: tum quia actus ſecundus ſupponit actum primum.

34 Reſpondent Thomiſtæ Contrarij, quod actus contritionis, & charitatis ſunt cauſa, & effectus gratiæ habitualis in diverſo genere cauſæ, & ſub diverſa conſideratione, ſunt enim effectus, provenientes, in genere cauſæ efficientis à gratia, conſiderata prout eſt in fieri, & ſe tenet ex parte Dei, haberque rationem auxilij moventis; prædicti verò actus ſunt cauſa materialis diſpoſitiva eiuſdem gratiæ

ſi

ſi hæc conſideratur in facto eſſe, & ut ſe tenet ex parte animæ, & habet rationem habitus, ſeu formæ permanentis, animam ſanctificantis.

35 Hoc declarant, tum in generatione, & corruptione formarum, nam quando introducitur una forma, & excluditur alia, introductio formæ eſt cauſa in genere cauſæ, vel formalis, vel efficientis; in genere verò cauſæ materialis, antiqua forma expulſa, exercet cauſalitatem. Tum etiam ingreſſu aëris per feneſtram v.g., quę erat clauſa, & ſit aperta per aeris ingreſſum; in iſto enim caſu ingreſſus aeris per feneſtram eſt cauſa efficiens apertionis illius, & apertio feneſtræ eſt cauſa materialis ingreſſus aeris per illam: unde iſtę propoſitiones in ſua linea ſunt vere cauſales: quia ventus ingreditur, aperitur feneſtra: & quia aperitur feneſtra, ingreditur ventus. Similiter iſta eſt vera cauſalis, quia nova forma introducitur in materia, & etiam quia expellitur antiqua, introducitur nova. Sic inquiunt Contrarij ſunt verè cauſales iſtæ propoſitiones; quia homo conteritur, datur ei gratia habitualis: & etiam, quia datur ei gratia habitualis, homo conteritur; aliter tamen, & alitér, nam prima propoſitio eſt vera in genere cauſæ materialis, ſecunda verò in genere cauſæ efficientis.

36 Sed contra hanc communem ſolutionem Authorum ſententiæ contrarię eſt primo, quod prędicta exempla non ſunt ad rem: tum quia ultima diſpoſitio ad gratiam habitualem, & ipſa gratia habitualis non ſe habent per modum ſimul incompoſibilium in eodem ſubiecto, ſicut forma nova, & antiqua; homo enim juſtificatus poteſt non ceſſare à contritione, & continuate dilectionis Dei, & nova forma adveniente expellitur antiqua, nec ſe habent, ut cauſa, & effectus per modum removentis prohibens, ſicut ſe habet apertio feneſtræ ad ingreſſus aeris in cubiculum. Tum etiam, quia ingreſſus aeris per feneſtram non eſt cauſa apertionis feneſtræ; ſed impulſus ipſius aeris, efficacitèr immediatè tangens illam, & iſte impulſus realiter diſtinguitur ab ingreſſu.

37 Contra 2.; nam, dum dicitur, quod gratia effectivè cauſat actum dilectionis, aut contritionis, in illo priori intelligitur iam gratia in anima, vel non intelligitur? Videtur, quod non debeat intelligi; gratia enim actualis, ſeu auxilium divinum tranſiens non eſt participatio naturæ divinæ, aliàs quodlibet auxilium ſupernaturale ſanctificaret formaliter, quod eſt falſum: & propterea gratia habitualis, cuius cauſalitas in illo

illo priori unicè ſe extendit ad gerendas vices auxilij divini quin ulteriùs intelligatur habere rationem naturæ radicantis virtutes eſt ſignum, quod in eo priori non videtur poſſe intelligi exiſtentia gratiæ in anima.

38 Si autem intelligitur in illo priori exiſtentia gratię in anima, iam ſuperflua eſt talis diſpoſitio ad gratiam in anima recipiendam, ſi quidem ad hoc debebat deſervire, ut diſponeret animam, ſeu ſubjectum ād infuſionem gratiæ, quæ juxta Concil. cit., datur juxta proportionem diſpoſitionis, conſequiturque ad illam. Ergo ſi jam gratia præſupponitur in anima in genere cauſæ efficientis producens talem diſpoſitionem, talis diſpoſitio non erit neceſſaria ad illius infuſionem, licèt poſſet eſſe neceſſaria ad conſervationem.

39 Contra 3., quia ſi gratia habitualis in genere cauſę efficientis præſuponitur ad actum dilectionis, & contritionis perfectæ homo erit juſtus, ſanctus, & filius Dei pro aliquo priori, ſaltem naturæ, quam producat actum, qui eſt diſpoſitio ultima, & proxima ad juſtificationem; ſed hoc concedi nō poteſt: ergo, &c. Maior patet; gratia habitualis, ſicut quælibet alia forma primo cauſat, ſeu communicat ſuum effectum formalem, quem preciſè cauſat per communicationem ſui, quam effectum, procedentem ab ea in genere cauſæ efficientis, quia iſtum non cauſat per ſui communicationem: ſeu in genere cauſæ formalis; ſed ſimul cum libero arbitrio in genere cauſæ efficientis, ut patet in calore; & in omni alia forma activa, calor enim prius reddit ſubjectum formaliter calidum, & deinde calæfacit paſſum in genere cauſæ efficientis. In minore nulla eſt difficultas, nemo enim poteſt dicere, peccatorem eſſe juſtum, & ante productione ultimę, & proximæ diſpoſitionis ad gratiam ſanctificantem in peccatore perſeverat peccatum.

40 Prob. 4. Concluſ. authoritate refutando mutuam cauſalitatem excogitam inter gratiam habitualem, & ultimam diſpoſitionem: iſta enim cauſalis: *Deus elargitur gratiam habitualem homini contrito*, vera eſt, talitèr quod contritio ſit cauſa, & conditio ad gratiam habitualem habendam: ergo iſta altera cauſalis: *quia Deus dat homini gratiam habitualem, homo conteritur*, non eſt vera, ſed falſa. Antec. ab ipſis Adverſarijs admititur, & quidem jure meritó, conſtat enim expreſsè ex authoritatibus

pra adductis. Prob. conſeq. : tum, quia talis cauſalis non invenitur, nec in Script. nec in Concilijs, nec in PP. : tum, quia redderet ridiculam Dei promiſsionem de elargienda gratia ſub conditione contritionis, quod patet hoc manifeſto exemplo ; nam ridicula eſſet promiſſio illius, qui ita promitteret, ſi tu me videris, ego dabo tibi potentiam viſivam, qua me videas : ſi ambulaberis, dabo tibi potentiam motivam, qua ambules : ergo ſimilitèr eſſet ridicula iſta promiſsio Dei : ſi me dilexeris, ſeu de tuo peccato conteraris, dabo tibi habitum gratiæ, quo me diligas, qui ſenſus huius divinæ promiſsionis redditur, ſeu ſignificatur in ſententia de mutua cauſalitate inter gratiam habitualem, & contritionem, ſeu dilectionem Dei, aſſertam à Contrarijs.

41 Immò SS. PP. opponitur illa cauſalis conſequentiæ. Prob. aſſumptum ; nam D. Hieronymus in Expoſitione ſuper cap. primum Epiſt. ad Epheſios: Et D. Auguſt. lib. de Prędeſtinatione Sanctorum cap. 17. explicantes illud Apoſtoli : *elegit nos in ipſo, ut eſſemus Sancti*, inferunt : *ergo non quia eramus Sancti* ; ſed hæc conſequentia non eſſet bene illata, ſi teneret doctrina de mutua cauſalitate inter gratiam habitualem, & ultimam diſpoſitionem : ergo SS. PP. opponitur. Minor patet; quia poſſet reſponderi, quod in diverſo genere cauſę utraque eſt vera, ſcilicèt : quia elegit nos, ſummus Sancti, & quia ſummus Sancti elegit nos. Non ſecus quam in prælenti aſſeritur in contraria ſententia, quod in diverſo genere cauſæ ſunt ſimul veræ ambæ iſtæ propoſitiones cauſales : quia impius conteritur habet gratiam habitualem : & , quia habet gratiam habitualem conteritur.

42 Confirm. : Concilium Arauſicanum can. 25. ex eo, quod Apoſt. 1. ad Corinth. 7. dicat : *miſericordiam conſecutus ſum, ut ſim fidelis*, infert: ergo non quia erat fidelis; atque hæc illatio non teneret, ſi in diverſo genere cauſæ eſſent veræ iſtæ cauſales : quia miſericordiam conſecutus ſum, ſum fidelis: & quia fidelis ſum, ſum miſericordiā conſecutus: erg. ſentit Concil. non eſſe veras tales mutuas cauſales ; & conſequenter ſunt etiam falſæ dicendæ illæ duæ cauſales, quia homo peccator habet gratiam habitualem, conteritur ; &, quia conteritur, habet gratiam habitualem : & proinde iſta ſola ultima cauſalis eſt vera.

43 Arguit. 1. : nam Subt. Doct. in 4. diſt. 14. quęſt. 2. §. *ad huius intellectum*, num. 15. diſ-

diſtinguit in juſtificatione impij tria ſigna naturæ, in primo, inquit, eſt actus pœnitentiæ, ſcilicèt, actus contritionis; in ſecundo ſigno infunditur charitas; quę in noſtra ſententia eſt ipſa gratia habitualis, quę prius intelligitur recepta in anima, quā intelligatur *contritio formaliter talis*; conſequenterque contritio, ut contritio, quæ eſt ultima diſpoſitio ad gratiam habitualem, poterit procedere ab ipſa gratia, cum hęc prę-ſupponatur ad illam.

44 Reſp. ex eodem Doct. Subt. ibidem §. *de tertio dico*, quod contritio dupliciter poteſt conſiderari primo in ſe, & purè quidditativè, & eſſentialiter, prout eſt motus ſupernaturalis dilectionis in Deum offenſum, & hoc modo accepta contritio eſt gratiæ actualis effectus, & prævia diſpoſitio ad gratiam habitualem. Secundò poteſt conſiderari contritio prout eſt formata per charitatem, ſeu per gratiam ſanctificantem, & hoc modo certum eſt ſubſequi ad ipſam charitatem, ſicut effectus formalis ad formam; cæterum, hoc modo conſiderata contritio, non eſt diſpoſitio prę-via ad delectionem peccatorum, ſed concomitans ipſam gratiam. Unde, quando Subt. Doct. ait, quod in tertio ſigno fit contritio, non loquitur de contritione in ſe, puré quidditativè, & eſſentialiter accepta, quia hoc modo intelligitur in primo ſigno, ſed de contritione, ut formata. In præſenti nobis eſt ſermo de contritione, non ut formata, in quo ſenſu ibi à Doct. vocatur abſolute contritio, ſed de ipſa contritione quidditativè, & in ſe, quo in ſenſu, licèt à Doct. ibidem vocetur attritio, ideo eſt, quia contraponitur ad contritionem formatam., & de contritione, ſecundum ſe accepta, ait Subt. Magiſt.: *poteſt dici, quod Deus diſponit per attritionem in aliquo tempore, tamquam per aliquod meritum de congruo in aliquo inſtanti dare gratiam, & pro illa attritione, ut pro merito juſtificat, ſicut eſt meritum juſtificationis.*

45 Arguit. 2.: nam ex Scrip., Conciliis, & SS. PP. ipſi actus ſupernaturales dilectionis Dei, & pœnitentiæ ſunt dona Dei, & habentur per charitatem inhabitantem, & per Spiritus Sancti infuſionem, per dilectionem, qua Deus nos diligit; ſed hæc omnia ſignificant gratiam habitualem, ſaltem in fieri eſſe cauſam effectivam contritionis, & dilectionis, diſdiſponentium ad ipſam gratiam: ergo, &c. Prob. maior: tum ex illo 2. Ioann. 4.: *quoniam ipſe prior dilexit nos*: tum ex illo

ad

ad Galatas 5. : *in Chriſto Ieſu neque circunciſio aliquid valet, neque preputium, ſed fides, quæ per charitatem operatur.* Ex Conc. Arauſican. can. 25. dicente : *donum Dei eſt diligere Deum, quia ipſe dedit nobis, ut Deum diligeremus, qui charitatem diffundit in cordibus noſtris.* Et tandem Greg. Mag. homilia 26. in Evangelia dicit : *qui Deum deſiderat, profectò jam habet quem amat, nec etiam poſſe quemquam Deum diligere, ſi eum, quem diligit non haberet.*

46 Ut argumento paretur ſolutio debet notari, ſicut ſupra dicebamus de contrione, quod Dei dilectio, & pœnitentia poſſunt conſiderari dupliciter. Primò, ut ſunt actus ex auxilio gratiæ eliciti à peccatore. Secundò, ut ſunt actus ex auxilio, vel eliciti, vel continuati. Accepti in hoc ſecundo ſenſu, ſunt actus formati, & dignificati à gratia habituali, quam ſupponunt, & concomitantur. In prima conſideratione gratiam habitualem præcedunt, ut potè diſpoſitiones ad ipſam primò habendam. Deinde eſt notandum, quod gratię infuſsio, & in nos Dei dilectio ſumuntur non uno modo; nam gratiæ infuſsio poteſt ſumi, & pro infuſsione gratiæ habitualis, & etiam pro clargitione gratiæ actualis. Similitèr, divina in nos dilectio ſumitur aliquando formalitèr, & ſtrictè pro gratia ſanctificante, nobis indita divinitùs; aliquandò ſumitur, non formalitèr, ſed diſpoſitivè, & ſignificat varios gratuitos effectus Dei, nobis extrinſecos, aut intrinſecos, quibus diſponimur ad ipſam gratiam habitualem obtinendam, ut ſunt gratiæ actuales, & auxilia, tam interna, quam externa. His notatis

47 Reſp. ad argum. neg.mai., intellectam de contritione, & dilectione Dei, prout eliciti ex auxilio divino à peccatore, ſe diſponente ad gratiã juſtificationis obtinendam. Ad prim. text. ex D. Ioanne dico, eum non eſſe inteligendum de formali Dei dilectione ad nos, mediante ipſa habituali gratia; ut enim ait Doct. Subt., ubi ſupra : non priùs intelligitur gratia in homine, ratione cuius ſit objectum talis dilectionis, quam quod ipſe homo ſupernaturalitèr diligat Deum. Loquitur D. Ioann. de dilectione diſpoſitiva, qualis in primis eſt incarnatio facta omninò independentèr à noſtris meritis, & cauſa univerſalis omnis gratiæ; vel qualis eſt contenta in dilectione inchoativa, qua nobis dantur dona ſupernaturalia, ſeu auxilia, quibus diſponimur, ad obtinendam gratiam filiationis adoptivæ. Ad 2. text.

text. dicatur, quod fides operatur per charitatem, quia fides impellit ad actum charitatis, qui eſt ultima diſpoſitio ad juſtificationem: ita intelligit hunc locum Auguſt. de Spiritu, & littera cap. 23.

48 Authoritates Concil. Arauſicani, & Greg. Mag. intelliguntur de actibus dilectionis, & contritionis formatis, & à gratia habituali, comitante, aut præexiſtenti dignificatis, & in hoc ſenſu ſequuntur primam gratiam juſtificationis, & diſponunt ad ſecundam, id eſt, ad augmentum; cum ſit certùm, quod per actus bonos, & ſupernaturales, productos in ſtatu gratiæ, meremur, & gloriæ, & gratiæ augmentum. Aliæ authoritates, dicentes, hujuſmodi actus præparatorios ad gratiam haberi per gratiæ, ſeu Spiritus Sancti infuſionem, non loquuntur de infuſione, reſpectu habitus gratiæ, ſed reſpectu auxilij, excitantis, & adjubantis, quæ auxilia in phraſi Auguſtini Epiſt. 105. & Eccleſiæ dicentis in quadam Collecta: *infunde nobis Domine tuæ Charitatis affectum*, infuſſa dicuntur.

49 Arguit. 3.: de ratione actus vitalis eſt procedere à principio proximo vitæ, ut conjuncto principio radicali vivendi; ſed actus contritionis, & charitatis, qui diſponunt ad juſtificationem, ſunt vitales, vitalitate ſupernaturali: ergo procedunt ab habitibus pœnitentiæ, & charitatis, ut conjunctis gratiæ habituali, quæ eſt principium radicale vitæ ſupernaturalis. Hoc argumentum inſtari poteſt in attritione ſupernaturali, ſeu contritione imperfecta, quę quidem vitalis eſt vitalitate phyſica ſupernaturali, non autem meritoria, ſeu morali, ex eo, quod tum non connectatur ſe ſola cum gratia habituali, non eſt de condigno actio meritoria, & tamen talis actus non procedit à gratia habituali, ſed à ſola gratia actuali ſimúl cum libero arbitrio: ergo ſimiliter eſt dicendum de Contritione perfecta, prout prę-viè diſponenente ad gratiam juſtificationis, quod videlicet, ut talis accepta eſt vitalis vitalitate phyſica ſupernaturali, & procedit ab auxilio actuali, eſtò ut potè proxima diſpoſitio ad gratiam, cum iſta conjungatur, & ab ea informatur, ut ſit de condigno meritoria vitæ ęternę.

50 Directè ergo reſpondeo ad argum. negando duplex ſuppoſitum conſequentis. Supponitur 1. ab arguente, gratiam habitualem eſſe phyſicam formalem participationem divinæ naturæ, cujus con-

contrarium probatum manet ſuprà, & quod hoc ſupponat argumentum, eſt manifeſtum; nam ſi ſolum moralitèr gratia eſt participatio divinæ naturæ, tantum eſſet principium radicale vivendi moraliter, hoc eſt, elevando moralitèr actus, ut ſint meritorij de condigno vitę ęternę, & huiuſmodi participatio libentèr conceditur à nobis in gratia. Secundo ſupponit argumentum, gratiam realitèr diſtingui ab habitu infuſo charitatis, quod, in noſtra ſententia, verum non tenet, & quod ſupponat, patet; nam ſi gratia phyſicè realitér non diſtinguitur à charitate, cum hæc ſit qualitas mortua in linea phyſica, pariter in linea phyſica eſt qualitas non viva gratię habitualis. Unde vitalitas phyſica, quæ reperitur in utraque contritione, perfecta, & imperfecta, eſt formalitas ſoli correſpõdens voluntati, & ſupernaturalitas eſt formalitas correſpondens gratię actuali.

51 Replicabis: actus fidei, & ſpei, eliciti, ab impio, non ſunt perfectè vitales vitalitate de linea ſupernaturali, ſed iſti actus procedunt à potentijs animæ, & ab auxilio ſupernaturali Dei, immo ab ipſis virtutibus ſupernaturalibus fidei, & ſpei, quæ in peccatore poſſunt reperiri: ergo ad vitam ſupernaturalem perfectã in actu, eſt neceſſarius influxus gratię habitualis, quæ eſt vita radicalis ſupernaturalis. Reſp., argumentum probare nimis; corpus enim ſine ſpiritu eſt abſolutè mortuum, & non vivum: ergo fides ſine operibus eſſet abſolutè mortua, & nullatenus vivens adhuc imperfectè.

52 Quare, juxta dicta, ad argumentum diſtinguo mai.: actus fidei, & ſpei, eliciti ab impio non ſunt perfectè vitales vitalitate ſupernaturali phyſica, nego mai.: vitalitate ſupernaturali morali, ſeu de linea meritoria vitæ æternæ, conc. mai., & min.; & ſub eiſdem terminis diſtinguitur conſequens. Verum ergo eſt, quod prædicti actus non ſunt ſufficientes ex ſe ad conſequendam gratiam habitualem, & expellendum ab anima peccatum mortale, quod eſt mors animæ ſicut gratia, eſt ejus vita, non phyſicè, ſed moralitèr. De cœtero, cum prædicti actus procedant à potentijs animæ, & ab auxilio ſupernaturali, & ab ipſis virtutibus infuſis, quę in peccatore poſſunt remanere, non eſt dubium, quod in primis habeant vitalitatem ſupernaturalem phyſicam deſſumptum à potentijs animæ; & etiam in linea morali habent vitam, licèt imperfectam, quatenus de con-

congruo ſunt diſpoſitiones non proximæ, ſed remotæ ad conſequendam gratiam habitualem.

53 Arguit. 4.: in naturalibus ultimæ diſpoſitiones procedunt ab ipſa forma, ad quam diſponunt: ergo ſimiliter in ſupernaturalibus; conſequenterque Dei dilectio, & contritio perfecta de peccatis ſunt à gratia habituali. Reſp. diſting. antec.: diſpoſitio ſequens formam introductam, conc. antec.: diſpoſitio prę paratoria, & prævia, nego antec., cum utraque conſequentia. Ex dictis in Phyſica conſtat, quod in generatione, & corruptione ſubſtantiali fit reſolutio uſque ad materiam primam; & propterèa accidentia omnia, quæ exiſtebant, in ſubiecto corrupto, pereunt cum eo, & quæ adveniunt generato, manant à forma genita. Non ita eſt in mutationibus accidentalibus, in quibus diſpoſitio præcedens formam accidentalem, perſeverat, ſicut & perſeverat totū ſubiectū: ita eſt in propoſito; & ſicut ibi prę via, diſpoſitio eſt aliunde, quā à forma, ad quam diſponit, ita ſimiliter in præſenti contritio, & Dei amor prę viæ diſpoſitiones ad habitualem gratiam; aliundè ſunt phyſice quam ab ab iſta, licèt quoad rationem accidentalem merendi de condigno vitam æternam informentur moraliter ab ipſa gratia habituali, exiſtente in eodem temporis inſtanti.

54 Pro fine hujus Diſput. dubitabis: in quo ſubjecto proxime, & immediate gratia habitualis recipiatur: num videlicèt in eſſentia animæ, num in potentia voluntatis? Reſpondeo ad dubium cum Doct. Subt. in 2. diſt. 26., *gratiam habitualem recipi proximè, & immediatè in potentia voluntatis.* Prob.: tum, quia gratia habitualis, & charitas ſunt idem realiter habitus; ſed charitas immediate recipitur in potentia voluntatis: ergo, & in potentia voluntatis recipitur immediatè gratia habitualis. Tum, quia forma, & diſpoſitio ultima ad ipſam ſunt in eodem ſubiecto immediato, & maximè quando diſpoſitio eſt talis phyſice, & ex natura rei, ſicut videre eſt in anima immediatè recepta in corpore organico, cuius organizatio eſt ultima diſpoſitio ad eam; ſed juxta Adverſarios, Dei amor, & dolor perfectus de peccatis ſunt ex natura rei diſpoſitiones proximæ ad gratiam habitualem recipiendam, & in omnium ſententia, tales actus in alio ſubiecto immediatè non recipiuntur, quam in potentia voluntatis: ergo idem eſt de gratia habituali. Argumenta contra hanc reſponſionem præcipue deſumuntur ex eo capite, quod prin-

principium eſſendi, & operandi non ſunt idem, ſed diſtinctum principium, cuius oppoſitum manet demonſtratum.

DISPUT. III.

DE JUSTIFICATIONE, ET remiſsione peccatorum.

IUSTIFICATIO ſuum nomen trahit à juſtitia: unde, ſicut juſtitia in ſacris litteris ſumitur multiplicitèr, pariformitèr juſtificatio accipitur multipliciter. In præſenti juſtitia ſignificat rectitudinem, quæ ordinat hominem ad Deum, & ad ſalutem ejus æternam conducit, ipſumque hominem reddit juſtum, & ſanctum coràm Deo, & de juſtitia in hoc tantum ſenſu oritur juſtificatio, de qua in præſenti. Cum juſtificatione jungitur remiſsio peccatorum; eſt enim hic ſermo, non de juſtificatione, qua aliqua perſona de non ſancta; fit ſancta, ſed de juſtificatione impij, conſiſtente in eo, quod ab ſtatu peccati traducatur ad ſtatum ſanctitatis, expellentis ab eo ſtatum culpæ. In hoc ſenſu Apoſt. ad Roman. 3., cum memoraſſet ſtatum priſtinum, quem nonnulli habuerunt, ait: *hæc fuiſtis aliquando, ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis*; quibus verbis manifeſtè apparet proprius ſenſus juſtificationis, pro tranſitu de peccato ad juſtitiam.

QUÆST. PRIMA.

An gratia habitualis ex natura rei, vel ſolum moralitèr juſtificet?

1 EST ſupponendum, gratiam ſanctificare ex natura rei, nihil aliud eſſe, quam per ſolam unionem gratiæ phyſicæ ſumptæ in anima fieri hominem ſanctum, Dei amicum, eius filium adoptivum, & hæredem vitæ æternę eo modo, quo hominem eſſe album, nihil aliud eſſe dicitur, quam habere albedinem; nam, juxta Phyloſophos, effectus formales formę eſt ipſa forma, communicata ſubiecto. Sanctificare verò moralitèr eſt, quod ex ordinatione divina gratia reddat hominem ſanctum, juſtum, &c.; non ex natura phyſica ipſius qualitatis gratiæ, ſed ex divina ordinatione, ſicùt ſuprà dicebamus de diſpoſitionibus ad gratiam habitualem recipiendam.

2. Si gratia habeat ſanctificare ex divina ordinatione, adverti debet, quod talis ordinatio poteſt conſiderari uno modo, ita ut antecedat ipſam gratiæ infuſionem: alio modo, ita ut illam ſubſequatur. Prima ordinatio eſt, qua Deus ab æter-

æterno, & antecedenter ad gratiæ infusionem legem tullit, hominem gratia perfusum, virtute ipsius fieri gratum ipsi, amicum, & filium ejus. Secunda ordinatio est, qua infusa gratia pro aliquo priori, vult postea Deus hominem habentem ipsam in charum, & ejus filium adoptivum acceptare. Differentia inter utramque istam ordinationem est diligenter observanda, quæ illustranda venit exemplo, quod sequitur.

3 Demus, quod aliquis Rex exhibeat hæc duo Decreta; scilicet: *volo Petrum Mathematicum esse nobilem*; & istud alterum: volo mathematicam esse nobilem, nobilitareque subiectum, in quo ipsa recipiatur. In utroque casu homo ille esset nobilis, sed in primo mathematica de materiali se habente, & solum per favorem extrinsecum Regis Petrus esset nobilis. In secundo casu mathematica & non homo esset terminus talis Decreti; & proinde mathematica licèt non ex natura physica ipsius, moraliter tamen, seu ex ordinatione Regis formaliter nobilitaret, acquirentem ipsam, & quidem intrinsicè, tum in esse qualitatis scientificæ, cum, ut sic, physicè intrinsicè habeat subiectari in intellectu: tum moraliter, quia quando verificatur, quod homo acquirit illam, jam moraliter erat forma nobilitans, & ipsa recipitur in subiecto, non solum intrinsicè secundum suum esse physicum, sed etiam in esse moris, scilicet, ut fert secum regiam ordinationem, ex qua habet, quod sit forma nobilitatis.

4 Similiter ergo est theologizandum de charitatis habitu infuso, indistincto prorsùs realiter à gratia habituali. Cum enim homini infunditur charitas supernaturalis, non infundatur solum secundum suum esse physicum, sed ut suum esse physicum est terminus divinæ ordinationis, qua charitas elevata est, & constituta in esse morali gratiæ, hinc est, quod non solum intrinsicè physicè recipitur, sed etiam intrinsicè moraliter. Intrinsice physicè recipitur in esse qualitatis, & charitatis, verùm hæc qualitas physica, quando in anima recipitur, hoc ipso, quod secum ferat Dei pactum, & ordinationem acceptandi in sibi charum subjectum ejus receptivum, ipsa secum habet moralitatem sanctificandi, & ut sic moraliter intrinsicè reperitur.

5 Supponendum est ulteriùs, quod licèt habitus charitatis, qui est gratia in esse physico, non habeat sanctificare physicè, seu ex vi qualitatis, ut

habet dealbare albedo, & reliquę formę phyſicę, tamen phyſicè, & ex natura rei habet aliquem effectum phyſicum, uti eſt, decorare, & ornare ſpiritualitèr ipſum hominem, in quo recipitur. Ratio eſt; nam eſt forma realis, & phyſica in ſe pulchra, & ſpiritualitèr decora: ergo ex ſe, & quovis extrinſeco ſecluſſo, animam ſpiritualitèr pulchram reddit: ergo, &c. In hoc ergo effectu formali phyſico fundatur, quod charitas ex natura rei inchoatè ſanctificet, hoc eſt, quod ex ſuppoſitione, quod aliqua forma ſupernaturalis eligatur à Deo, ad effectum juſtificandi præſtandum, ipſa ſit electa, & aſſumpta.

6 Sit exemplum: in communi Theologorum ſententia de ratione formali omnis peccati, etiam illius, quod eſt ab intrinſeco malum, eſt, eſſe contra legem Dei, talitèr, quod ſi nulla eſſet lex, nullum eſſet formalitèr peccatum. Hoc non obſtante dicitur communiter, quod odium Dei independentèr ab omni lege, & ſecundùm ſuum eſſe phyſicum inchoativè, & fundamentalitèr eſt malum; quia attenta natura phyſica ipſius ob phyſicam oppoſitionem, quam habet cum divinis attributis, exigit, ut prohibeatur à Deo; ita, & licet non eodem modo, ſupernaturalis habitus charitatis, ſecundum ſuum eſſe phyſicum decorativum, & ſpiritualitèr pulchrificativum animæ rationalis, & etiam ob ſpecialem participationem, ſpecialemque convenientiam, quam habet cum divinis attributis; ob hoc, inquam, inchoativè, ſeu fundamentalitèr habet juſtificare moralitèr, ſed moralitèr formalitèr á ſuperveniente Dei ordinatione.

7 Dixi: *ita, licet non eodem modo*; quia cum Deus, non ſolum non poſsit odio habere ſua attributa, ſed neceſſe eſt, illa diligere, ita non ſolum Deus non poteſt approbare, quæ ex ſua natura opponuntur divinis attributis, ſed neceſſarium eſt, quod illa prohibeat; non ita reſpectu actuum, ſeu habitum ſupernaturalium, quia licèt hi ſecundùm ſuum eſſe phyſicum habeant cum divinis attributis convenientiam, & ſpiritualitèr decorent rationalem creaturam, quia tamen eorum bonitas, & perfectio, & pulchritudo eſt finita, & limitata, ut potè finito modo participata à Deo, licèt Deus nequeat non illos approbare, non tamen tenetur illos diligere in ordine ad æternam hæreditatem, licèt ad hoc ſit maxima congruentia in charitate infuſa. His ita

8 Concluſio: *juſtificare, ſeu, quod idem eſt, hominem conſ-*

conſtituere juſtum, amicum Dei, eius filium adoptivum, & hæredem vitę æternæ, gratiæ convenit, non ex natura rei, & phyſicè, ſed moraliter, & ex ordinatione divina, aut dependentèr à divino favore, modo explicato. Concluſio eſt omnium Scotiſt. cum Subt. Doct. in 1. diſt. 17. quæſt. 3. quibus adhærens Nominales, & aliqui Jeſuitę; ut Morandus, & alij apud Maſtr. Eſt contra receptiſsimam ſententiam inter Thomiſt., & plures Jeſuitas. Prob. Concluſ. 1. ex Sacra Script.: nam Iacobi 1. dicitur: *Beatus vir, qui ſufert tentationem, quoniam, cum probatus fuerit accipiet coronam vitæ, quam repromiſsit Deus diligentibus ſe*: ergo ſive hæc dilectio intelligatur de dilectione radicali, in qua ſtare gratiam, aiunt Thomiſtæ, ſivè intelligatur de dilectione habituali, ſeu charitate, quæ à nobis gratia habitualis dicitur, non conſtituit hominem hæredem vitæ æternæ, niſi ex promiſsione divina. Modo ſic: ſed effectus præſtitus ab aliqua forma ex ſola promiſsione divina, eſt moralis, & ex Dei ordinatione, & non phyſicus, ſeu ex natura rei: ergo gratia habet hominem juſtificare moraliter, & ex Dei ordinatione.

9 Prob. 2. Concluſio ex Concil. Trid. ſeſſ. 6. cap. 7., ubi non ſolum diſtinguit in juſtificatione remiſsionem peccati ab infuſsione gratiæ, tamquam duas actiones diſtinctas, indicans remiſsionem peccati eſſe peculiare Dei beneficium, & actum diſtinctum ab infuſsione gratię, dicendo: *juſtificatio non eſt ſola peccatorum remiſsio, ſed & ſanctificatio, &c.* & circa medium cap. ſubiungens: *unde in ipſa juſtificatione cum remiſsione peccatorum, hæc omnia ſimul infuſſa accipit homo*; ſed etiam can. 11. ait: *gratiam, qua juſtificamur*, non eſſe tantum favorem Dei extrinſecum; ſed his verbis expreſsè fatetur Concil., in gratia, qua juſtificamur, includi aliquem Dei favorem, vel ordinationem, præter nudam entitatem gratiæ: ergo gratia non juſtificat ex natura rei. Maior, conſequentiaque negari nequeunt: & minor patet ex eo, quod alioquin inepte diceret Concil., *gratiam non eſſe tantum Dei favorem*. Explicatur hoc; nam in communi modo loquendi, quando dicimus, hominem non eſſe tantum animal non negamus hominem eſſe animal, quin potius id affirmamus, & indicamus, quod ultra animalitatem includeret in ſua eſſentia aliquid aliud: ergo per talem loquendi modum intendit Concil. ſignificare in ratione gratię includi aliquem Dei fa-

favorem, ſed non ſolum cum ulterius includat qualitatem phyſicam.

10 Prob. 3. Concluſ. ratione Doct. Subt. gratia nihil habet ex natura ſua, vi cuius debeatur eam habenti vita æterna, & Deus illum teneatur amare amore amicabili, nec ad ita acceptare in filium, ut ipſi debeatur divina hæreditas: ergo gratia non habet ex natura rei, & phyſicè hoc effectus præſtare. Conſequentia patet, & antec. prob.: gratia ex natura rei, ſeu in eſſe nudè qualitatis phyſicæ ſumpta ſolum habet eſſe principium formale, & proximum, & ſi mavis radicale diligendi Deum ſupernaturali amore ſuper omnia; ſed ex hoc cap. licèt habeat congruentiam minimè tamen habet neceſsitatem, ut à Deo debeat homo amari amore amicitiæ, & tali, ut in filium ipſum adoptet, vellitque illi communicare vitam ęternam, ut hærediratem: ergo entitas phyſica gratiæ, &c. Prob. min.: nam ex quo Petrus v.g., habeat principium, tum radicale, tum proximum amandi Paulum, non ideo Petrus habet aliquid, ratione cuius debeat Paulus redamare, & præcipuè tali amore, quod ipſum adoptet in filium, &c.: ergo quod per gratiam in eſſe qualitatis habeat homo principium radicale, aut proximum diligendi Deum ſuper omnia, non ideo habet formale jus, ut Deus ipſum redamet, &c.

11 Prob. 4. Concluſio, & præcipuè de filiatione adoptiva: filiatio adoptiva includit formaliter acceptationem ad hæreditatem adoptantis in jure, hoc eſt, ut Gonet ſe explicat, filius Dei adoptivus habet jus, ut acceptetur ad hæreditatem; ſed hæc filiatio formaliter ſumpta, ſeu prout eſt jus ad vitam æternam, non eſt effectus phyſicus gratię, ita ut poſita entitate ipſius preciſivè à quavis ordinatione Dei cauſetur: ergo juſtificare, ſeu hominem filium Dei adoptivum conſtituere, non convenit phyſicè, & ex natura rei gratiæ habituali. Minor probanda venit duplicitèr; & primo ſic; jus ad vitam æternam debet dimanare ab eo, qui illud habet, ſcilicèt, ab adoptante, ut patet in creatis, ubi adoptatus ab adoptante recipit in ſuam hæreditatem ius; ſed vita ęterna, ad quam, ut hæreditatem, acceptatur homo per gratiam eſt juris Dei, immo eſt ipſe Deus: ergo jus, quod homo habet ab illa nequit provenire ex natura qualitatis gratiæ, preciſivè à divina voluntate ſic diſponente. Prob. 2. eadem minor: nam, ſi per impoſsibile, Deus non poſſet vitam ęternam ho-

hominibus dare, atque adeo neque eos adoptare ad talem hæreditatem, poſſet nihilominus producere qualitatem gratiæ; ſed tunc caſus non conveniret gratię dare jus ad vitam æternam, prout gratia eſt qualitas phyſica: ergo, &c. Utraque præmiſſa conſtat, & quidem maior, quia productio qualitatis gratiæ non dependet à poſſibilitate viſionis Dei: & conſtat minor, quia ad impoſsibile nullum datur ius.

12 Prob. ultimo Concluſio ex doctrina Contrariorum, admitente, non ſolum poſsibilitatem, ſed etiam exiſtentiam aliquarum formarum, tam ſupernaturalium, quam naturalium, quæ non phyſice, & ex natura rei ſed ſolum moraliter, & ex ordinatione Dei, vel hominum aliquos effectus cauſant. Patet, tum in charactere baptiſmi, conſtituente chriſtianum, & cum varijs juribus ad multa ſupernaturalia in Eccleſia; tum in charactere ordinis Sacerdotalis, tribuente poteſtatem conſecrandi; ſed totum hoc non fit ex natura rei, ſed moraliter, & ex impoſitione Chriſti: ergo proportione ſervata, eſt idem dicendum de habituali gratia. Item in naturalibus moneta habet certum, & determinatum valorem, ſed non phyſicè, & ex natura rei, ſed moraliter & ex voluntate Principis, per ſuum decretum determinantis hunc, vel illum valorem: ergo à ſimili.

Solvuntur argumenta.

13 ARguitur 1. ex authoritate Concilij Trid. ſeſſ. 6. cap. 7. aientis: *unica cauſa formalis noſtræ juſtificationis eſt juſtitia Dei, non qua ipſe juſtus eſt, ſed qua nos juſtos facit*; ſed ſi gratia non juſtificaret ex natura rei, & phyſicè, ſed moraliter, & ex divina ordinatione cauſa formalis noſtræ juſtificationis non eſſet unica: ergo, &c. Prob. min.: ſi gratia non juſtificaret ex natura rei, ſed ex divina ordinatione, juſtificatio noſtra proveniret formaliter à gratia, & divina ordinatione: ergo gratia non eſſet unica cauſa formalis, &c. Reſp. negando min., & nego ſuppoſitum probationis; ſupponit enim argum. quod gratia ſit gratia independenter à divina ordinatione, quod eſt falſum nam qualitas phyſica, ſcilicet habitus charitatis ſolum ut ſubeſt divinæ ordinationi, eſt gratia, & unica cauſa formalis noſtræ juſtificationis.

Per-

14 Percipitur ſolutio recolendo, quæ diximus de divina ordinatione antecedente infuſionem gratiæ, ex qua debetur quod nec ſola qualitas gratię, ſecluſa divina ordinatione, nec iſta ſola preciſivè ab habitu gratiæ, ſit cauſa formales, qua juſti formaliter ſummus. Nec dicas: ergo cauſa formalis noſtrę juſtificationis integratur ex habitu charitatis, & ex divina ordinatione; & conſequentèr cauſa formalis noſtræ juſtificationis non eſt unica. Reſpondeo enim concedo primam conſeq., & diſtinguendo ſecundam: & conſequentèr cauſa formalis noſtrę juſtificationis non eſt unica, neque eſt abſolutè phyſicè conſiderata, conc.: moraliter ſumpta, nego. Et hæc ſolutio conſtat ex ipſo Concilio dicente, gratiam non eſſe tantum favorem Dei extrinſecum, in quibus verbis denotat Concilium, integrari cauſam formalem ex habitu charitatis, & favore extrinſeco Dei, ex quibus duobus conjũctis fit unica cauſa formalis moralis, qua juſtificamur.

15 Conſtat inſuper ex ipſo Concil. cit., nam ſicut docet, gratiam eſſe unicam formalem cauſam noſtræ juſtificationis, ita docet, baptiſmum eſſe unicam cauſam inſtrumentalem, & certum eſt, baptiſmum non eſſe cauſam inſtrumentalem ex natura phyſica, nec aquæ, nec verborum, nec utriuſque ſimul, ſed ut ſubſtat divinæ ordinationi. Quod Concilium dicat eſſe unicam cauſam, non convincit contrarium; nam verè, & propriè dicitur, Clementem XIII. eſſe unicum Pontificem Summum, quin hoc conveniat ei ex natura rei, ſed elevatione Cardinalium per poteſtatem derivatam à Deo.

16 Arguit. 2. ex eodem Concil. precipuè ex illis verbis: *cauſa formalis noſtræ juſtificationis eſt juſtitia Dei :: qua ab eo donati renovamur ſpiritu mentis noſtræ*: ex quibus ſic: gratia eſt cauſa formalis noſtrę juſtificationis, quatenus eſt donum Dei, quo homo interius renovatur ſecundùm ſpiritum; ſed gratia habitualis phyſicé, & ex natura rei eſt tale donum: ergo ratione ſui, & indepentèr á favore Dei extrinſeco, eſt forma juſtificans, atque adeo non moralis, ſed phyſica. Prob. minor: hominem renovari à Deo ſecundùm ſpiritu eſt ab eo accipere novum eſſe intrinſecùm ſpirituale, & divinum; ſed gratia habitualis ex ſua intrinſeca natura habet conſtituere hominem in quodam eſſe ſpirituali, & divino, interius perficiendo, & afficiendo ipſam animã: erg. &c. Min. patet; quia eſſe

ir-

interius ſpirituale, & divinum preſtari non poteſt à forma purè extrinſeca, atque adeo nec à favore Dei cum iſte ſit extrinſecus homini.

17 Urgetur hæc ratio: favor extrinſecus Dei vel eſt forma, interius renovans hominem ſecundùm ſpiritum, ſaltem inadequatè, vel talis renovatio adæquatè provenit à gratia, prȩcisivè à tali favore? Sed hoc ſecundùm eſt ſententia contraria; primum autem eſt repugnans: ergo gratiæ convenit phyſicè, & ex natura rei juſtificare. Prob. minor quoad ſecundam partem: id, quod nullum eſſe ſpirituale, & divinum intrinſecum dat animæ, nequit ipſam interius renovare adhuc partialitèr per modum formȩ; ſed favor Dei, ut pote animȩ extrinſecus, nullum eſſe ſpirituale, & intrinſecum, animæ communicat: ergo interior renovatio hominis nequit eſſe, adhùc partialitèr, à tali favore: & propterea erit adæquatè à gratia habituali ſecundum ſibi intrinſeca. Recurrere ad aliquod eſſe morale intrinſecum proveniens à tali favore, merito cuius anima interius renovetur, non ſatisfacit; nam aprehendere favorem Dei, qui eſt actus divinæ voluntatis, ut formam intrinſecam animæ, proculdubio eſt quid, ab intellectu fictum: unde juſtificatio partialitèr conſiſteret in aliquo ficto ab intellectu, quo nihil eſt abſurdius.

18 Reſpondeo ad argum. diſting. mai.: gratia eſt cauſa formalis noſtræ juſtificationis, quatenus eſt donum, quo homo renovatur ſecundum ſpiritum, ſumpta renovatione pro illa ſpirituali pulchritudine, quam gratia confert phyſicè, & ex natura rei, nego mai.: ſumpta renovatione pro adæquato effectu juſtificationis, quatenus ſic renovatus, eſt juſtus, Dei amicus, & eius filius, atque heres vitæ ȩternȩ, conc. mai.; & diſting. min.: ſed gratia ſecundum ſibi intrinſeca, ſeu ex phyſica natura qualitatis eſt tale donum, quo homo renovatur, id eſt, decoratur, & pulchrificatur phyſice ſpiritualitèr, conc.: ſed gratia ex phyſica natura qualitatis, eſt tale donum, quo homo fit formalitèr juſtus, nego min., & conſequentiam. Ad probationem diſtinguo mai.: hominem renovari renovatione, qua juſtus fiat eſt accipere à Deo novum eſſe interius ſpirituale, & divinum, quod ſit tale per participationem moralem, conc.: per participationem phyſicam formalem, nego mai., & ſic diſtincta min., negatur conſequentia.

Iam

19 Iam diximus eſſe diſtinguendum in gratia, & eſſe intrinſecum, ſeu phyſicum, quo eſt ſpiritualis animæ decor, de quo ſi ſermo ſit, debet concedi, huiuſmodi ſpiritualem renovationem pręſtari à gratia ex phyſica vi ſuæ qualitatis, & naturæ. At, quia in Concil. eſt ſermo de renovatione, dante homini novum eſſe ſpirituale, & divinum, quo adęquatè conſtituitur in tali ſtatu, ut ex injuſto fiat juſtus; ex inimico amicus, & ex filio iręfilius Dei, ut ſatis indicant illa verba, in quibus argum. fundatur: *juſtificatio non eſt ſola peccatorum remiſsio, ſed & ſanctificatio, & renovatio*, eo negandum eſt, gratiam in eſſe phyſicę qualitatis, ſeu ex natura rei eſſe talem renovationem, ſicut & tale eſſe divinum pręſtare; hoc enim ſolum habet gratia, quatenus formalitèr gratia eſt, & prout ſic ſubeſt divinæ ordinationi, ſecundùm quam decrevit Deus per qualitatem gratię intrinſicè animæ inhærentem ſanctificare.

20 Ex quo fit hominem ſic renovari interitus ſecundum ſpiritum, non eſſe quid extrinſecum ipſi licèt talis renovatio non cōtingant independētèr ab ordinatione Dei, quæ ordinatio extrinſeca eſt ipſi homini. Ratio; quia cum hoc defacto non fiat, niſi media qualitate gratiæ, quæ eſt forma, interius afficiens hominem, ideo non eſt abſolute verum, provenire à forma extrinſeca, ſed à forma intrinſicè in anima recepta, cum quo tamen benè componitur, non provenire ab ipſa phiſicè ex ſua natura, ſed moralitèr, ſeu prout prædictæ ordinationi ſubeſt. Nec urgentia novam aliquam difficultatem inducit; quod enim in illa urgetur de favore Dei, reſpectu interioris renovationis hominis, urgeri poteſt de cauſa formali noſtræ juſtificationis probando, ſcilicet, quod gratia ſuaptè natura phyſicę qualitatis ſit talis cauſa, quia divina ordinatio, utpote extrinſeca phyſicæ entitati gratiæ nullum eſſe formale, & intrinſecum poteſt ipſi pręſtare: unde ſicut ad hoc debet dici, talem Dei ordinationem nullum eſſe formale phyſicum, & entitativum tribuere qualitati gratiæ, ſed tantum eſſe formale morale; ita dicendtm eſt reſpectu renovationis.

21 In forma autem negat. quoad 2. part. Ad prob. diſting. mai.: id, quod nullum eſſe ſpirituale divinum phyſicè, & entitativè intrinſecum præſtat animę, non poteſt ipſam renovare, ut forma phyſica, conc. mai.: quod nullum eſſe ſpiri-

tuale

tuale phyſicè, aliquod tamen eſſe moralitèr prętſtat, non poteſt, &c. Subdiſt.: per modum formę phyſicę, & ex natura rei conc.; per modum formæ moralis, nego mai.; & diſting. min.: ſed favor, ſeu ordinatio Dei nullum eſſe ſpirituale phyſicè prętſtat, conc.: nullum eſſe ſpirituale moralitèr, nego min., & conſeq. Dicere, hoc eſſe maius inconveniens; nam ex hoc ſequitur, renovationem, ſeu juſtificationem, ſaltem inadequatè conſiſtere in aliquo ficto, reſpondetur, aliud eſſe, quod aprehendere favorem Dei, tamquam quid phyſicum receptum in anima ſit quid rationis, aliud verò quod ad hoc ut juſtificemur, & verè juſti ſimus, ſit neceſſarium ſic aprehendere. Primum eſt verum; ſecundum eſt falſum; nam ad hoc, ut verè, & realitèr juſti ſimus, ſatis eſt concipere realem qualitatem gratię inhęrere nobis, quæ qualitas ſecum fert Dei favorem, non ita ut ipſi ſit intrinſecus, & ab ea ex ſua natura inſeparabilis, ſed ita, ut ex Dei beneplacito ſit inſepabilis.

22 Arguit. 3. ex eodem Concil. cit., dicente: *eſſe gratiam juſtitiam Dei, :: qua nos juſtos facit.* Ex quibus ſic: id, quod ex ſpecie ſua eſt juſtitia hominis coram Deo ſuapte natura, & abſque quovis favore Dei extrinſeco reddit hominem formalitèr juſtum; ſed hujuſmodi eſt gratia habitualis, ex prædictis verbis Tridentini: ergo gratia habitualis, non moralitèr, ſed ex natura rei eſt forma juſtificans. Maior patet. Prob. min.: donum gratiæ habitualis ex Trid., eſt juſtitia hominis coram Deo, prout ab ipſo effectivè provenit; ſed id, quod convenit gratiæ habituali, prout eſt donum effectivè à Deo proveniens, convenit ipſi ex ſpecie ſua, vel ex natura rei, ſeu ut eſt qualitas: erg. gratia habitualis ex natura rei eſt juſtitia hominis coram Deo.

23 Urgetur hæc ratio: gratiæ qualitas ita obtinet rationem juſtitię hominis coram Deo, ut verum ſit dicere, Deum eſſe cauſam principalem efficientem noſtræ juſtificationis; ſed ſi gratia non phyſicè, & ex natura rei, ſed moralitèr & ex divina ordinatione haberet rationem juſtitiæ formalis, non eſſet verum, Deum eſſe cauſam efficientem principalem noſtræ juſtificationis: ergo &c. Prob. min.: non poteſt eſſe verum, Deum eſſe cauſam efficientem principalem noſtrę juſtificationis, ſi id, à quo gratia veram rationem juſtitiæ habet non eſt à Deo, ut à cauſa efficiēti

principali ; ſed divina ordinatio , à qua, in ſententia Scotiſt., habet gratia veram rationem juſtitiæ noſtræ coram Deo , non eſt ab ipſo , ut à cauſa effectiva principali : ergo, &c. Prob. min. : nam ordinatio eſt actus divinæ voluntatis , acceptantis hominem , gratiam habentem , ad vitam æternam; ſed huiuſmodi actus Dei non eſt cauſa effectiva principalis, ut eſt evidens : ergo , &c.

24 Reſp. ad argumentum diſting. illam mai. : donum gratiæ habitualis eſt juſtitia coram Deo prout ab ipſo effectivè provenit preciſsè , nego : prout provenit ab ipſo ordinante , per talem qualitatem nos juſtos formaliter reddere , conc. mai. : Et diſting. min. : ſed id, quod convenit , &c. , prout eſt donum a Deo effective proveniens preciſsè , convenit ipſi ex ſpecie ſua , & natura , tranſeat minor : quod convenit ipſi; quia á Deo talitèr ordinante provenit, nego min., & conſeq. Qualitas gratiæ non obtinet rationem juſtitiæ , quia preciſsé Deus illam efficit , alioquin habitus infuſi fidei , & ſpei haberent rationem juſtitiæ. Nec etiam eſt talis juſtitia ex ſua entitate phyſicè à Deo producta , preciſsive ab ordinatione, nam ex natura talis qualitatis ſolum habet hominem ſpiritualiter ornare ; & eſſe principium dilectionis Dei ſuper omnia. Et quando Concil. ita loquitur de gratia , ſumit eam in ſenſu formali talis , ut ſcilicèt ſubeſt divinæ ordinationi.

25 Pro quo ſemper habenda eſt in promptu in hac materia illa duplex Dei ordinatio conſequens , & antecedens infuſsionem gratiæ. Eſt ergo ordinatio, unde gratia habet eſſe vera coram Deo juſtitia, antecedens , & includitur in ipſa collatione qualitatis gratiæ. Propter quod, nec ſola qualitas gratiæ , ſecluſſa divina ordinatione , nec iſta ſola, preciſsivè ab habitu gratiæ, eſt cauſa formalis , qua juſti formaliter ſumus ; ſed gratia prout eſt forma nos juſtos reddens , dicit utrumque , ſcilicet qualitatem gratiæ non nudè ſumptam , ſed etiam divinam ordinationem , quæ ordinatio non eſt nova , & ſubſecuta ad gratiæ infuſsionem , ſed potiús antecedens eius infuſsionem ut pote quæ eſt actus divinæ voluntatis ab æterno decernentis, habentem hanc qualitatem virtute ipſius fieri ſibi gratum. Unde conſtat , non poſſe ſeparari Dei actionem producentem gratiam ab iſta ordinatione.

26 Ad urgentiam conc. mai. , & nego min. Ad probationem diſtinguo mai. : ſi id , à quo adæquatè gra-

gratia habet veram rationem justitiæ, non est à Deo, ut causa efficienti principali, nego maiorem: si id, à quo inadæquatè saltem gratia habet, &c. conc. mai.; & data minore, negatur suppositum. In nostra sententia divina ordinatio non est adæquata justitia; enim verò, ut verificetur, quod Deus sit causa efficiens principalis nostræ justificationis, sufficit, ut qualitatem gratiæ effectivè producat, per quam, tamquam per formam intrinsecam fit justificatio, licèt hoc adæquatè non habeat ex natura talis qualitatis, sed ut habet annexum favorem Dei. Qui divinus favor, non est (ut videtur ab arguente supponi) id, quod tantum habet rationem justitiæ, qualitate gratiæ de materiali se habente, sed ratio formalis adæquata justitiæ coalescit ex ambobus, nimirum ex qualitate gratiæ ex suis intrinsecis ad sanctificandum congruenti, & ex divino favore, complente talem vim qualitatis gratiæ.

27 Quod autem sufficiat, Deum qualitatem gratiæ effectivè producere, ut causa efficiens principalis nostræ justificationis, nominetur, & sit, non obstante, quod per illam, ut præcisam à favore Dei, non justificamur adæquatè, præterquamquod patet in omnibus illis rebus, de quibus verificatur illa effectivè produci, quin omnes eius partes producantur, immo absque eo, quod ulla eius pars producatur, ut patet in homine, qui verè effectivè ab alio homine producitur, quin ejus pars principalis, scilicèt anima rationalis, producatur ab ipso, cum sit à solo Deo creata, & ex nihilo producta. Præter hoc, inquam, ex suaderur, quod intentum Tridentini, assignantis Deum pro causa efficienti principali nostræ justificationis, æquè benè salvatur, & forte melius, ponendo, qualitatem gratiæ, à Deo effectivè produci, quæ qualitas non ex sua natura, sed ex Dei ordinatione habeat justificare, quam tribuendo adæquatam rationem justitiæ ipsi qualitati gratiæ ex sua natura intrinseca.

28 Ratio huius est; quia passim Script., PP., immo, & ipsum Concil. Trid. nostram justificationem vocant opus Dei omninò gratuitum, quod operatur Deus in nobis, non utcumque, sed ut misericors, dicente Concil. Trid.: *huius justificationis causæ sunt :: efficiens misericors Deus.* Quod quidem negari non potest, quod magis propriè, quam in contraria sententia, salvatur in nos-

noſtra, in qua dicimus, Deum hominem juſtificare, non quia ipſa intrinſeca natura, & qualitas gratię id exigat, ſed quia Deus ex ſuo miſericordi beneplacito ita ſe æterno decreto obligavit, conferens gratiæ habituali iſtum moralem valorem. Sic diſcurrendo, ponitur juſtificatio magis liberalis, & gratioſa, ut pote quę eſt dependens proximè, & immediatè à divina voluntate, & prorſus independens à quavis re creata, quæ ſuaptè natura ſit illius exigitiva.

29 Cœterum inſurges adhuc: ſi gratia in eſſe qualitatis precise ſumpta non eſſet adęquata cauſa formalis noſtræ juſtificationis, nec per favorem Dei extrinſecum poteſt eſſe talis: ergo, &c. Prob. antec.: tum primo, quia favor Dei non mutat intrinſicè ipſam gratiam ſubinde que non poteſt eam elevare ad præſtandum formaliter, quod ſecundùm ſibi intrinſeca non habet. Tum 2.; nam ſi gratia habitualis ex ſola Dei ordinatione juſtificaret, ſequeretur, vel nullam dari cauſam formalem phyſicam noſtræ juſtificationis, vel ſi datur, talem eſſe favorem extrinſecum Dei, ſed utrumque eſt falſum: ergo, &c. Prob. min. quoad primam part.: hominem eſſe juſtum, eſt quid poſitivum ſupernaturale de linea phyſica, hoc eſt, eſt verè, & realiter intrinſicè afficiens hominem: ergo exigit cauſam phyſicam formalem. Prob. eadem min. quoad ſecund. part.: nam ſi ſolus favor, & non gratia eſſet cauſa formalis noſtrę juſtificationis, tunc verum eſſet dicere; nec juſtificari, tamquam per formam, per talem favorem, ſed hoc damnat Concilium Trid. in illis verbis: *ſi quis dixerit, formam; qua juſtificamur eſſe tantum favorem Dei, anathema ſit.*

30 Tertio; nam gratiam eſſe cauſam formalem moralem noſtræ juſtificationis, quia ſecundum ſuam phyſicam entitatem hominem juſtum formaliter non faciat, tamen ratione ſuę entitatis habet aliquam congruitatem, ut ipſi annectatur favor Dei, vi cuius in eſſe cauſę formalis conſtituatur: hoc, inquàm, eſt gratię attribuere cauſalitatem formalem ſatis impropriam, immo juxta hunc dicendi modum, etiam virtutes infuſſe fidei, & ſpei poſſent dici cauſa formalis noſtræ juſtificationis; nam hæc dona habent aliquam congruitatem, ut ipſis favor Dei annectatur. Tandem hæc omnia efficatius roborantur, ſi exemplum de moneta, quod pro ex-

pli-

plicanda noſtra ſententia aducitur, urgeatur in eam modo ſequenti.

31 Hæc propoſitio: unica forma valorans, & reddens moralitèr monetam tanti æſtimabilem eſt valor intrinſecus metalli, eſt falſa: ergo etiam hęc erit falſa: unica cauſa formalis noſtræ juſtificationis eſt gratia habitualis. Patet conſeq.; nam ideo propoſitio prima eſt abſolutè falſa, quia licet moneta ex ſuis intrinſecis habeat aliquem valorem, non tamen ab intrinſeco habet eſſe æſtimabilem tanti, ſed hoc provenit ab alia cauſa, ſcilicet à voluntate Principis; ſed per nos eadem eſt ratio de gratia in ordine ad juſtificationem: ergo, ſi prima propoſitio eſt falſa, etiam ſecunda. Modo ſic; ſed ſecunda propoſitio ita longè abeſt, ut ſit propoſitio expreſſa in Concil. Trident.: ergo hoc ideo eſt, qua gratia juſtificat phyſicè, & ex natura rei, & nō moralitèr.

32 Reſp. ad inſtantiam negando antec., cuius probationem diſting.: favor Dei non mutat phyſice gratiam, conc.: in genere moris non mutat, nego antec., & conſequentiam. Itaque favor gratiam immutatam entitativè relinquit: verum mutat moralitèr eo modo, quo cauſa quælibet, impotens ſecundum ſe ad præſtandum quemlibet effectum, aſſumitur à Deo, ut illum præſtet. Patet hoc in exemplis ſupra poſitis de Sacramentis, de Summo Pontifice felicitèr regnante, & de doctrina Mathematica, ſi de ea lata eſſet lex Regia, ut eſſet forma ſubjectum, à quo habetur, nobilitans.

33 Ad ſecundum diſtinguo ſequelam quoad prim. part.: ſequeretur, nullam dari cauſam formalem phyſicam noſtræ juſtificationis; ita ut ſenſus ſit, nullam dari formam phyſicam, quæ ſecundum ſe adæquate juſtificet, conc.: ita ut in juſtificatione omnis forma phyſica excludatur, nego: & etiam ſecundam partem min. nego abſolute. Duplicitèr poteſt intelligi, non dari cauſam formalem phyſicam noſtræ juſtificationis; vel ita, ut juſtificatio perficiatur independentèr à quavis forma phyſica inhærente, & hoc negamus, quandoquidem juſtificatio ſaltem defacto fit mediante gratia, quam formam intrinſicè inhærentem in anima fatemur cum Trid.; vel ita, ut juſtificatio fiat adæquatè per aliquam formam, quæ ſecundum ſuam entitatem preciſsè ſumptam, hoc præſtet, & in hoc ſenſu concedimus, nullam dari cauſam formalem phyſicam noſtrę juſti-

fi-

ficationis, nam etsi ibi intercedat forma physica gratiæ, intrinsicè inhærens, quę proinde præstet homini, cui infunditur esse intrinsicè justum, cum hoc tamen non præstet ex natura sua, sed prout subest divinæ ordinationi, hinc est, quod non est dicenda causa formalis physica nostræ justificationis.

34 Iste dicendi modus tam longè abest ut coincidat cum illo errore, damnato à Trid., scilicèt, formam, qua justificamur esse tantum favorem Dei extrinsecum, ut nobis objicitur, quod potius menti Concilij videtur magis conformis; nam posita qualitate gratiæ, tamquam forma physica, nobis intrinsicè inhęrente, cui ab extrinseco accedat favor Dei, proculdubio evadet justificatio non tantum favor Dei, ut reprobat Trid., sed ulterius evadit effectus alicujus formæ intrinsicè inhærentis, nimirúm qualitatis gratiæ, quæ à favore Dei habet esse gratiam in esse gratię, & causam formalem nostræ justificationis.

35 Nec ex hoc sequitur, ut habetur in 3. impugnatione, hoc esse, tribuere gratię causalitatem formalem satis impropriam, respectu nostræ justificationis, sicut, nec quod omne donum supernaturale posset dici talis causa formalis, eo quia omne tale donum congruum est, ut ei annectatur favor divinus, merito cuius in esse causæ formalis posit constitui. Neutrum sequitur: non primum; nam, licèt loquendo in genere physico omnis effectus formalis sit à forma secundum suum esse formale intrinsecum, atque adeo forma sic non causans posit dici, habere causalitatem impropriam in genere physico, nihilominús loquendo in esse moris stat vera causalitas formalis cum eo, quod effectus non procedat à forma secundum nudam entitatem: immo, si sic procedat, non causalitas moralis, sed physica foret dicenda.

36 Nec secundum, quia, & si absolutè loquendo non repugnet justificatio per aliquod donum supernaturale, distinctum à qualitate gratię; immo & per extrinsecum tantum favorem Dei, ut infra propugnabitur, nihilominús, ut potiús qualitati gratiæ, quam alio dono defacto annectatur divinus favor est magis congruum, quia gratię qualitas ex natura rei hominem spiritualitèr ornat, & ex sua natura est principium diligendi Deũ supernaturalitèr; ubi ex his duobus capitibus, licèt gratiæ qualitas exigentiam connaturalem proximam non habeat, ut

ea

ea decoratus sit justus, &c.; negari tamen non potest, quod habeat exigentiam, saltem inchoatam ad tales effectus: & hæc est ratio, cur Deus hanc formam præ alijs deputaverit ad nos justificandos; cæteris enim paribus magis congruum est, ut eligatur in amicum, ille quem video in mei amorem inclinatum, quam quivis alius non ita propensus in me. Talis autem propensio, & inclinatio in Dei amorem, est effectus connaturalis qualitatis gratiæ, sivè charitatis infusæ, quod pro clariori intelligentia nostræ Conclusionis necesse est, ut diligentèr observetur.

37 Postremò ad exemplum de moneta quod fatemur esse valdè familiare nostris in hac materia, respondetur, quod similitudo de moneta, relative ad gratiam, stat in eo, quod arguens proponit, & ulterius in eo, quod sicut nec solus valor intrinsecus metalli, nec sola extrinseca ordinatio Principis reddunt monetam tanti æstimabilem, sed utrumque ad hoc requiritur, ita pariter, nec sola qualitas gratiæ secundum suam entitatem physicam, nec solus favor Dei reddunt hominem tanti æstimabilem, ut in filium adoptetur, sed utrumque requiritur. Unde, sicut hæc propositio est falsa: unica causa formalis valorans monetam est valor intrinsecus metalli; ita hęc etiam est falsa: unica causa formalis nostræ justificationis est gratia habitualis secundum suam entitatem physicam, quam propositionem secundam non definivit Concilium, sed tantum dixit, unica formalis causa nostræ justificationis est gratia, relinquendo ad examen Theologorum: an sit ex natura rei, aut physicè; vel moralitèr, & ex divina ordinatione.

38 Arguit. ultimo, intendendo probare, quod gratia ex natura sua physica hominem constituit filium Dei adoptivum, & argumentum est tale: gratia habitualis antecedentèr ad promissionem divinam de conferendo homini gloriam, reddit hominem filium Dei adoptivum: ergo saltem iste effectus provenit à gratia ex sua natura physica. Prob. antec. ex Trid. sess. 6. cap. 16. dicente: *atque ideo benè operantibus usque in finem, & in Deo sperantibus proponenda est vita æterna, tamquam gratia filijs per Jesum Christum misericorditèr promissa, &c.* Ubi, ut vides, vita æterna promittitur filijs: ergo antecedentèr ad promissionem iam sunt filij: ergo filij constituuntur per gra-

gratiam, ſecluſſa ordinatione, & promiſsione divina; ſed non filij naturales, hoc enim repugnat: ergo adoptivi. Prima conſeq. patet, quia promiſsio ſupponit ſubiectum, cui fit. Hoc argumentum, quod eſt Magiſtri Aliaga dubio 4. §. 2. æquæ præmit Contrarios, ac nos.

39 Inſto ſic: ex Trid. vita æterna promittitur filijs Dei adoptivis: ergo pro priori ad Dei promiſsionem, jam ſunt tales filij. Hæc certa ſunt apud Contrarios. Profequamur: ergo vita æterna promittitur tamquam gratia habentibus iam jus ad illam. Probo conſeq.: vita æterna promittitur, per vos, filijs adoptivis; ſed filij adoptivi virtute adoptionis habent jus ad hæreditatem: ergo, &c. Prob. min.: nam adoptio eſt gratuita, & liberalis aſſumptio perſonę extraneæ ad hęreditatem: ergo habentibus jus, & condignitatem ad vitam æternam, promittitur hęc, tamquam gratia, quod ſanè ridiculum eſt. Deinde: quis filio naturali, & legitimo promitteret hæreditatem patris, ad quam habet jus ex vi generationis? Nullus certè: ergo cum filius adoptivus habeat jus ad hæreditatem, perinde, ac ſi eſſet filius naturalis, cum hac diſtinctione, quod filius naturalis ex vi generationis; adoptivus verò ex mera voluntate acceptantis potitur jure; idem erit dicendum de promiſsione facta ei, qui iam adoptatus ſupponitur.

40 Dicere, ut defacto dicit Mag. Aliaga loco cit., talem promiſsionem factam filio adoptivo non eſſe inutilem, ſed requiri, ut homo acceptetur ad gloriam, quoad efficatiam propter deffectum neceſſariæ connexionis cum gloria, non verò, ut ſit acceptus quoad ſufficientiam, & condignitatem, eſt manifeſtè contra ſua principia. Si enim gratia ex natura rei hominem conſtituit filium Dei adoptivum, & ut ipſe cum ſuis Thomiſtis loquitur ſpiritualiter à Deo gignitum, ſanè quandiù homo talis conditionis ſit, habet ſtatum connexum cum gloria, & quidem ex natura phyſica gratiæ, quæ eſt forma ex natura rei, hominem in tali ſtatu conſtituens: ergo ſuperflua erit promiſsio, ut permanentibus in tali ſtatu uſque in finem gloria ſit conſequuta, cum conſecutio ad gloriam, vel acceptatio ad eam, neceſſariò connectatur, & debeatur homini, permanenti in ſtatu gratiæ.

41 Uterius: ſi gloria non connectitur neceſſariò in ta-

tali ſtatu independenter à promiſsione Dei, quantumvis homo ornetur gratia non erit filius adoptivus Dei, niſi ex divina promiſsione. Ecce noſtram ſententiam. Directè pro nobis reſpondetur ad argumentum, dicendo, antec. eſſe falſum. Ad prob. ex Trid. dicimus, quod, cum filij adoptivi Dei non ſint tales per gratiam ſecundum ſuam intrinſecam entitatem, ſed ut ſubeſt divinæ promiſsioni, nihil prohibet, quod vita æterna ipſis promittatur per gratiam. Ex hac promiſsione infertur, nullum verum jus eſſe in gratia in ordine ad gloriam, independenter à promiſsione divina. Iſta authoritas Trid., à Contrarijs adducta pro argumento eſt ratio probativa noſtræ Concluſionis, ut videre eſt in Gonzalez Matheo hic

QUÆST. SECUNDA.

An gratia habitualis phyſicè, vel moraliter expellat peccatum? Ubi de compoſsibilitate, & incompoſsibilitate gratiæ, & peccati.

42 UT præſens difficultas reſolvatur, eſt notandum 1., hic non eſſe ſermonem niſi de peccato mortali, conſtat enim omnibus Catholicis conſentientibus, gratiam non amitti per veniale peccatum, ut definitum eſt in Trid. ſeſſ. 6. cap. 11., licet verum ſit, quod per id dici poſsit, gratiam tolli diſpoſitivè, quatenus venialia peccata ſunt diſpoſitiones ad mortalia. Notandum eſt 2. quod in juſtificatione impij verè delentur peccata, & non ſolùm reguntur ſeu non imputantur, ut contra Novatores definit idem Concil., loquendo de juſtificatione parvulorum, facta in baptiſmo per gratiam, ipſis collatam. Unde ſit, expulſionem peccati eſſe gratiæ effectum, ſecundarium quidem, & negativum, ad modum quo expulſio formę antiquæ pręexiſtentis dicitur in naturalibus effectus ſecundarius novæ formæ, & præſentis. Quod ergo controvertitur eſt: an ſit effectus procedens à gratia ſecundum ſuam entitatem phyſicam conſiderata: num verò procedat ab illa, conſiderata moraliter in eſſe gratiæ, & ut ſubeſt divinæ ordinationi?

43 Notandum eſt 3., quod oppoſitio contingit quadrupliciter, Primò *contrariè*, & hæc verſatur inter formas poſitivas, quarum una ex natura rei alteri

contrariatur, ut calor, & frigus. Secundo *contradictoriè*; & hęc datur inter formam, & eius negationem, ut contradiſtinctam à privatione. Tertio *privativè*, & ſic oponitur forma cum privatione ejus, ut lux cum tenebris. Quarto *relativè*, ut pater cum filio; ſervus cum domino. Quæ aliquo ex his modis opponuntur certum eſt, unum alium expellere phyſicè, & ex natura rei; ſuppoſito tamen, quod effectus poſitivus, quem cauſat forma, procedat ab ipſa, in eſſe rei conſiderata. His notatis, ſit

44 Concluſio: *expulſio peccati non eſt effectus gratię ex natura rei, & in eſſe qualitatis conſideratę, ſed moralitèr, & ut ſubſtat divinæ ordinationi, ſecundum quam Deus ab æterno ſtatuit, habentem gratiam liberari à peccato: unde gratiam ſemper comitatur carentia peccati, & peccatum comitatur privationem gratiæ loquendo defacto, & juxta leges præſentis providentiæ.* Hic eſt genuinus ſenſus ſententiæ Scotiſtarum cum Doct. ubi ſupra. Cum ipſo probatur 1. ſic: oppoſitio reperta inter peccatum, & gratiam, petenda venit ex eorum effectibus, ſcilicet, reddere hominem juſtum, & injuſtum: dignum vita æterna, & indignum illa: amicum Dei, & filium ejus, & inimicum Dei, & filium Satanæ; ſed iſti, & ſimiles effectus non competunt gratię, nec peccato ex ſuis intrinſecis naturis, ſed moralitèr tantum, & ex Dei ordinatione: ergo nec oppoſitio erit phyſica, & ex natura rei, ſed tantum moralis, & ex ordinatione divina. Modo ſic: ſed ſi oppoſitio tantum eſt moralis, expulſio peccati nequit provenire á gratia, ex natura rei conſiderata, ſed ſpectata moralitèr: ergo non eſt effectus gratię phyſicus, ſed moralis.

45 Prob. 2. Concluſio: ſi expulſio peccati eſſet effectus phyſicus gratiæ, eo eſſet, quia peccatum, & gratia opponerentur phyſicè; ſed gratia, & peccatum phyſicè non opponuntur: ergo expulſio peccati per gratiam eſt huius effectus non phyſicus, ſed moralis. Prob. min.: ſi aliqua eſſet oppoſitio phyſica inter peccatū, & gratiā, eſſet, vel contraria, vel contradictoria, vel relativa, vel privativa; ſed nulla ex his eſt: ergo, &c. Minor quoad tres primas partes patet; nam oppoſitio contraria eſt inter formas poſitivas, & licet gratia forma poſitiva ſit, peccatum tamen, in communiori, & probabiliori ſententia, conſiſtit in privatione. Deinde: oppoſitio contradictoria datur inter

ter formam, & eius negationem; prout hęc contradiſtinguitur à pura privatione. Cæterum gratia non dicit ex natura ſua phyſica negationem peccati, nec peccatum negationem gratiæ: utrumque enim eſt in ſubiecto capaci alterius. De oppoſitione relativa clarius conſtat. Unde ſolum reſtat difficultas de oppoſitione privativa.

46 Prob. ergo minor quoad hanc partem: oppoſitio privativa datur inter formam, & eius carentiam, v.g. inter tenebras, & lucem; ſed nec peccatum ex natura ſua eſt privatio gratiæ, nec gratia ex ſua intrinſeca natura eſt privatio peccati; nam peccatum, ſi actuale eſt, eſt privatio rectitudinis debitæ in eſſe actui: ſi verò habituale eſt reatus, ſeu obligatio paſsiva ad pœnam, derelicta ex culpa tranſacta: ergo gratia, & peccatum non opponuntur privativè; atque adeo nullo genere oppoſitionis phyſicæ. Fatemur quidem, peccatum importare privationem gratię; ſicut & gratiam carentiam peccati; at neutrum eſt ex natura phyſica gratiæ, & peccati, ſed ex lege Dei. Peccatum eſt privatio gratiæ demeritoriè, quatenus peccans demeretur gratiã in ipſo conſervari à Deo, & gratia eſt carentia peccati, non ſicut lux eſt carentia tenebrarum, nam hęc privatio importatur ex ipſa qualitate lucis; ſed moraliter tantum, & quatenus gratia ſubeſt Dei ordinationi, per quam decrevit peccatum condemnare ſubiecto recipienti qualitatem gratiæ, & preciſsivè ab hac ordinatione peccatum non tolleretur per qualitatem gratiæ.

47 Hæc doctrina eſt ſatis ovia in Doct. Subt. præcipuè in 4. diſt. 1. quæſt. 1. ad quintum ubi ait: *anima peccans demeretur, quod gratia conſervetur in ea, & ſic propter tale demeritum quaſi præcedens, Deus non conſervat gratiam, & ſic anichilatur*; & nonnullis interpoſitis, proſequitur: *dico, quod per peccatum non eſt aliquis formaliter inimicus, ſed demeritorie.* Quantum ad gratiam ait ibidem: *oportet ponere unum habitum ſupernaturalem, quo, habens illum formaliter acceptetur à Deo.* Ex quibus expreſsè habetur, neque peccatum ſuaptè natura phyſica eſſe privationem gratiæ, nec è contra, ſed quod, licèt defacto quodlibet importet privationem alterius, hoc provenit, non phyſicè, & ex natura rei.

48 Dices: peccatum mortale opponi privativè formaliter

malitèr cum gratia, quandoquidem tale peccatum in privatione gratiæ formalitèr conſiſtit, immo etiam peccatum actuale opponi privativè gratiæ; quatenus cauſat effectivè ipſius gratiæ privationem. Quod ex eo patet, inquiunt Salmanticenſes, quia privatio gratiæ aliquam debet habere cauſam phyſicam, quę illam immediatè attingat; ſed talis cauſa non eſt Deus, cum illa privatio, ut potè conſtitutiva eſſentialitèr peccati, ſit mala moralitèr: ergo erit talis cauſa homo peccans, atque ita gratia phyſicè tollitur per peccatum; conſequentèrque phyſicè opponitur cum illo. Contra eſt, & ſumendo initium ab hoc ultimo, non poſſum non mirari debilitatem rationis, qua probatur, privationem gratię eſſe phyſicè ab homine peccante, quæ ratio non bene coheret cum principijs Thomiſt., quod, ut percipiatur.

49 Obſervari debet, quod privatio gratię, annuentibus Thomiſtis, valet conſiderari dupliciter, phyſicè ſcilicèt, & moralitèr. Privatio gratiæ phyſicè conſiderata eſt à ſolo Deo, nam ſicut ſolus Deus gratiam effectivè cauſat, ita ſolus ipſe per ſubſtractionem concurſus, quo illam conſervabat, ponit eius privationem phyſicè. Ex quo fit, quod ſola phyſica privatio gratiæ non eſt mala moralitèr, ut patet in illo, à quo Deus voluntarie auferret gratiam, nullis eius præcedentibus demeritis, ut fieri poſſe à Deo ſaltem de potentia abſoluta, non eſt qui dubiter. Sanè in iſto homine daretur phyſica privatio gratię, quę tamen non eſſet peccatum, cum ſupponatur ablata, independenter ab eius demerito, & aliunde à ſolo Deo immediate auferente. Privatio gratiæ moralitèr eſt à peccatore, qui peccando meretur, ut Deus juſtè tollat ab illo gratiam, non tamquam quid debitum ex natura phyſica ipſi peccato, ſed tamquam quid debitum moraliter, eo quia Deus decrevit, gratia expoliare lapſum in peccatum.

50 Unde etiam fit primo, cauſam phyſicam immediatè attingentem privationem peccati, modo quo privatio attingibilis eſt, ſi qua eſt, eſſe Deum, nec poſſe eſſe creaturam peccantem. Secundo fit, hominem peccantem tantum eſſe cauſam moralem huiuſmodi privationis. Tertio, rationem ſupra allatam, potius oppoſitionem moralem, quam phyſicam inter peccatum, & gratiam concludere. Deindè: falsò dicitur, peccatum habituale formalitèr conſiſtere in privatione gratiæ, ut conſtat

ex

ex dictis proprio loco in Materia de *Peccatis*.

51 Prob. 3. Conclusio: si gratia, & peccatum essent privativè, oppositа, & ut Contrarij loquuntur, mediatè contradictoriè; ex illis unum necessario conveniret subiecto, ut patet discurrendo per singula, quæ sic physicè opponuntur; sed homo non necessariò habet gratiam, vel peccatum, quando quidem sine utroque consistere potest, ut de homine in puris naturalibus constituto concedunt Thomist., si homo prius non peccaret, & adhuc post peccatum concedunt Nostri: ergo gratia physicè, & ex natura rei non expellit peccatum. In sola secunda parte min. potest esse difficultas, & tamen prob. ex Doct. Subt. in 4. dist. 1. q. 6., sic discurrente: *forma non habens esse alterius rationis in subiecto, non habet inseparabilitatem aliam à quocumque, scilicet subiecto, quia enim est talis forma, & tale esse habens, ideo est separabilis, vel inseparabilis à quocumque*; sed forma non habet esse alterius rationis in subiecto, ex hoc, quod ejus oppositum præcesserit in eo, ut patet de frigore, & calore circa aquam: ergo forma non habet aliam inseparabilitatem à quocumque per hoc, quod eius oppositum præcesserit in subiecto. Modo ita sublumit Doct.: *sed rectitudo naturalis moralis, si non præcessisset suum oppositum, posset, per te, à gratia separari*: ergo, & adhuc post peccatum, gratię privatio non committatur ipsum peccatum physicè, & ex natura rei.

52 Hoc idem alia efficaci ratione probat Doct. immediatè subiungens: *quaelibetcumque secundum formam absolutam potest Deus hominem creare, talem, & precisè potest reparare post culpam secundum formam absolutam; sed Deus in pura rectitudine naturali potest hominem creare*: ergo, &c. *Maior prob. quia culpa non facit naturam esse aliam in se*: ergo *nec quod sit capax eiusdem cuius prius fuit capax. Agens autem divinum potest illi imprimere quodcumque, cuius est capax, & hoc sine quocumque, quod non includitur in ratione illius impressa, & maximè si id non includatur ipsa forma impressa; sed gratia est huiusmodi respectu justitię, & rectitudinis naturalis*: ergo, &c. Hucusque Doct., in cuius verbis abunde patet, non solum posse hominem creari in pura rectitudine naturali pro priori ad peccatum, sed etiam post illud; atque ita peccatum, & gratiam non opponi physicè; cum constet, non esse talia, ut unū ex duobus cōveniat necessariò homini.

Tan-

53 Tandem prob. Concluſio ratione, deſumpta ex Doct. cit.: ſi peccatum, & gratia privativè phyſicè opponerentur, eſſent formalitèr oppoſita, & repugnantia; ſed hoc non: ergo opponuntur moralitèr, & demoratorié, non autem phyſicè. Prob. min.: ſi gratia, & peccatum phyſicè formalitèr opponerentur, tunc agens, potens effectivè, vel deffectivè ſuper eſſe unius, poſſet effectivè, vel deffectivè ſuper non eſſe alterius; ut patet de omnibus phyſicè formalitèr oppoſitis; ſed voluntas creata poteſt effectivè, vel deffectivè ſuper eſſe peccati: ergo & poſſet voluntas creata ſuper eſſe gratię. Huius oppoſitum patet ex eo; quia, cum gratia habeat eſſe per creationem, non deſinit eſſe, niſi per anichilationem, creatura autem non poteſt anichilare, cum hoc ſit proprium illius, cuius eſt proprium creare, & nulla creatura eſt, quæ creare poſsit, ut conſtat ex dictis in Tract. de Angelis Diſput. 1., quæ eſt de creatione.

54 Ex hucuſque dictis palam fit, quid debeat teneri circa compoſibilitatem, vel incompoſibilitatem gratiæ, & & peccati de potentia Dei abſoluta. Conſtat enim primo, quod ſi gratia in eſſe qualitatis, & phyſicę entitatis conſideretur, & accipiatur, eſt compatibilis de potentia Dei abſoluta cum peccato in eodem ſubjecto. Hanc partem probant omnia, quæ hucuſque fuerunt adducta. Conſtat ſecundo, quod ſi gratia in eſſe gratiæ, ſeu ut ſubſtat divinę ordinationi conſideretur, & accipiatur, non eſt compatibilis, adhuc de potentia Dei abſoluta in eodem ſubjecto cum peccato. Ita omnes ferè Theologi contra Marin., & paucos alios Jeſuitas. Eſt ratio; quia quod implicat contradictionem, adhuc divinitus non poteſt fieri; ſed implicat contradictionem, quod cum peccato ſit in eodem ſubjecto gratia, in eſſe gratiæ conſiderata: erg. &c. Prob. min.: gratia in eſſe gratiæ conſiderata, juſtificat, & reddit ſubjectum juſtum, ſanctum, Dei amicum, & ejus filium adoptivum; ſed peccatum dicit negationem divinæ amicitiæ, redditque ſubjectum, Deo exoſſum: ergo implicat contradictionem, quod adhuc de potentia Dei abſoluta gratia in eſſe gratiæ componatur in eodem ſubjecto cum peccato.

55 Prob. alitér: gratia non eſt gratia in eſſe gratiæ, niſi, ut involvens divinam ordinationem, qua entitas, & qualitas, quæ eſt gratia in eſſe phyſico elevatur, ut hominem reddat hæredem vitæ æternę, & liberum

rum à peccato; ſed cum gratia ſic accepta, implicat, quod in eodem ſubjecto reperiatur peccatum: ergo &c. Prob. min.: vel in illa extraordinaria providentia qua Deus, ut Omniporens, operaretur de plenitudine poteſtatis conſervaret integram ſuam ordinationē, qua qualitas, quæ eſt gratia, elevatur ad præſtandos prædictos effectus, vel non conſervaret? Si dicatur hoc ſecundum, ſequitur, quod non remaneret gratia in eſſe gratiæ, licèt maneret in eſſe qualitatis, de qua acceptione nunc non eſt ſermo. Si primum reſpondeatur, arguo ſic: eſſe hæredem vitæ æternæ, & non eſſe hæredem vitæ æternæ, ſunt Contradictoria, quæ adhuc de potentia Dei abſoluta non poſſunt eſſe vera; ſed in illa providentia extraordinaria, hoc ipſo, quod daretur gratia in eſſe gratiæ ferret ſecum divinam ordinationem, qua ejus ſubjectum fieret hæres vitæ æternæ, & peccatum hominem conſtitueret non hæredem: ergo, &c.

Solvuntur argumenta militantia contra Concluſionem.

56 ARguitur 1.: expulſio tenebræ eſt effectus formalis phyſicus lucis: ergo & expulſio peccati eſt effectus phyſicus formalis gratiæ, Prob. conſequentia: ideo expulſitio tenebræ eſt effectus formalis lucis per ſuam phyſicam entitatem, quia lux ex ſua natura opponitur privativè cum tenebra; ſed etiam peccatum phyſicè privative opponitur cum gratia, eſt enim peccatum tenebra, & gratia lux, ſecundùm dictum Apoſt.: *eratis aliquando tenebræ, nunc lux*: ergo, &c. Si dicas, peccatum habituale non eſſe formaliter privationem gratiæ, ſicut tenebra eſt privatio lucis, ſed tantum illam concomitantem dicere, ſequitur, quod ſaltem ea parte, qua peccatum involvit privationem gratiæ phyſicè privativè opponitur illa: ergo nequibit non eſſe effectus phyſicus illius. Reſp. concedendo antec., & negando conſequentiam. Ad probat. nego min., & ad probat. imbitam ex Apoſt. dico, peccatum non eſſe tenebram, nec gratiam lucem, niſi metaphoricè, & proportionalitèr; nam ſicut lux aerem venuſtat, & tenebra illum deformat, ſic gratia illuminat animam, & peccatum ipſam fœdat.

57 Peccatum ergo habituale, de quo preſertim loquitur argumentum, non conſiſtit in privatione gratiæ, ſed in reatu, ſeu obligatione paſſiva ad pœnam, quæ eſt veré

re

reatus culpæ, & licet privationem gratiæ etiam dicat, hanc importat ſolum materialiter, & concomitanter, non quidem ſimpliciter, & abſolutè loquendo; ſed regulariter & juxta leges modo præfixas, quæ ſi deficerent, privatio gratiæ nullo modo ad rationem peccati pertineret. Oppoſitio illa, ſive incompoſibilitas, quæ non fundatur in naturis rerum, ſed in aliquo extrinſeco, ut eſt divina ordinatio, non phyſica, ſed moralis dicenda eſt, atque adeo expulſio unius ſic oppoſiti, ab alio ſic oppoſito, effectus, non phyſicus, ſed moralis poteſt eſſe.

58 Arguit. 2., & poteſt eſſe replica ad ſolutionem: peccatum habituale, non ſolum concomitanter, ſed etiam formaliter eſt privatio gratiæ: ergo phyſicè privativè opponitur peccatum cum gratia: & conſequenter expellitur phyſicè per gratiam. Prob. antec.: peccatum originale eſt privatio juſtitiæ originalis: ergo etiam peccatum habituale perſonale erit privatio gratiæ. Conſequentia patet; quia non minus privatio gratiæ habitualis, quam juſtitiæ originalis eſt malum morale nec minus una, quam altera habet conſtituere hominem peccatorem. Huic argumento reſponderi poteſt duplici via. Primo, negando antec.; ad probationem, conceſſo antec., negando conſeq. Eſt namque ſatis expreſſa ſententia Doct. Subt. in 2. diſt. 23., peccatum originale in privatione juſtitiæ originalis conſiſtere: unde tota difficultas eſt in reddenda ratione, cur nempè originale peccatum per talem privationem explanari valeat, ſecùs verò peccatum perſonale per privationem gratiæ. Sed neceſſariò hoc explanandum ſit per reatum culpæ.

59 Igitur diſparitas ſtat in eo; quia cum privatio gratiæ in omni peccato mortali perſonali reperiatur, & ſit in omnibus ejuſdem rationis, non poteſt per ipſam ſolam unum peccatum perſonale ab illo diſtingui ſpecificè, atque adeo, ſi in tali privatione conſiſteret, omnia peccata perſonalia eſſent eiuſdem ſpeciei, cum omnia habeberent idem conſtitutivum. Hoc autem inconveniens non reperitur in peccato originali, unicè conſtituto per privationem juſtitiæ originalis; nam hoc peccatum eſt ejuſdem rationis, & ſpeciei, atque in omnibus æquale.

60 Altera via, qua poteſt reſponderi argumento eſt, etiam negando antec., & ejus probationem, quia peccatum originale etiam conſiſtit in reatu culpæ, prout talis reatus importat obligationem paſſivam ad pœnam damni ex actuali Ada-

Adami prævaricatione in poſteris derelictam. Circa reſponſionem huius argumenti videnda ſunt, quę in Tract. de *Peccatis* manent dictu.

61 Arguit. 3. ; & eſt primum argum. directum, & expreſſum contra noſtrum corollarium : ſi gratia, & peccatum poſſent divinitùs exiſtere ſimul, accepta gratia in eſſe qualitatis, Deus eſſet cauſa per ſe influens in permanentiam peccati ; ſequela iſta repugnat: ergo & repugnat, quod gratia, & peccatum aliquo modo poſſint eſſe ſimul. Minor eſt certa; nam id, cuius prima exiſtentia non eſt à Deo, ut cauſa per ſe, & eſſentiali, nequit ab ipſo in ſui permanentia dependere preſertim ſi hoc eſt aliquod malum morale, ut eſt peccatum. Prob. mai. : ſi gratia, & peccatum poſſent conjungi, talis conjunctio eſſet miraculoſa, ut potè contra exigentiam utriuſque extremi ; ſed hoc ipſo Deus eſſet cauſa per ſe, & eſſentialis permanentię peccati: ergo, &c. Prob. min. : ſi talis conjunctio eſſet à Deo, miraculosè operante, ab illo proveniret id, quod formaliter dicit dicta conjunctio ; ſed talis conjunctio dicit formaliter exiſtentiam gratiæ, & peccati: ergo utriuſque exiſtentia eſſet à Deo, &c.

62 Hoc argumentum procedit ex ſuppoſitione, quod gratia, & peccatum phyſice opponantur, quo non admiſſo, parum difficultatis continet. Ergo negatur ſequela. Ad probationem eſt dicendum, quod talis conjunctio eſſet miraculoſa, ſumpto miraculo pro eo, quod eſt ſupra leges ordinarias, non verò pro effectu, qui eſt ſupra vires phyſicas rerum, ut vult argumentum. Gratia enim, ex intrinſeca natura qualitatis non exigit expulſionem peccati, ſed ex ſola lege Dei, ideo talis coexiſtentia eſſet non ſupra naturam gratiæ, ſecundum quod entitas phyſica eſt, ſed eſſet ſupra legem, modo ſtatutam, eſſet igitur quaſi miraculum, ut pote rarum, vel numquam viſum, ſecus verò quia Deus operaretur ſupra exigentiam phyſicam gratiæ.

63 Arguit. 4. : quidquid contradictionem implicat eſt abſolutè impoſsibile, ſed gratiam, & peccatum inſimul convenire implicat contradictionem : ergo, &c. Prob. min. hominem ſimul eſſe converſum ad Deum, & ab illo averſum, eſt aperta contradictio ; ſed pro caſu coexiſtentiæ gratiæ, & peccati homo eſſet ſimul converſus, & averſus à Deo; converſus quidem ratione gratiæ,

tiæ, averſus autem ratione peccati : ergo , &c. Idem argum. poteſt confici de cæteris effectibus gratiæ , & peccati ut eſſe amicum , & inimicum ; juſtum, & injuſtum ; filium Dei , & filium Diaboli ; hæredem vitæ æternæ , & eſſe obligatum ad pœnas infernales.

64 Reſp. ad argum., quod in caſu homo habens gratiam , & peccatum non futurus juſtus , ſed unicè injuſtus, inimicus, & peccator, quia cum in hypoteſi non includatur lex modo poſita , à qua habet gratia in eſſe gratiæ conſtitui, & præſtare prædictos effectus, eò, ea lege ablata, non remaneret , niſi nuda qualitas gratiæ , & non amplius illos præſtaret effectus. Quod tunc faceret gratia eſſet reddere hominem in Dei amorem phyſicè inclinatum ; & propenſum , nam iſte effectus competit ipſi ex natura rei propter identitatem eius cum charitate infuſſa.

65 Dices contra iſtam ſolutionem : implicat aliquem ſimul habere duos ultimos fines ultimatos , & adæquatos ; ſed ille , qui haberet habitum charitatis, ſeu gratiam in eſſe qualitatis haberet Deum pro ultimo fine totali ultimato , ille verò qui peccat mortaliter , conſtituit ſuum ultimum finem in creatura : ergo , & implicat contradictionem, quod ſimul componantur in eodem peccatum, & gratia , in eſſe qualitatis conſiderata. Urgetur : nam habens gratiam , etiam in eſſe qualitatis, eſt habitualiter converſus ad Deum, & peccatum habituale eſt habitualis averſio à Deo; ſed hæc ſimul repugnant : ergo, &c.

66 Reſp. ad replicam diſting. mai. : implicat habè ſimul duos fines ultimos in actu ſecundo , concedo mai. : duos ultimos fines habitualiter utrumque, vel unum habitualiter , & alterum in actu ſecundo, nego mai.; & ſic intellecta min. , neg.conſeq.In actu ſecundo nequit operans habere duos ultimos fines, non ſubordinatos : verum habitualiter per duplicem habitum contrarium habere duos ultimos fines defacto evenit in conſuetudinario peccatore , recentèr juſtificato , qui ut habens habitum infuſſum charitatis habet habitualiter Deum pro fine ultimo , & ut habens habitus vitioſos , habet habitualiter creaturam pro ultimo fine. Deinde, non repugnat , immo contingit defacto , aliquem habere unum ultimum finem habitualiter , & alium actualiter , ut patet in juſto peccante venialiter , & in peccatore , eliciente actum ſuper-

pernaturalis attritionis.

67 Ad urgentiam reſpondetur, quod poteſt diſtingui in peccato duplex averſio, alia quæ modo in peccato reperitur, & hæc, ſaltem concomitantèr dicit privationem juris ad hæreditatem Dei; alia, quæ eſſentialitèr includitur in peccato, ſecundum quod eſt tranſgreſſio divinę legis, & hæc in eo conſiſtit, quod peccans privat ſe rectitudine, quam ex Præcepto Dei debebat habere. Conformitèr ad hæc poteſt etiam diſtingui duplex converſio in gratia; alia conveniens gratiæ juxta legem, modo præfixam, & hoc non ſolum eſt habitualis converſio in Deum, quatenus habentem illam, inclinat in Dei amorem, ſed etiam dicit poſſeſsionem juris ad æternam hęreditatem; alia eſt converſio, quæ gratię competit, quatenus qualitas eſt, & preciſivè à quavis divina ordinatione, & hæc tantum dicit habitualem inclinationem phyſicam ad Deum.

68 Ex his iam patet, quid in forma debeat reſponderi ad urgentiam, ad quam dico, eſſe ſimul converſum, & averſum modo quo defacto eſt per gratiam, & peccatum, eſt contradictio, conc. mai. eſſe ſimul converſum habitualitèr, quatenus per qualitatem gratiæ habetur habitus ipſe inclinans in Dei amorem præciſe, & eſſe averſum, quatenus preciſè ſe privare, rectitudine, quam, ex Dei præcepto debet habere, nego hanc eſſe contradictionem; & pro caſu exiſtentiæ peccati, & gratiæ ſimul, homo eſſet ſimul converſus, & averſus; converſus habitualitèr per phyſicam ad amorem Dei inclinationem; & averſus per tranſgreſſionem legis Dei, quę ſimul nullatenus repugnant. Hic obſervetur, quod averſio à Deo; reperta in peccato, poteſt eſſe duplex, una formalis, quæ ſi poſitiva ſit conſiſtit in odio Dei, ſi verò negativa, conſiſtit in carentia amoris Dei, quando quis ad talem amorem tenetur: alia eſt interpretativa, & moralis, incluſa in omni mortali peccato, quia cum adimpletio mandatorum Dei ſit neceſſaria ad fruendum Deo, juxta illud: *ſi vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*, qui hæc violat, conſequentèr avertitur à Deo averſione interpretativa, & morali, dependente à lege Dei, quatenus nulla ſtante lege, nullum ſtaret peccatum.

69 Ex his deduces duo: primum eſt, quod abſolutè loquendo & Dei omnipotentia inſpecta, poſſint peccatum, & gratia in eſſe qualitatis componi ſimul. Cuius precipua ratio

tio eſt, quia quod gratiæ infuſsio, & peccati remiſsio ſint connexa in juſtificatione, provenit á divina lege, quæ divinitus poteſt tolli. Secundum eſt, quod cum hoc, ahuc benè coheret, pro nullo inſtanti poſſe defacto conjungi, quia quamvis hæc oppoſitio non ſit phyſica, ſed tantum moralis, & ex lege Dei, hæc tamen æquivalet incompatibilitati phyſicæ, nàm quę moralitèr ſunt incompoſsibilia, ſtante lege non minus repugnant, ac ſi phyſice opponerentur.

QUÆST. TERTIA.

Utrùm in juſtificatione expulſio peccati, & infuſsio gratiæ ſit una, vel duplex mutatio?

70 EX Thomiſtis ipſis, quibus placet aſſerere, tum, quod peccatum habituale conſiſtit formaliter in privatione gratiæ; tum, quod in juſtitificatione ſola datur unica mutatio, qua peccator tranſit de non habere gratiam, ad gratiam habendam, non deſunt aliqui, qui procedunt cum diſtinctione. Inquiunt enim, eſſe diſtinguendum inter non habere gratiam, & habere privationem gratię. Privatio gratiæ ultra negationem gratiæ, ajunt illi, dicit quoddam, eſſe poſitivum morale: (nos vocamus hoc eſſe poſitivum morale *debitum habendi gratiam*) quare ſentiunt Thomiſtę, ſic procedentes, quod ſi homo eſſet creatus in puris naturalibus, & poſtea ipſi infunderetur gratia, tunc non eſſet, niſi unica mutatio, qua tranſiret homo de non eſſe in gratia ad gratiam habendam. In juſtificatione verò nunc facta, dicitur ab illis eſſe duplicem mutationem: una eſt, qua homo tranſit de non habere gratiam, ad gratiam habendam; & alia eſt, qua tranſit de habere illud eſſe poſitivum, quod addit privatio gratię ſupra puram negationem illius ad illud non habere.

71 Licet verò conveniamus Scotiſtæ cum iſta ultima opinione de pluralitate mutationum inter veniente in juſtificatione, quæ modo eſt non vero convenimus in modo, neque in probatione illius. Illud enim eſſe poſsitivum, quod addit privatio ſupra puram negationem, eſt debitum morale habendi gratiam, quod debitum non mutatur in juſtificatione, niſi ad ſummum extrinſicè, ſeu, quod idem eſt, peccator non tranſit, de habere debitum exiſtendi in ſtatu gratiæ, ad illud non habere; juſtus enim etiam habet debitum exiſtendi in gratia, aliás non diceretur,

pri-

privari illa, dum eam amittit per peccatum. Ergo differentia inter peccatorem, & juſtum, quoad debitum morale habendi gratiam ſtat in eo, quod peccator habet debitum ſe diſponendi pro obtinenda gratia; juſtus verò habet debitum conſervandi gratiam, quod ſanè ex parte rei ſignificatæ idem prorſus eſt morale debitum.

72 Scotiſtę autem, & plures Jeſuitę peccatum habituale non conſtituentes formaliter in privatione gratiæ, univerſaliter recognoſcunt duplicem mutationem factam in juſtificatione impij. Differunt autem in aſſignatione terminorum hujus duplicis mutationis: nam Scotiſtæ peccatum habituale conſtituentes in reatu ad pœnam, orto ex culpa, ajunt: duplicem, & quidem ſeparabilem unam ab alia de potentia Dei abſoluta intervenire mutationē in juſtificatione impij, unam quidem realem, & poſitivam, qua homo tranſit de privatione gratię ad ipſam gratiam; aliam verò rationis; & negativam, qua peccator tranſit de habere illum reatum in quo conſiſtit peccatum habituale, ad illum reatum non habendum. Cum hac poſtrema ſententia, quæ expreſſa eſt in noſtro Doct. Subt. in 4. diſt. 16. q. 2. §. *Reſpondeo*, ſit noſtra

73 Concluſio: *infuſio gratiæ, & expulſio culpę ſunt verè duę mutationes, ex quibus gratiæ infuſio eſt mutatio realis, & phyſica, poſitivaque, remiſſio verò culpę eſt mutatio negativa, & rationis.* Prob. concluſio quoad pluralitatem mutationum ex Concilio Trid. ſeſſ. 6. cap. 7. ajente: *juſtificatio non eſt ſola peccatorum remiſſio, ſed renovatio*, & infra: *in ipſa juſtificatione cum remiſſione peccatorum, hæc omnia ſimul infuſſa, accipit homo, &c.*, ſed ille particulę: *non eſt ſola remiſſio peccatorum*; & *cum remiſſione peccatorum*, indicant realem diſtinctionem inter remiſſionem peccatorum, & infuſionem eorum, quæ conjunguntur cum peccatorum remiſſione: ergo: &c. Simili modo loquitur Concil. ultimum Moguntinum cap. 7. dicens: *juſtificatio cum peccatorum remiſſione, etiam ſanctificationem confert*: ergo idem, quod priùs.

74 Prob. deinde Concluſio rationibus deſumptis ex Doct. Subt. cit. Sit prima: idem ſimpliciter non poteſt plurificari, & non plurificari ſimul, alioquin idem, ut eſt idem, eſſet unum, & non eſſet unum, ſeu plura; ſed remiſſio culparum eſt multiplex, infuſio verò gratiæ una: ergo remiſſio culpæ, & infuſio gratiæ non eſt una ſimplex mutatio, ſed duplex.

Prob.

Prob. min. quoad prim. part., (quoad ſecundam enim eſt apud omnes certa) : modo quo, quis dicitur peccator poſt actum peccati præcedentem, & tranſeuntem, dicitur peccator ex multis culpis poſt quam multas commiſsit; ſed quælibet earum habet propriam remiſsionem, nam quælibet remiſsio poteſt eſſe ſine alia, caſu quo illam culpam commiſsiſſet, & non aliam, ergo remiſsio culparum eſt multiplex, immo eſt una ab alia ſeparabilis, caſu quo culpæ ipſæ ſeparentur. Quod bene notetur, nollumus enim dicere, quod unum peccatum remmitatur, non remiſſo alio, ſemel, quod in eodem ſubiecto conjungantur.

75 Secunda, ratio Doct. ſic ſe habet: idem non ſeparatur ab eodem, alias illud principium: *idem, ut eſt idem, non poteſt ſimul eſſe, & non eſſe*, non teneret; ſed remiſsio culpæ, & infuſsio gratiæ poſſunt adimvicem ſeparari: ergo non ſunt una, ſed duplex mutatio. Prob. min.: nam in ſtatu innocentiæ generis humani poſſet infundi gratia abſque remiſsione culpæ; quia in illo ſtatu, ſi permanſiſſet, nulla culpa ſaltem mortalis fuiſſet, & ita factum eſt, inquit Doct., in Angelis, qui non peccaverunt: ergo gratiæ infuſio, & peccati remiſsio ſunt duæ mutationes. Præterea: poteſt Deus creare hominem de potentia abſoluta in puris naturalibus ſine culpa, & ſine gratia: ergo & poſtquam peccavit, talem hominem poteſt reparare reducendo ipſum ad puræ naturæ ſtatum; ſed tunc caſus remiſsio culpæ ſtaret ſine infuſsione gratiæ: ergo hæc ſecunda mutatio remiſsionis, ſeu expulſionis culpæ, ſeparabilis eſt ab infuſsione gratiæ; atque adeo non ſunt mutatio, una ſed duplex.

76 Altera concluſionis pars, in qua afferitur, infuſsionem gratiæ eſſe mutationem realem phyſicam, non eget probatione, & in eam conveniunt omnes, etiam exteri; & hoc, ſivè concedant, duplicem mutationem in juſtificatione intercedere, ſivé unam tantum. Poſtrema concluſionis pars, affirmans, remiſsionem culpæ non eſſe mutationem realem; diſplicet omnibus Thomiſtis: & multis Jeſuitis: unde oportet eam munire ratione, quæ ſic formatur: peccatum, quod in juſtificatione remittitur, eſt obligatio ad pœnam, orta ex culpa; ſed talis obligatio non eſt aliquid reale in anima poſt actum præteritum: ergo remiſsio peccati, quæ eſt mutatio ab iſta obligatione ad non obligationem, non eſt mutatio realis.

lis. Prob. min.: obligatio in anima ad pœnam pro culpa, est, peccatorem esse objectum divinæ voluntatis, ordinantis ipsum ad pœnam; sed hoc nihil aliud est, nisi relatio rationis in objecto volito, ut volitum est: ergo non est quid positivum reale, & physicum.

77 Declaratur hoc ab eodem Doct. exemplo accepto ex actu nostræ voluntatis. Inquit enim sicut volitum à me, per hoc, quod est à me volitum non habet formam realem novam, absolutam, vel relativam, sed tantum relationem rationis, correspondentem reali volitioni meæ, ita per hoc, quod aliquis est volitus, vel ordinatus ad pœnam à voluntate divina, postquã commisit culpam, cum culpa non remaneat, nec aliquid reale positivum, vel privativum (nam licèt ibi sit privatio gratiæ, tamen hęc privatio potius concomitatur peccatum, quam illum constituat,) nec alia relatio realis, fundata super culpam, remanebit, sed tantum relatio rationis. Hęc Doct. Ubi notetur, quod per ly *relatio rationis*, non significatur à Doct. ens rationis, seu fictum, sed unicè significatur ens morale contradistinctum ab ente physico; à quo ente morali, significato positivè per habere peccatorem debitum, & obligationem ad pœnam, transit, qui justificatur ad ens morale, non habendi talem obligationem, seu debitum. Unde, sicut prima mutatio qua fit transitus de non habere gratiam, ad gratiam habendam, est positiva, ista altera, qua fit transitus de habere obligationem ad pœnam, ad non habere talem obligationem, est negativa.

78 Arguitur 1.: Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 7. justificationem definit, per esse transitum, seu mutationem ab statu peccati ad statum gratiæ, & filiorum Dei: ergo sentit Concilium in justificatione impij unam tantum intercedere mutationem, cuius terminus *à quo* sit peccatum, terminus verò *ad quem* gratia intrinsicè inhęrens. Resp. disting. consequens: intercedere unam mutationem acquisitivam, conc.: etiam deperditivam, junctam cum acquisitiva, nego conseq. In justificatione ergo non est nisi unica mutatio acquisitiva, cuius terminus *à quo* est privatio gratię, & terminus *ad quem* est gratia ipsa per cuius susceptionem, tamquam per unicam causam formalem homo ex inimico fit amicus; verùm ultra istam positivam, realem, & adquisitivam

vam mutationem, datur alia moralis deperditiva, cuius terminus *à quo* eſt obligatio ad pœnam prout à culpa, & terminus *ad quem* eſt non eſſe talis obligationis, ſeu reatus.

79 Explicatur hoc exemplo: hęc propoſitio eſt vera: homo niger per ſuſceptionem albedinis fit de nigro albus; & tamen ſtante veritate hujus locutionis, nullus dicit, quod in tranſitu hominis nigri ad eſſe album ſit unica mutatio ſed duplex: una poſitiva de non eſſe albo, ad eſſe album: & alia deperditiva de eſſe nigro ad non eſſe nigrum: igitur à ſimili in noſtro caſu. Ulterius; idem Concilium ſeſ. 13. cap. 4. ait: per conſecrationem panis fieri converſionem totius ſubſtantiæ panis in ſubſtantiam Corporis Chriſti, & ibi intercedit duplex mutatio: una privativa, cuius termini ſunt, videlicet, *à quo* eſſe panis, & *ad quem* non eſſe panis: alia eſt poſitiva, ſeu acquiſitiva, cuius termini ſunt, videlicèt, *à quo* non eſſe præſentiæ realis Corporis Chriſti, & *ad quem* eſſe talis præſentiæ.

80 Arguit. 2.: idem Concilium Trid. ait cauſam unicam formalem noſtrę juſtificationis eſſe gratiam, ſed, ſi in juſtificatione impij eſſent duæ mutationes, quarum una ſit acquiſitio juſtitiæ, & alia ſit expulſio culpæ, etiam eſſet duplex cauſa formalis noſtræ juſtificationis: ergo, &c. Prob. minor: ubi dantur duo effectus formales, dantur duæ formę, à quibus proveniant; ſed ſi in juſtificatione datur duplex prædicta mutatio, in juſtificatione eſt duplex effectus formalis, ſcilicèt, expulſio culpę, & renovatio animæ: ergo, &c. Reſpondeo negando min., & diſtinguendo mai. probationis: ubi datur duplex effectus formalis, uterque poſitivus, &c.; permitto maiorem: ubi datur duplex effectus formalis, unus poſitivus, & alter negativus, nego mai.: & è contra diſtincta min., negatur conſequentia. Patet ſolutio in omni mutatione de contrario in contrarium, nam ab eodem calore, tamquam ab unica forma, provenit, & calefacere ſubiectum, & expellere ab illo frigus, licet ſint duę mutationes & duo effectus formales; quia unus illorum eſt negativus. Permiſſum eſt, & non conceſſum, neceſſarias eſſe duas formas ad præſtandos duos effectus formales poſitivos, quia, ſi ſunt non adæquati, ſed inadęquati, poſſunt provenire ab eadem forma.

QUÆST.

QUÆST. QUARTA.

Quid sit in justificatione prius: an infusio gratiæ; an expulsio culpę?

81 HÆC difficultas locum habet, etiam apud negantes, geminam mutationem distinctam in justificatione: nam etiam isti negare non possunt, quod justificatio non est sola peccarum remissio, sed & sanctificatio, atque renovatio interior hominis. Unde affirmare coguntur ibi esse, & remissionem culpæ, & infusionem gratiæ, licet aliunde judicent unum physicè, & ex natura rei, ita esse connexum cum alio, ut nec per potentiam Dei absolutam possit stare remissio peccati sine infusione gratię, nec è contra. In qua sententia adhuc explicandum restat quem ordinem prioris, & posterioris servent inter se. Sane hic nobis est sermo de justificatione, prout defacto fit, in qua justificatione extra dubium est, remissionem culpæ moraliter, & ex divina ordinatione esse connexam cum infusione gratiæ, & è contra.

82 Et quidem non est quæst. de prioritate temporis, aut durationis, nam exercitium infusionis gratiæ, & remissionis culpæ perficitur in unico instante temporis. Ratio; si enim fieret in diversis instantibus, debebat mediare aliquod tempus, in cuius divisibili spatio unum ex his duobus contingeret, vel quòd anima nec peccatum, nec gratiam haberet, seu esset in puris naturalibus, vel haberet simul utrumque, quorum neutrum dici potest in præsenti providentia. Quare, dato, quod expulsio peccati sit posterior infusione gratiæ, non potest talis prioritas, & posterioritas intelligi de prioritate, & posterioritate temporis, sed naturę, quæ ad causalitatem sufficit. Ergo illud instans indivisibile temporis, in quo perficitur infusio gratiæ, & remissio culpæ, sic est intelligendum, ut sit extrinsecum, respectu peccati, quatenus de illo verificatur: nunc non est peccatum, & immediatè ante erat: & idem instans est intrinsecum respectu gratię; nam verificatur de illa: nunc est gratia, & immediate ante non erat.

83 Et quamvis prioritas naturę sit prioritas inter causas, & illarum effectus, loquendo de causalitate physica, quia tamen moralis oppositio intervenions inter gratiam, & peccatum, æquivalet oppositio-

ri phyſicæ, & ex natura rei, eo quod, ſicut illa, quæ opponuntur ex natura rei mutuò ſe expellunt ab eodem ſubiecto, ſic quæ opponuntur ex ordinatione divina mutuo ſe expellunt ab eodem ſubiecto. Ideo proportione ſervata ad cauſalitatem phyſicam loquendum eſt in præſenti quoad repugnantiam, & cauſalitatem moralem, una enim æquivalet alteri, & pariformitèr philoſophandum eſt de illis, ac de qualitatibus contrarijs phyſicis, v.g. de calore, & frigore.

84 Remiſsio culpę, & infuſsio gratię ait N. Doct. Subt. quæſt. ſepè citata, poſſunt comparari inter ſe in ordine ad voluntatem divinam, quæ eſt cauſa, tam infuſsionis gratię, quã remiſsionis culpæ, & hoc, vel in ordine intentivo, vel in ordine executivo: facta comparatione in ordine intentivo, gratia eſt prius volita, quia medium propinquius fini, quam non eſſe culpæ. E contra in ordine executivo; nam cum infuſsio gratiæ, & expulſio culpæ habeant interſe ordinem cauſalitatis, licèt non phyſicę, ſed moralis ex divina ordinatione; & ſint deinde duę mutationes, adinvicèm ſe inferentes, valet enim mutuò: eſt gratia: ergo non eſt culpa; non eſt culpa: ergo eſt gratia, quod dubitatur eſt: quænam ſit prior, ſeu quæ inferat à priori aliam? His ſuppoſitis, ſit noſtra

85 Concluſio: *in juſtificatione impij prius eſt gratiam infundi, quam culpam remitti; prius, inquam, prioritate naturæ, & ordine cauſalitatis moralis, adeo ut hæc cauſalis ſit abſolutè vera: quia gratia infunditur, ideo culpa expellitur.* Concluſio eſt omnium Scotiſtarum cum Doct. Subt. in 4. diſt. 16. quæſt. 2., & omnium Ieſuitarum, contra magis frequentem ſententiam inter Thomiſtas, aſſerentem, infuſsionem gratiæ eſſe priorem, & poſteriorem expulſione culpæ. Quæ ſententia ab ipſis cum varietate explanatur: nam quidam dicunt, quod ratione agentis infuſsio gratiæ eſt prior, ratione verò paſsi, ſeu mobilis expulſio culpæ eſt prior. Alij explicant eandem ſententiam docentes, infuſsionem gratiæ eſſe priorem in genere cauſæ formalis; & expulſionem culpæ eſſe priorem in genere cauſæ materialis. Contra hanc Thomiſt. ſententiam, quocumque modo explicatam, ſtat noſtra Concluſio, quę

86 Probatur 1. ex Trid. Concilio ſeſſ. 5. dicente: per gratiam tolli totum id, quod veram, & propriam rationem pecca-

peccati habet, ſubjungente, nos per eam veterem hominem exuere, & induere novum. Inſuper ſeſſ. 6. cap. 6. aſsignans cauſam formalem noſtrę juſtificationis, inquit, quod eſt juſtia, qua Deus nos juſtos facit, ſcilicet, gratia; ſed hęc omnia aperte probant infuſsionem gratiæ eſſe priorem expulſione culpę: erg. &c. Prob. minor: per gratiam non poteſt tolli peccatum, niſi ea ſit cauſa ablationis peccati. Item: per eam non poteſt exui vetus homo, & novus indui à nobis, quin Dei gratia mundemur à peccato. Demùm: non ſtat gratiam eſſe unicam cauſam formalem noſtræ juſtificationis, quin expulſio culpę ſit eius effectus: ergo in genere cauſæ formalis phyſicæ, vel moralis, ſecundum diverſa placita; ſed ſemel admiſſo, gratiam eſſe cauſam ablationis peccati, conſequens eſt, ut illius infuſsio prędedat prioritate naturæ ablationem culpæ; & ſic iſta eſt vera: peccatum expellitur; quia gratia introducitur.

87 Probatur jam Concluſio ratione, & ſimul fundamentum Contrariorum impugnatur; nam ideo expulſio peccati in juſtificatione eſſet prior infuſsione gratiæ, quia expulſio peccati ſe haberet veluti diſpoſitio ad gratiam in genere cauſæ materialis, etenim anima, peccato infecta, non poteſt recipere gratiam: unde debet pro priori purgari à peccato; ſed expulſio peccati non eſt diſpoſitio ad infuſsionem gratiæ: ergo, &c. Maior continet fundamentum Contrariorũ & minor patet ex Trid., quod ſeſſ. 6. cap. 6. ubi exprofeſſo agitur de diſpoſitione, ſeu prępparatione ad gratiam juſtificantem, nullatenus ait, expulſionem peccati eſſe talem diſpoſitionem. Accedit ex nuper dictis, quod ex eodem Concil. Trid., expulſio peccati eſt effectus in genere cauſæ formalis, & nequit eſſe proprie loquendo diſpoſitio ad formam, cujus eſt effectus: ergo expulſio peccati non eſt diſpoſitio ad gratiam. Verùm eſt, gratiam non recipi in anima peccato infecta, ſed ad hoc ſufficit, quod tunc cum gratia infunditur, culpa non reperiatur, quatenus videlicèt illud indiviſibile inſtans, in quo intelligitur primum eſſe gratiæ, ſit, & intelligetur primum non eſſe culpæ, uti ita defacto contingit in prępſenti.

88 Prob. Concluſio alia ratione: expulſio peccati eſt effectus ſecundarius gratiæ, ſicut proportionate loquendo expulſio formæ antiquę eſt effectus formæ de novo introduc-

tæ;

tæ; ſed effectus ſecundarius ſuponit primarium; immo implicat intelligere, hunc eſſe effectum ſecundarium ante primarium, quando quidem ab iſto procedit: & per ordinem ad eum talitèr denominantur: erg. expulſio peccati eſt natura poſterior effectu primario gratiæ: ergo etiam eſt poſterior natura gratiæ infuſione. Hæc conſequentia patet; nam omnibus fatentibus, effectus formalis primarius cujuſcumque formæ eſt ipſa forma, communicata ſubjecto. Maior principalis conſtat ex Concil. Trident., ſæpè afferente, quod juſtificatio integratur ex remiſsione culpę, & infuſsione gratiæ.

89 Adverſarijs familiare eſt, reſpondere per ſuam frequentem doctrinam, inquientes, expulſionem peccati eſſe ſimul priorem, & poſteriorem, cauſam, & effectum, reſpectu infuſsionis gratiæ: priorem quidem in genere cauſę materialis, & diſpoſitivè; & poſteriorem in genere cauſę formalis. Contra eſt primo, ex dictis in ſuperiori probatione ſecunda. Contra eſt ſecundo ex jam etiam ſuperius adductis circa eam quęſtionem: utrum ultima diſpoſitio ad gratiam juſtificantem ſit effectivè ab ea? Contra eſt tertio; nam Adverſarij, meo videri ex falſo principio diſcurrunt in hac materia; nempè, hanc eſſe bonam conſequentiam: hoc non eſſet, niſi eſſet illud: ergo hoc pendet ab illo tamquam à cauſa. Ex iſto enim principio, inferunt, expulſionem formæ antiquæ præcederè introductionem novæ, ſicut & expulſionem peccati eſſe priorem introductione gratiæ.

90 Cæterum principium illud facile convincitur eſſe falſum mille exemplis: nam forma materialis non eſſet niſi eſſet figura, color, &c.: ergo ab his omnibus à priori dependet, mala conſequentia. Et in præſenti materia talem doctrinam non poſſe retineri probatur ex Trident. ſeſſ. 6. cap. 11., docente, *Deum, ſua gratia ſemel juſtificatum, non deſerere, niſi ab eo prius deſeratur.* Ex quo ſic: quando per peccatum actuale expellitur gratia habitualis, peccatum non poteſt introduci, niſi expellatur gratia; atque adeo in aliquo ſenſu neceſſaria eſt expulſio gratiæ ad introductionem culpæ; ſed hoc non arguit mutuam prioritatem, & cauſalitatem inter expulſionem gratiæ, & introductionē culpæ, licet enim prior ſit introductio culpæ, quam expulſio gratię, non tamen è contra; nam alioquin pro illo priori verum eſſet, quod Deus prius deſerit ſua gratia ho-

mi-

minem, quam ab homine per peccatum deſſeratur : ergo à ſimili, licèt infuſsio gratiæ non poſsit eſſe ſine expulſione culpæ, non inde infertur, quod ſit natura prior introductione gratiæ.

91 Itaque ſicut gratiæ expulſio dependet à priori ab introductione peccati, non è contra, licèt utraque mutatio habeat neceſſariam connexionem adinvicem ſaltem defacto, ita ſuo modo diſcurrendum eſt de omnibus formis contrarijs, quod ſcilicèt, introductio formæ novę ſit natura prior, quam expulſio formæ antiquæ, non è contra. Benè verum eſt, quod ſi forma præcedens non recederet, forma ſubſequens non introduceretur, ſicut ſi gratia non expelleretur, peccatum non intraret, at hoc non arguit, expulſionem gratiæ eſſe priorem in aliquo genere cauſę, ſed neceſſariam connexionem, quam iſtæ mutationes habent inter ſe defacto, ratione cuius argui poteſt à negatione conſequentis ad negationem antecedentis, ut ſi arguas ſic : ſi non eſt fumus, non eſt ignis : ſi non eſt riſibile, non eſt rationale ; licèt nec fumus ſit prior igne, nec riſibilitas ſit prior rationalitate.

Satisfit argumentis Contrarijs.

92 ARguit. 1. ex Doct. Subt. in loco cit. pro Concluſione, ubi hęc habet verba : „ſicut dictum eſt „lib. 1. de Prædeſtinatione, prius „vult propinquius fini, & ita „ſimpliciter prius vult iſti poſt- „quam peccavit, gratiam, quam „non vindicare, ſcilicet, ex- „pulſionem culpæ, loquendo de „prioritate intentionis : Cœte- „rum in executione fit è con- „verſo. Sicut enim prius vult, „iſtum, ſcilicèt, prædeſtinatum „habere merita, quam habere „gloriam, ita prius vult ordi- „ne executionis, iſti non ineſſe „culpam, quam ineſſe gratiam. Iſta verba adeo ſunt clara pro prioritate expulſionis culpæ, relatè ad infuſsionem gratiæ, ut nullum dubitandi locum relinquant pro convincendo, noſtrā Conclu. contradicere Doct.

93 Negari non poteſt, hunc locum per ſe inſpectum independentèr ab alijs teſtimonijs Doct., magnam vim habere in noſtram ſententiam. Pro pleniori ergo intelligentia mentis Doct. placet eius contextum ordinatè apponere. Docet igigitur in 4. diſt. 17. quæſt. 2. §. *ad rationes oppoſitum*, in ſolutione ad ſecundum argumentum. Cuius ratio erat talis : *ſi ſit alia mutatio, hęc & illa* (intellige infuſsio gratię, & expulſio culpę) *ali-*

aliquem ordinem habebunt inter ſe prioris, & poſterioris :: ſed non eſſe ibi dare ordinem : ergo, &c. Cui rationi, ut ſatisfaciat, præmittit doctrinam Philoſophi ex 5. Metaphyſicæ cap. de *Priori*, docentis, *aliqua eſſe priora generatione, aliqua perfectione.* Via perfectionis perfectiora ſunt priora, quæ prioritates communiter è converſo ſe habent; nam via generationis imperfectiora ſunt priora. Ex quo infert, quod ſi expulſio culpę eſſet aliquod ens, infuſio gratię via generationis eſſet prior quam expulſio culpę: via autem perfectionis prior eſt infuſione gratię.

94 Deinde tranſitum faciens immediatè ad prioritatem conſequentiæ, prætermittit etiam, quod imperfectius eſt prius tali prioritate, & quod univerſaliter conſequens eſt imperfectius, quam antecedens. Patet in animali, reſpectu hominis: animal eſt prius ſecundùm conſequentiam, quam homo; nam valet: eſt homo: ergo animal; non e contra, quia animal eſt imperfectius, & conſequens. Ex quo ulterius deducitur, quod eo modo, quo eſſet conſequentia inter expulſionem culpę, & infuſionem gratiæ; non è converſo. Ubi acutè notandum, dictum à Doct., tam de prioritate, & poſterioritates via generationis, & perfectionis, quam de prioritate conſequentiæ reſpectu expulſionis culpę, & infuſionis gratię, non eſſe ab ipſo abſolutè prolata, ſed conditionatè, ſi nempè expulſio culpæ eſſet aliquod ens, & ſi inter hanc, & infuſionem gratiæ eſſet conſequentia. Iſtę conditiones in eius recepta ſententia non ſubſiſtunt; nam expulſio culpę eſt ablatio obligationis ad pœnam quę obligatio eſt quid morale; & ex eodem ibidem gratia, & culpa non ſunt ſimpliciter oppoſita ex natura extremorum, ſed ex inſtitutione divina ſequitur introductio unius ad remotionem alterius, ut accidit in oppoſitis immediatis ſecundùm ſe.

95 Convincitur hoc ex his, quæ immediatè ſubiungit Doct. inquiens : *ſed utrum gratiam ſequatur expulſio culpæ dubium eſt, cum non ſint formaliter oppoſita* ; ubi non nullis interpoſitis, proſequitur: *ſaltèm quomodocumque ſint oppoſita magis videtur formalis conſequentia ad in eſſe gratiam, non eſſe culpam, quam è converſo; quia in ſecundo antecedens nullo modo ponit conſequens.* Ex quibus deducuntur duo. Primum, peccatum, & gratiam non opponi formaliter. Secundum, quod data aliqua oppoſitione in-

inter ea, scilicèt, morali, adhùc Doct. absolutè non affirmat prioritatem inter ea, licèt videatur, magis inclinari in prioritatem gratię.

96 Deinde immediatè etiam loquens de prioritate causalitatis inter prædicta extrema, subdit: *sed si quæratur de prioritate causalitatis inter ista? Respondeo, non est quæstio. Neque enim ista negatio obligationis, quæ non est, nisi negatio entis rationis, causa est gratiæ, neque è contra, sed sola voluntas divina ex sua justitia determinat illam obligationem, & ex misericordia non obligationem.* Hinc jam patet intentum Doct. in hucusque dictis, tantum esse negare ordinem generationis, & causalitatis physicæ inter expulsionem culpæ, & infussionem gratię; non tamen negat ordinem causalitatis moralis, nam, licet pro expresso eam in præsenti non dicat, satis est, quod eam non neget, & deducatur manifestè ex alijs locis.

97 Secundo, quando à Doct. dicitur, *neque expulsionem culpæ esse causam gratiæ, neque è contra, sed solam voluntatem divinam*, esse sermonem de causa efficienti. His præmissis, demum quærit Doctor: quem ordinem habeant gratia, & non culpa, ut sunt objecta secundaria divinæ voluntatis? Ad quod respondet per illa verba quæ sunt materia argumenti, in quibus, ut ad sensum patet unicè loquitur Doct. de expulsione culpæ, & infussione gratiæ, ut sunt objecta divinæ voluntatis. Nec ordo ibi à Doct. prefixus, tollit, quod infusio gratiæ sit prior prioritate naturæ, & causalitatis moralis expulsione culpæ.

98 Ratio est; quia infussio gratię non est finis dependens ab expulsione culpæ, tamquam à medio proprie, & in rigore sumpto, sed tamquam á remotione impedimenti secuta ex infusione gratiæ; ad modum quo forma substantialis dependet à dispositionibus consequentibus, quarum est finis, & tamen fit prius natura, quam illæ. Hinc deducitur, quod, licet Doctor explicet ordinem, quem habent gratia; & non culpa in divina voluntate, recurrendo ad ordinem, quem habent media, scilicèt, merita, comparata cum gloria, tamen paritas hæc non tenet quoad omnia; tum, quia merita habent rationem medij, respectu gloriæ; expulsio autem culpæ potius est effectus secundarius infusionis gratiæ, & non illam antecedit. Unde paritas illa tenet solùm quoad ordinem, quem gratia, & non

cul-

culpa habent perfectionis, & imperfectionis.

99 Et quidem non esse de mente Doctoris, objecta, de quibus nunc, eundem ordinem servare, qualē servant merita comparata cum gloria, & econverso, manifeste ex eius dictis appareret; nam, cum in actibus divini Intellectus, & Voluntatis non assignetur ordo prioris, & posterioris, nisi per ordinem ad objecta, ad quæ divinus actus fertur, secundùm ordinem, quem inter se servant ex natura rei, & cum aliundè Doct. in loco, de quo nunc agitur aperte dicat, inter infusionem gratię, expulsionem culpæ nullum esse ordinem physicum, sivè causalitatis, sivè generationis, fit consequens, si sibi non contradicat suam mentem non esse, dari eundem ordinem prioris, & posterioris inter expulsionem culpæ, & infusionem gratiæ, ac inter merita, & gloriam.

100 Quare concludendum est, quod, licét in loco, de quo nunc aliqualitèr teneat Doct. nostram sententiam per illa verba jam super posita: *saltem quomodocumque sint oppositа* (intellige gratia, & non culpa) *magis videtur formalis consequentia ad in esse gratiam non in esse culpam, quàm è converso; quia in secunda, antecedens nullo modo ponit consequens*: nihilominús, quia iste locus est satis anceps: ideo aliundè est auspicanda mens Doctoris. Ista loca certa sunt tum in 2. dist. 37. q. unica, ubi docetur, peccatum non posse effectivè corrumpere gratiam, sed tantum demeritoriè; ita quod voluntas humana prius avertit naturalitèr, quam Deus cesset conservare gratiam. Tum in 4. dist. 1. q. 1. inquit Doct., quod anima peccans demeretur, quod gratia non conservetur in ea, & sic in secundo instante naturæ propter tale demeritum precedens, Deus non conservat gratiam. Quorum verborum vis est: sicut se habet peccatum in expulsione gratię, ita gratia se habet in expulsione culpę; sed ut patet ex Doctore peccatum in expulsione gratiæ est natura prius: ergo, &c. Protraxi calamum in solutione huius argumenti, ut videatur, quo fundamento tam clara Doct. verba non sint contra assertionem nostram.

101 Arguitur 2.: si expulsio peccati est posterior infusione gratiæ, prius erit gratia in anima, quam expellatur peccatum: ergo in illo priori erunt simul peccatum, & gratia. Consequens est falsum: ergo & falsum est antec., ex quo sequitur. Aliter proponitur eadem difficultas: eo infusio

gra

gratię ponitur prior, quam expulsio peccati, quia expulsio peccati est effectus formalis secundarius gratię; sed hoc non: ergo, &c. Prob. min.: gratia non potest operari, nisi prius sit posita extra suas causas, atque adeo nisi sit in subiecto: ergo per prius debet intelligi, esse in subiecto, quam peccatum expellat: ergo pro illo priori simul intelligerentur gratia, & peccatum: ergo vel admitti debet talis simultas, quam omnes Theologi fugiunt, vel expulsio peccati non est effectus secundarius gratiæ, nec ipsa posterior. Ad hoc argumentum sub prima forma nego consequentiam, quia in eo instanti reali, in quo gratia incipit intrinsicè, peccatum desinit extrinsicè, & primum esse gratię est primum non esse culpę.

102 Nec dicatur, quod licèt pro nullo instanti temporis sint simul peccatum, & gratia, saltem in aliquo priori naturæ simul essent; quia in illo priori, in quo gratia intelligitur infusa, nondum culpa intelligitur remissa. Nam contra est, quia hæc instantia habet locum in contraria sententia; data enim ea, sequitur non minus inconveniens, quam contra nos urgent Adversarij. Si namque prior est expulsio culpæ, quam infusio gratiæ ergo pro illo priori non est culpa; neque est gratia. Si dicas, in illo eodem instanti, in quo deest culpa, gratiam esse. Contra est: ergo saltem pro illo priori naturæ, pro quo culpa expellitur, sunt simul absentia culpę, & absentia gratiæ; nam pro illo priori nondum intelligitur gratia infusa. Ecce æquale inconveniens solvendum à Contrarijs.

103 *Resp.* ad replicam immediatam, negandum esse, in illo priori naturæ simul esse gratiam, & peccatum. Existentia enim, vel coexistentia formarum, vel quasi formarum non explicatur, nec mensuratur per instans naturæ, sed temporis; per instans naturę tantum significatur dependentia posterioris à priori, vel talis præsuppositio unius ab alio, ut illud, quod est natura prius, possit concipi, posteriori non concepto, & sic est in proposito. Idem dicendum est de denominatione amici, Deo grati, & aliarum, quas gratia præstat, si de illis obstendatur, jam adesse in illo priori, in quo est infusio gratiæ, & nondum intelligitur expulsio culpæ.

104 Ad idem argumentum propositum sub alia forma. rego min. Ad probationem,

conceſſo enthimemate, nego inde illatam conſequentiam. Ratio eſt; quia, ut gratia peccatum expellat, non eſt opus, quod illud in ſubjecto inveniat, ſed ſufficit, ſi conjungatur ei per ſucceſſionem, & expulſionē, non verò per ſimultatem; adeo ut cum primo ponitur gratia, primo tollatur culpa, & primum eſſe gratiæ ſit primum non eſſe culpæ, ut communiter docetur ab Scotiſt. in Philoſophia circa introductionem novæ formæ, & expulſionem antiquæ. Et ratio generalis eſt, quia forma non expellit privationem, vel formam oppoſitam per aliquam formam exercitam in illam; nam eadem actione, qua nova introducitur, antiqua expellitur, nec talis expulſio exercetur per phyſicum, & mathematicum contactum; ſed, hæc pugna, & expulſio in eo ſiſtit, quod quando una introducitur, vetus deſinat.

105 Dices, falsò in ſolutione aſſeri non eſſe diverſam actionem, qua forma vetus expellitur, & qua nova introducitur; nam iſtę actiones poſſunt ſeparari, ut patet quoties, forma expellitur à ſubjecto ſine introductione novæ formæ. Reſp., quod, cum formalitas actionis in eo conſiſtat, quod ſit alicujus productio, non autem pura, ac mera deſtructio, non eſt diſtincta actio illa, qua una forma introducitur, & alia expellitur; alioquin daretur actio mere deſtructiva: quod implicat. Et quamvis poſsit Deus expellere formam à ſubjecto ſine alterius introductione, non inde ſequitur, talem expulſionem exerceri per actionem, & influxum; unde Deus ſolum ceſſando ab influxu, quo formam conſervabat, non autem aliquid producendo, expelleret formam pro caſu non introductionis alterius.

106 Arguit. 3.: dum homo juſtificatur, tranſit à peccato ad gratiam: ergo expulſio peccati eſt prior infuſione gratiæ. Prob. conſeq.: terminus *à quo* motus, ut provenientis ab agente, eſt prior termino *ad quem*; quia ab illo motus incipit, ut ad iſtum tendat; ſed expulſio peccati eſt terminus *à quo*, gratia verò terminus *ad quem*: ergo, &c. Nota pro ſolutione inter terminos motus duplicem poſſe reperiri ordinem prioris, & poſterioris, juxta duplicem motus acceptionem. Si enim motus concipiatur, ut fit in argumento, per modum cuiuſdam tranſitus, prior occurrit terminus *à quo* repellendus, quam terminus

nus *ad quem*, acquirendus, ſiquidem res, ut ad aliquem terminum accedat, neceſſe eſt recedere ab illo termino, in quo reperitur; ſi verò motus conſideretur per modum alitèr habitionis nunc, quam prius, tunc prius occurrit terminus *ad quem*, ratione cujus res aliter ſe habet, quam terminus *à quo*.

107 Verum à parte rei ita res ſe habet, quod ſi ſermo ſit de termino *à quo* per ſe, & primo, qui eſt privatio, ſic expulſio termini *à quo*, nec præcedit, nec ſubſequitur acquiſitionem termini ad quem, ſed ſunt omninò ſimul natura; immo abjectio unius eſt formaliſſimè acquiſitio alterius, ſiquidem expulſio privationis eſt formalitèr adventus formæ. Ideo in privativè oppoſitis, nec divinitùs poteſt fieri, formam eſſe in ſubiecto, & privationem non recedere. Si verò ſit ſermo de termino *à quo* per accidens, & concomitanti, qualis eſt quævis forma in ſubjecto præinventa, & tunc excluſio termini *à quo* diſtinguitur ab acquiſitione termini, quia hi termini non ita immediatè opponuntur, quaſi non eſſe unius, formalitèr ſit eſſe alterius. Unde, & Deus conſervare poteſt talem terminum *ad quem*, cum tali termino *à quo*, ſcilicèt, formam novam cum veteri, & cum alio, quod formę introducendæ non opponitur formalitèr privativè, ut eſt peccatum cum gratia. In hoc ſenſu abiectio termini *à quo* non precedit, ſed ſubſequitur introductionem termini *ad quem*. Ad formam argumenti, conceſſo antec.; diſting. conſequens: expulſio peccati eſt prior, hoc eſt, concipitur prius, ſi motus in ratione tranſitus conſideretur, conc. conſeq.: ſub alia conſideratione, jam dicta, nego conſeq. Ad probationem neganda eſt maior; nam ſi loquatur de termino *à quo* per ſe, & primo, eſt ſimul natura cum termino *ad quem*, ſi verò loquatur determino *à quo* per accidens, & concomitanti, eſt poſterius.

108 Arguit. 4.: nullus eſt effectus poſitivus, & primarius in gratia, ratione cujus competat ei, ut effectus ſecundarius, expulſio culpæ: ergo non eſt illius effectus. Antec. patet, ſupra ubi diximus, hujus effectum primarium, & poſitivum eſſe hominem ſpiritualitèr decorare, atque in Dei amorē inclinatā facere; at iſte effectus non ordinatur ad expulſionem culpæ, tamquam effectum ſecundarium: ergo, &c. Reſp. diſting. antec.: nullus eſt effectus, &c., phyſicè, & ex natu-

tura rei, tranſeat antec. : moraliter, & ex divina ordinatione, nego antec., & conſeq. In gratia non ſolum aſsignatur effectus phyſicus, ſed etiam effectus ipſius moraliter, & ex divina ordinatione, ut ſunt, reddere ſubjectum ſanctum, juſtum, &c. qui omnes ſaltem moraliter exigunt expulſionem culpę pro ſecundario, & negativo effectu.

109 Replicabis : gratia non tribuit tales effectus niſi ut conjuncta cum carentia peccati ; unde antecedenter ad remiſsionem eius non intelligitur homo juſtus, &c. ; ſed in his omnibus includitur carentia, & expulſio peccati : ergo non poterit eſſe eius effectus ſecundarius. Diſtinguo ultimum antec. : ſed in his omnibus effectibus includitur carentia peccati, hoc eſt, pertinet ad tales effectus, tamquam removens, prohibens illorum efficatiam, conc. antec. ; hoc eſt, quia carentia peccati poſitivè conducat ad tales effectus exercendos, nego antec. & conſequentiam. Sanè non conducere poſitivè ex eo patet, quia in ſtatu puræ naturæ daretur in homine carentia peccati, nec ideo homo diceretur ſanctus, juſtus, &c. ſicut modo dicitur per gratiam.

110 Replicabis adhuc : ſi carentia peccati pertinet ad hos effectus, ut removens, prohibens, eorum efficatiam : ergo debet præcedere illos, & non ſequi. Prob. conſeq. : nam eo frigus, & humiditas tolluntur a ligno antecedenter ad introductionem formæ ignis, quia obſtant tali introductioni: ergo à ſimili. Nego conſeq. Non omnia obſtantia, & impedientia aliquem effectum removentur ſemper antecedenter ad illum, ſed interdum concomitanter, & conſequenter. Cernitur hoc in exemplo allato ; prius enim tollitur, antecendenter ad introductionem ignis : verum non ſecundum illum gradum neceſſarium pro conſervatione formæ ligni ; hic enim gradus, ſicut & forma ligni tollitur ad ingreſſum formę ignis : hoc modo eſt in propoſito ; peccatum enim non antecedenter, ſed ſubſequenter tollitur per dictos effectus poſitivos gratię.

111 Arguit. 5. : nam Trident. ſeſſ. 6. cap. 7. ait : *juſtificatio non eſt ſola peccatorum remiſsio, ſed & ſanctificatio*, & paulò infrà : *unde in ipſa juſtificatione cum remiſsione peccatorum hæc omnia ſimul infuſſa accipit homo*, &c. Ubi cum prius ponatur remiſsio peccatorum, quam ſanctificatio, & gratiæ infuſsio, ſignum erit,

ita

ita evenire in juſtificatione peccatoris. Si hoc argumentum aliquid probaret, probaret etiam, remiſsionem peccati præcedere ſanctificationem, ita ut ab hac non procederet, nec eius virtute peccatum remitteretur, quod ſanè dici nequit, cum gratia ſit forma remiſsiva peccati, & unica cauſa formalis noſtræ juſtificationis, dicentis utrumque, tam remiſsionem culpæ, quam ſanctificationem, & renovationem. Hoc ſolum, & non aliud eſt intentum Concilij. Abſque ullo prorſus myſterio ponitur ibi prius peccati remiſsio, quam ſanctificatio, cum ibi non curet de prioritate, & poſterioritate inter talia obiecta, ſed contra hæreticos definiat, in juſtificatione non dari ſolam peccatorum remiſsionem abſque intrinſeca ſanctificatione.

QUÆST. QUINTA.

An ſine diſpoſitione ex parte peccatoris poſsit remitti per infuſionem gratię illius culpa?

112 UT certum ſupponendum venit, retractationem peccati, ſeu diſpoſitionem aliquam ex parte peccatoris defacto eſſe neceſſariam ad obtinendam gratiam juſtificationis, ut patuit ſupra ex Trident., contra Sectarios ſtatuente, ad juſtificationem peccatoris requiri motum aliquem liberij arbitrij, quo ad gratiam juſtificantem ſe diſponat. Supponendum eſt ſecundo, quęſtionem procedere de ſolis adultis; nam parvuli abſdubio juſtificari poſſunt, ac defacto juſtificantur per gratiam, in baptiſmo receptam ſine ullo motu voluntatis eorum. Unde ſenſus quæſtionis eſt: utrum diſpoſitio in præſenti providentia neceſſario requiſita, ut adultis peccatoribus gratia infundatur, & mortalis culpa expellatur, ita eſſentialiter requiratur, ad iſtum effectum obtinendum, ut ſine illa, adhuc de potentia Dei abſoluta haberi non poſſit juſtificatio? Sit noſtra

113 Concluſio: *abſque ulla diſpoſitione ex parte peccatoris poteſt Deus de potentia ſua abſoluta remittere mortalem culpam, infundendo gratiam.* Ita Doct. Subt. in 4. diſt. 14. q. 1. §. *de ſecundo articulo*, quem ſequuntur Scotiſtæ, & Jeſuitæ cum aliquibus Thomiſtis contra alios. Prob. concluſio ratione, & primo ſic: voluntas

Dei

Dei eſt infinitè magis efficax & magis clemens, quam voluntas creata; ſed voluntas creata poteſt remittere offenſam abſque ulla retractatione offendentis, vel formali, vel virtuali: ergo diſpoſitio ex parte peccatoris non eſt ita eſſentialiter requiſita, ut de potentia abſoluta Dei non poſsit diſpenſari in juſtificatione impij. Minor præterquamquod conſtat in D. Stephano, Deum exorante pro lapidantibus, & in Chriſto Dño. ad illa verba: *Pater ignoſce illis, quia neſciunt, quæ faciunt*, conſtat ulterius ex illo Salvatoris ad Diſcipulos: *ego autem dico vobis, diligite inimicos veſtros, benefacite his, qui oderunt vos.* Unde monet nos Chriſtus non expectare pœnitentiam, vel retractationem illorum, qui malũ adverſus nos operati ſunt: immo docet oppoſitum, ut in hoc Patrem Cœleſtem imitemur, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos; ſed hoc præceptum eſſet inutile, niſi voluntas creata poſſet offenſam condonare, abſque omni offendentis actu: ergo quia poteſt ſic condonare.

114 Nec vis huius rationis infringitur ex eo, quod cum Deus remittit peccatum, remittit, non ſolum culpam, quę conſiſtit in tranſgreſsione legis, ſed etiam modum ſatisfaciendi; cæterum homo remittens alteri offenſam, non remittit culpam, cum non ſit ſupra legem, ſed tantum debitum ſatisfaciendi, quo ſublato, adhuc manet in offendente culpa, apud Deum luenda. Non, inquam, infringitur: primo, quia ſi homo eſſet ſupra legem, poſſet remittere utrumque, nempè, & debitum ſatisfaciendi, & offenſam ſine retractatione offendentis: ergo cum Deus ſupra legem ſit, poterit utrumque remittere, nulla expectata retractatione. Secundo, quia tranſgreſsio legis, in qua peccatum conſiſtit eſt actus phyſicè pręteritus, non manens, niſi moraliter in obligatione, ſivè reatu ad pœnam; ſed iſte reatus poteſt ab offenſo, & creditore remitti abſque omni actu voluntatis debitoris, ſeu offendentis: ergo, &c.

115 Prob. 2. Concluſio convellendo principale fundamentum Adverſariorum: tota repugnantia, cur peccatum remitti non poſsit ſine retractatione peccatoris, oritur, ſecundum Contrarios ex voluntate peccantis, quæ immota manens, videtur repugnare remiſsioni, & videtur, Deum non poſſe peccatum remittere, quandiú peccator vult illum offendere; ſed voluntas pec-

ca-

catoris, tranſacto actu peccati, nullo modo repugnat remiſsioni; cum talis voluntas actu non ſit: ergo, &c. Maior eſt doctrina Adverſariorum. Prob. min., præcavendo illorum ſolutionem: eo ipſo, quod homo ceſſat ab actu peccati, ſive habituale peccatum jam non eſt ei voluntarium actualitèr, ut eſt manifeſtum, neque eſt voluntarium virtualitèr; quia tale voluntarium non eſt ſine aliquo voluntario actuali, in quo illud contineatur; nec denique eſt voluntarium interpretativè, nam ſic dicitur voluntarium illud, quod quis poteſt, & tenetur facere, & non facit: ergo ad ſummum erit voluntarium cauſalitèr, & quidem morali modo; ſed quod hoc modo eſt voluntarium independenter à voluntate habentis, auferi poteſt, & maximè à Deo ergo voluntas peccantis nullo modo repugnat remiſsioni ſui peccati habitualis.

116 Prob. min.: ſi peccatum habituale tantum eſt voluntarium cauſalitèr, & quodam morali modo, ſolum poteſt dependere à voluntate dependentia, qua dependet votum, matrimonium, profeſsio Religioſa, & alij contractus humani, qui omnes moralitèr, & habitualitèr permanere dicuntur, quatenus perſeverant in obligatione, ex actu vovendi, & contrahendi relicta; at certum eſt, poſſe diſsolvi à ſolo Deo, independentèr à voluntate voventis, & contrahentis votum, matrimonium, & profeſsionem Religioſam, cum iſtæ obligationes maneant, & diſsolvi nequeant à voluntate creata, quantumcumque interveniant actus retractativi: ergo quod modo ſupradicto eſt cauſalitèr moralitèr voluntarium, à ſolo Deo eſt auferibile.

117 Nec ſatisfacit dicere, peccatum habituale voluntarium eſſe virtualitèr moralitèr, licèt non virtualitèr phyſicè, indeque provenire, quod peccatum in homine conſervetur, donec ipſum retractet, non per phyſicum influxum, ſed per voluntariam non retractationem. Non, inquam, ſatisfacit; nam ratio voluntarij, reperta in peccato habituali, quomodocumque nuncupetur, alia eſſe non poteſt, quam ratio voluntarij habitualitèr, & cauſalitèr, quatenus macula, quę relinquitur, tranſacto actu, orta eſt ex culpa actuali, quę actu voluntaria fuit; ſed talis ratio voluntarij in peccato non obſtat ejus remiſsioni ſicut quominùs independentèr à voluntate creata, poſsit voluntas divina diſsolvere votum, matrimonium, &c., quæ pari ratione ſunt volun-

luntaria : ergo , &c. Præterea: peccatum conſervari in homine, donec retractet illud, poteſt intelligi dupliciter. Primo, defacto, & prout ſic, eſt certum ; voluntariam non retractationem eſſe cauſam permanentiæ peccati, vel ſaltem conditionem aliis permanentiæ; Deus ſiquidem defacto non infundit gratiam, nec culpam remittit abſque retractatione peccatoris. Verum de hoc non diſputamus nunc.

118 ſecundo poteſt intelligi, peccatum in homine conſervari, donec retractetur ſimplicitèr, & abſolutè; adeo ut non retractatio ſit adæquata cauſa permanentiæ culpæ, & hoc ſine fundamento dicitur, quia inde ſequeretur, quod poſita voluntaria retractatione, ſtatim peccatum expelleretur; ſed hæc ſequela eſt falſa, cum ejus oppoſitum cernatur in homine, deteſtante peccatum per ſupernaturalem attritionem, & non ſuſcipiente Sacramentum, in quo peccatum durat cum macula, non ſecùs, ac ſi nullatenùs retractaret : ergo, &c.

119 Prob. 3. concluſio: peccatum habituale tolli poteſt ſine illo, quod non eſt de ejus eſſentia, nec conditio, ſine qua non, omninó neceſſaria ad illius permanentiam; ſed carentia retractationis non eſt de peccati eſſentia, nec conditio ſine qua non abſolutè neceſſaria, ut peccatum duret : ergo tolli poteſt abſq. retractatione. Minor habet partes probandas; & quidem quoad primam conſtat ex jam dictis, ubi de peccato habituali. Prob. ergo quoad ſecundam : retractatio non eſt conditio abſolutè neceſſaria, ut peccatum deſtruatur : ergo nec carentia retractationis erit neceſſaria, ut conditio, ſine qua non, ut peccatum permaneat. Prob. antec. : illud, quod tantum ſe habet ut diſpoſitio, & quidem, non phyſica, ſed moralis, ad remiſſionem peccati, non poteſt eſſe conditio abſolutè neceſſaria ad talem remiſſionem ; ſed retractatio ſivè contritio ex ſola Dei lege eſt diſpoſitio ad obtinendam gratiã, & remiſſionem culpę, ut conſtat ex quæſt. 1. Diſput. 2. hujus Tract. : ergo, &c. Prob. mai. : nulla eſt diſpoſitio, præcipuè ex lege Dei requiſita, ſine qua non poſsit Deus introducere formam, nec facere id, ad quod talis diſpoſitio deſervit ; ſed, quod ſic ſe habet, non eſt conditio abſolutè, & ſimplicitèr neceſſaria : ergo, &c.

120 Prob. 4. Concluſio : parvulis remittitur in baptiſmo originale peccatum abſque ullo actu proprio, retractativo illius: er-

ergo talis actus non est absolutè necessarius, ad peccati remissionem. Patet consequentia: quia si semel constat, peccatum deleri per infusionem gratiæ, tametsi non retractetur, qua ratione non poterit idem fieri à Deo in omni eventu, & consequenter cum adulto? Certè nulla; quia quantum ad hoc eiusdem rationis videtur macula, ex peccato actuali derelicta, ac macula originalis derivata ex peccato primi hominis. Non dicas, esse disparem rationem inter peccatum originale, & personale; nam originale non est contractum propria voluntate, sed aliena, ideoque solum dicit gratiæ privationem, & si aliquam permanentiam moralem importat ratione primi capitis, scilicèt, Adami, tollitur etiam in Adamo, quatenùs iste retractans suum peccatum personale, retractavit etiam quantum erat in se in posteris pro illo tempore, quo gratiam reciperent. Vel, si hoc non sufficit, dicatur, talem retractationem fieri à Christo capite nostro morali, hoc autem non habet peccatum personale, ut pote propria voluntate contractum.

121 Contra est; quia hæc solutio viam aperit doctrinæ, non benè audienti apud Theologos. Arguo sic: si parvulis non remittitur originale absque retractatione Adami, vel Christi, nostri capitis moralis, sequitur, & evidentèr, necessariam fuisse ad justificationem parvulorum detestationem peccati eiusdem Adami, cui voluntarium fuit illud peccatum, vel fuisse absolutè necessarium actum liberum Christi Dñi., terminatum ad retractationem peccati, ut istius redemptio intelligeretur; sed certum est, potuisse Deum de potentia absoluta parvulos, & unumquemque hominem à peccato originali liberare etiam si nullius, nec Adami, nec Christi, retractatio intercessisset; ergo nec etiam ad remittenda peccata personalia erit simpliciter necessarius.

122 Ultimò prob. Conclus. ex doctrina, apud Nostros communi, de constitutione peccati habitualis; nam, juxta eam, transacto actu peccati, nihil manet in peccatore, quod ipsum talem denominet, nisi reatus, obligatio, & dignitas satisfaciendi per modum cuiusdam debiti, & moralis indignitatis, seu vilitatis personæ, quatenùs peccando, Deo intulit injuriam, quam in se retinet, quandiù non posuerit debitam satisfactionem; sed debitum, etiam voluntarie contractum,

poteſt à perſona offenſa, ſeu à creditore remitti, independenter à voluntate debitoris: ergo id, in quo remanet peccatum actuale præteritum, poteſt auferri ſine voluntate peccatoris. Nec huic rationi ſatisfacit dicere, diſtinguendum eſſe debitum, alterum dependens moraliter à voluntate debitoris, atque hoc tolli nequit ſola voluntate creditoris, quia, cum iſta voluntas nequeat tollere moralem dependentiam meriti à voluntate debitoris, ita nec debitum, in ea fundatum, relaxare. Huiuſmodi eſt debitum, contractum ex actu peccati, non retractato. Alterum eſt debitum procedens ex ſola voluntate creditoris, & hoc ſine debitoris voluntate auferri poteſt; tale eſt debitum, quod ex voto reſultat, quod quidem ceſſare poteſt per ſolam non acceptationem eius, in cuius obſequium fit.

123 Non, inquam, ſatisfacit; nam falſum eſt, quod etiam debitum primi generis nequeat tolli abſque voluntate debitoris. Obligatio enim, & debitum, quomodocumque contractum, æque extinguitur, ſive per ceſſionem juris, ſive per condonationem, factam à creditore, ut paſſim in humanis cernitur; benè verum eſt, deſiderari ad hoc conſenſum aliquem ex parte debitoris; verum hic conſenſus ſufficit, ſi ſit tacitus, & interpretativus, qui, cum ſemper intervenire cenſendus ſit in his rebus, quæ in magnam hominum utilitatem cedunt, non eſt, cur in noſtro caſu negetur: & ſi enim homo nullum habeat actum, quo formaliter, vel virtualiter retractet peccatum, dum tamen non reſiſtit actu, vel virtualiter, cenſendus eſt, habere tacitam voluntatem, ut ſibi dimittatur peccatum.

Reſpondetur argumentis.

124 Arguitur 1. ex Concil. Trid. cap. 7. Seſſionis 6., dicente: *cauſa formalis noſtræ juſtificationis eſt voluntaria ſuſceptio gratiæ*; ſed per ly *voluntaria ſuſceptio* nequit non intelligi aliquis motus voluntatis: ergo ſine illo nequit ſtare juſtificatio. Reſp. concedendo totum ſyllogiſmum ad mentem Concilij, & quin obſtet noſtræ Concluſioni. Concilium loquitur non de poſsibili, ſed prout eſt de facto, & in iſta providentia; in qua eſt fide certum, quod nequit ſtare juſtificatio impij ſine aliqua diſpoſitione, ſeu actu retractativo ex parte ipſius peccatoris.

Re-

225 Replicabis: Concil. definiens cauſam formalem noſtræ juſtificationis, ait, eſſe voluntariam ſuſceptionem gratiæ, ſed per voluntariam ſuſceptionem gratiæ datur intelligi aliquis motus voluntatis; ergo motus voluntatis ingreditur neceſſario in cauſa formali noſtræ juſtificationis. Nunc ſic: ſed cauſa formalis alicuius effectus ita eſt neceſſaria, ut nec de potentia Dei abſoluta poſsit eſſe effectus ſine illa ergo ſine motu ex parte peccatoris, nec de potentia Dei abſoluta ſtare poteſt ejus juſtificatio.

126 Huic replicæ triplicitèr poteſt reſponderi. Primo, permittendo totum ſyllogiſmum, & diſtinguendo min. ſubſumptam: ſed cauſa formalis alicuius effectus ita eſt neceſſaria, ut nec de potentia Dei abſoluta poſsit eſſe effectus ſine illa, ſi cauſa formalis ſit phyſica, & ex natura rei, conc.: ſi talis ſit moraliter & ex divina ordinatione, nego min. Gratia non juſtificat ex natura rei, ſed ex ordinatione divina: unde argumentum ad ſummum probat, quod ſtante præſenti ordinatione, ſeu præſente providentia, non poteſt peccatori remitti culpa, & infundi gratia ſine motu libero ex parte ipſius.

128 Reſp. 2. falſum eſſe, peccatoris retractationem voluntariam eſſe cauſam formalem juſtificationis. Hoc patet ex ipſo Concil., enumerante diſpoſitiones cap. 6. ſeſſ. 6. per hæc verba: *illum* (ſupple Deum) *tamquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipiunt, ac propterea moventur adversùs peccata per odium aliquod, & deteſtationem, hoc eſt, per eam pœnitentiam, quam ante baptiſmum agi oportet.* In quibus verbis peccatoris retractatio à Concilio ponitur inter diſpoſitiones prævias ad obtinendam juſtificationis gratiam. Proſequitur Concilium, & cap. 7. immediato ait: *hanc diſpoſitionem, ſeu præparationem juſtificatio ipſa conſequitur*: unde idem, quod prius. Nec contra hoc ſtat, quod Concilium dicat juſtificationem fieri per voluntariam ſuſceptionem gratiæ, & donorum. Nam, ſicut Contrarij dicunt ſuſceptionem aliorum donorum à gratia non eſſe formam juſtificantem, ſed tantum connexivè, ita dicitur à nobis, illam particulam *voluntariam* non eſſe formam juſtificantem, ſed tantum diſpoſitionem, incluſſam in præparatione hominis, quæ voluntaria eſt. Accedit, quod, ſi particula *voluntariam* eſſet, ſaltem partialiter forma juſtificans,

cans, parvuli, qui, recipientes baptiſmum, voluntariè non diſponuntur ad gratiam, ſequeretur, quod non juſtificarentur.

128 Reſp. 3., & quidem magis ad præſens inſtitutum diſting. mai.: Concilium ait, cauſam formalem noſtræ juſtificationis eſſe voluntariam ſuſceptionem gratiæ, voluntariam, inquam, ſaltem interpretativè, permitto: alitèr voluntariam, nego mai.; & ſic diſtinguantur aliæ propoſitiones. Certum eſt, quod defacto ad noſtram juſtificationem requiritur actus formalitèr voluntarius, qui præparet, & diſponat animam ad gratiam juſtificantem recipiendam. In caſu autem, in quo de potentia Dei abſoluta gratia reciperetur ſine ulla prævia diſpoſitione, voluntaria foret ſuſceptio gratiæ, ſaltem interpretativè, quatenùs homo, etiam tunc, cenſeretur habere tacitam voluntatem, ut ſibi peccata dimittantur, & reſtituatur ad divinam amicitiam, per peccatum amiſſam. Ulterius dici etiam poteſt, ſuſceptionem gratiæ, in tali hypoteſi, eſſe voluntariam negativè, quia etiam tunc gratia habitualis reciperetur in homine, actu non reluctante.

126 Arguit. 2.: ſi peccatum habituale poteſt remitti abſque actu retractativo, etiam poſſet remitti pro inſtanti, pro quo committitur; ſed pro inſtanti, pro quo peccatum committitur, adhùc de potentia Dei abſoluta non poteſt remitti: ergo, &c. Prob. mai.: eatenùs peccatum habituale remitti poteſt abſque retractatione peccatoris, quatenùs homo offenſus poteſt remittere offenſam abſque eo, quod offendens pœniteat (quod potiori ratione dicendum eſt de Deo, qui eſt infinitè clementior), ſed etiam homo poteſt remittere offenſam dum actu fit: ergo, &c. Maior eſt prima ratio probativa noſtræ Concluſionis. Minor patet; nam videmus homines pios omnes, & quoslibet offenſas propter Deum condonare, antequam fiant: ergo etiam poterunt eas condonare, dum actu fiunt. Ad hoc argum. nego ſequelam: ad probat. dicimus, paritatem illam, à nobis aſſumptam ab homine, remittente offenſam, ſine retractatione offendentis, valere quidem de offenſa habituali, minimè verò de actuali unde non ſequitur; quod ſi homo poteſt remittere offenſam actualem, poſſet quoque Deus. Ratio diſparitatis eſt; quia homo per fas, vel nefas, id eſt, juſtè, vel injuſtè ſæpè poteſt conſentire, ut hoc vel illud faciam, & hoc ipſo de-

deſsinit eſſe, quod facio illi injurioſum, *ſcienti enim, & volenti nulla fit injuria.* Deus autem non ſic, cum implicet, Deum conſentire, ut mentiar ego, vel blasfemem, & quod ſic faciendo, non commitam contra Deum injuſtitiam.

120 Benè verum eſt, poſſe Deum meum peccatum nolle unquàm punire, nec enim eſt aliquid, quod ipſum cogere poſsit, ut vellit peccata punire. At non ideo creatura ſineret eſſe peccatrix, faciendo aliquid lege prohibitum, vel omitendo aliquid à lege præceptum; quia peccatum habituale non ſtat in illa obligatione ſubeundi pœnam, orta ex actu divinę voluntatis, peccatum punire volentis, ſed in illa dignitate ad pœnam ex actu peccaminoſo contracta, quæ propriè dicitur reatus culpæ, & in qua fundatur jus Dei, ad odium peccatoris. Iſti juri non intelligitur cædere Deus, etiam ſi nullum peccatum punire vellet, quod ſi etiam tali juri cæderet, tunc jam deſineret eſſe peccatum, nam per cæſſionem juris ex parte Dei, intelligitur etiam ceſſare in peccatore dignitas pœnæ, in qua ſtat habituale peccatum.

131 Arguit. 3.: in peccato habituali eſt duplex debitum; & Deus offenditur, & homo ſe opponit regulæ rationis, & legi naturę; quare debet Deo ſatisfacere, & ſe conformare legi, & regulæ rationis; ſed licet demus, Deum remittere peccatum, ut eſt contra ipſum, nulla ſpectata retractatione peccatoris, at, niſi homo ipſe per propriam retractationem ſe convertat ad obiectum rationis, & legis, nec Deus ipſe poteſt abſolvere ab hoc debito: ergo, &c. Minor prob.: nam ſicut Deus non poteſt diſpenſare, ut homo licitè mentiatur, ſic non poterit tollere averſionem, quam peccatum importat à lege naturæ. Tum, quia, ſicut Princeps creatus, v. g. poteſt remittere delictum ſubditi, remittendo pœnam, & etiam condonando illud, quatenùs fuit contra ipſum principem; & hoc abſque ulla retractatione delinquentis, verum tollere non poteſt tale delictum, ut fuit contra legem naturę, nec facere, quod ille homo non maneat moraliter averſus a lege, niſi per propriam retractationem delinquens ſe convertat ad obiectum legis: ergo, &c.

132 Hoc argumentũ reputari ſolet maximę difficultatis in hac materia: unde pro ejus, & aliorum ſimilium ſolutione, notanda ſunt quę ſequntur. Eſt pri-

primum, quod ex peccato actuali perjurij v.g., duplex denominatio relinquitur in perjurante, qua postea dicitur habitualitèr perjurus, seu perseverans in illa voluntate perjurandi. Est prima denominatio, quatenus, dum peccatum non condonatur à Deo, præstat fundamentum, ut judicetur, per inde se habere illum hominem, ac si nunc physice perjuraret in ordine ad rationale odium Dei, & ad aversionem ejus ab illo; & ideo dicitur moralitèr perseverare in perjurio. Secunda denominatio est, quatenus, dum homo non retractat perjurium, ex eo judicant homines, perinde se habere, ac si nunc actu juraret, in ordine ad existimandum, quod si tunc homo ille actu interrogaretur de actu præterito perjurij, approbaret iterum, quod fecit; & ideo dicitur, perseverare habitualitèr in priore voluntate, & perjurium illud manere habitualitèr voluntarium.

133 Secundo notandum est, quod inter has duas denominationes est hoc discrimen, quod per primam verè maculatur homo, vel saltem quandiú eam habet, est Deo invisus. Licèt enim peccatum habituale non sit formaliter actus præteritus non condonatus, tamen non condonatio est conditio essentialitèr requisita, ut peccatum perseverare dicatur, & intelligatur, at verò per aliam denominationem non displicet homo Deo, nec quandiú illam habet, est maculatus, & Deo invisus absolute loquendo; illa enim non includit formaliter jus Dei, non condonatum, ad odium peccatoris, si precisè consideretur; sed tantum includit actum præteritum, qui, licèt, quando existit, maculaverit, modo tamen non maculat, nisi ad eum modum, quo existit; existit autem solum conditionalitèr, quatenús dum non retractatur, judicatur prudentèr, quod, si homo hìc, & nunc rogaretur de actu præterito illum approbaret, quod totum non est objectum odij, non enim debet homo odio haberi à Deo proptèr id, quod faceret, posita aliqua conditione. Unde fit, quod ablata ab homine priori denominatione, quæ aufertur per condonationem Dei, non invenitur in eo aliquod habituale, cujus ratione maculetur, & sit Deo invisus, sed tantum fundamentum, ut judicetur, hominē approbaturum illud peccatum, pro casu interrogationis.

134 Addendum est, hoc fundamentum, quod manet, ad ju-

judicandum, quod modo approbaret homo ſuum peccatum, non eſſe omninò certum, ſed probabile tantum; non enim valet benè hæc conſequentia: Petrus heri perjuravit, & poſtea perjurij non meminit, nec illud retractavit: ergo ſi nunc rogaretur, perjurium approbaret; forſaſſe enim potius reprobaret. Unde permanentia habitualis peccati fundata in actu præterito, non retractato, verè eſt permanentia conditionalis, non habens certam connexionem cum macula peccati, ſed ſolum veró ſimilem. Immò: tanta mutatio potuit eſſe in Petro, tantumque temporis potuit tranſire poſt perjurium, ut, adhuc data non retractatione, ſit probabilius, Petrum non approbaturum, ſed reprobaturum, quod fecit, ſi recordaretur, vel interrogaretur. Permanentia veró moralis peccati, quę ex negatione divinę condonationis aliquomodo reſultat, eſt omnino certa; nam, quandiú peccatum non condonatur, tandiù Deus habet jus ad odium peccatoris, perindè, ac ſi actu peccaret.

135 Iam ad argumentum patet ſolutio. Sit in peccatore duplex debitum, alterum Deo ſatisfaciendi, pro injuria illata: alterum ſe conformandi legi, & rationi. Sanè remiſſo peccato à Deo, ut eſt contra ipſum, etiam remittitur, ut eſt contra rationem, & legem. Remittitur inquam, ut habet rationem maculę, & peccati, nam, licèt Deus, quandiú homo non retractat peccatum, non poſsit tollere ab eo illam permanentiam habitualem peccati, conſiſtentem in eo, quod homines prudenter judicent, quod, ſi homo ille nunc rogaretur de actu præterito, illum approbaret, nihilominús per hanc permanentiam peccati non manet homo Deo inviſſus, & maculatus abſolutè, nec hæc obſtat, quominús deſtruatur omninò peccatum habituale: quia ſicut antea peccatum habituale non includebat intrinſicè hanc ſecundam permanentiam, ſed tantum primam, ſic nec manebit peccatum habituale, licèt maneat illa ſecunda permanentia, dummodò deſtruatur prima, quæ utique deſtrui poteſt independenter à quavis retractatione peccatoris.

136 Declaratur hoc exemplo illius, qui religionem vovit. Poſtquàm ſemel votum emiſsit, duplicitèr dicitur perſeverare illa prior voluntas. Prima in ordine ad obligandum, quam permanentiam non deſtruit retractatio; nam quamtum-

tumcumque retractet priorem voluntatem, ſemper manet votum, moraliter operans, ſeu obligans, quandiu non relaxetur, vel diſpenſetur. Secundò, quia illa prior voluntas perſeverare dicitur, quandiu non retractatur, nam tunc manere dicitur votum in ordine ad judicandum, quod gaudet adhuc de voto emiſſo. Certè iſta ſecunda permanentia voti non tollitur, etiam ſi votum auferatur ab habente poteſtatem. Poteſt votum relaxari, inſcio vovente, in quo caſu non maneret votum in ordine ad obligandum, maneret tamen habitualiter in ratione voluntarij, donec retractaretur. Hæc ſecunda permanentia non facit debitorē voventem magis debitorem, ac ſi non voviſſet, quia tantum eſt permanentia in ordine ad affectum conditionatum, approbandi votum, ſi ſe offeret ocaſio. Sic in propoſito proportione ſervata: quæ doctrina eſt maximè notanda, ut pote quæ ſolvit præcipuas rationes Contrariorum, maximè fundatas in ratione voluntarij, & liberi reperta in peccato habituali.

137 Conſtat enim eſſe duplex voluntarium, & ſimul involuntarium in peccato habituali. Eſt enim unum voluntarium in ordine ad rationabile odium Dei, atque adeo ad maculandum animam macula propria talis peccati; & hoc voluntarium habetur ex non conditione. Eſt etiam involuntarium in ordine ad preſumendum, quod approbetur peccatum, & iſtud involuntarium habetur per retractationem, quæ involuntarietas non aufert peccatum habituale, cum, quavis poſita retractatione, peccatum non tollatur, niſi diſpoſitivè. Et quidem non eſt inconveniens, quod in ordine ad diverſos, effectus peccatum poſt retractationem maneat ſimul voluntarium, & involuntarium, ſicut non eſt inconveniens, quod votum, à ſuperiore non relaxatum maneat voluntarium ad obligandum, & non voluntarium, quia retractatum.

138 Arguit. 4.: peccatum habituale eſt libera, & voluntaria averſio à Deo, & libera, & voluntaria converſio ad creaturam: ergo nequit tolli, niſi liberè concurrat ipſe peccator; ſed fieri nequit ſine retractatione: ergo ſine iſta, & ſi peccatori infunderetur gratia, non poteſt remitti ejus culpa. Confirmatur; quia macula peccati includit eſſentialiter ordinem ad actum præteritum, non retractatum: ergo, &c. Reſp., converſionem ad aliquem terminum tolli, poſſe, pri-

primo per averſionem poſitivam ab eo, vel per averſionem, ſaltem negativam, hoc eſt, carentiam converſionis. Idem dicendum eſt de converſione, & averſione reperta in peccato; nam ſicut converſio phyſica ad creaturam tolli poteſt ſine actu contrario per ſolam ceſſationem phyſicam ab actu converſionis; ſic eadem converſio moraliter manens, tolli poteſt ſine actu contrario, quo peccator nollit creaturam, & ſolum per carentiam illius converſionis, moraliter manentem. Cum ergo in peccato habituali detur ceſſatio ab actuali converſione ad creaturam, & ab actuali averſione à Deo, conſequens eſt, ut per eam tollatur converſio ad creaturam, moraliter manens, & averſio actualis à Deo ſimiliter manens, ſi in eo caſu Deus dignetur gratiam infundere, & culpam expellere. Conſultò additur: *ſi gratia infundatur.* Tum primo, quia gratia, ut pote habitualis converſio hominis ad Deum tollit à peccatore converſionem, in qua erat ad creaturam.

139 Tum, quia, cum gratia habitualis ſit converſio Dei ad hominem, tollit hujus averſionem ab illo. Hoc ſolet explicari exemplo ſatis apto. Quemadmodum averſio hominis à ſole, non ſolum tollitur per converſionem liberam, & voluntariam ejuſdem hominis ad ſolem, ſed etiam per converſionem ipſius ſolis ad hominem; ſic averſio hominis à Deo, non ſolum ceſſat per voluntariam hominis converſionem ad Deum, ſed etiam per converſionem Dei ad ipſum, quæ converſio fit per infuſionem gratiæ habitualis. In forma ad argum., conceſſo antec., neganda eſt conſeq., vel diſtinguēda, juxta immediatè dicta.

140 Ad confirmat. neg. antec.; ſi quidem maculam peccati dicere ordinem ad actum præteritum, non retractatum, non eſt, quia negatio retractationis pertineat ad formale conſtitutivum peccati habitualis, nec quia retractatio ſit forma, vel cauſa formalis expulſionis culpę, ſed in tantum dicit ordinem, ad actum præteritum non retractatum, quatenùs defacto, & de communi lege retractatio eſt diſpoſitio requiſita, ut communicetur habitualis gratia, quæ, ut potè cauſa formalis juſtificationis, eſt forma expellens peccatum, & conſequenter carentia retractationis eſt conditio, ut peccatum duret, non quidem abſolutè, ſed tantum defacto. In hoc eodem unico ſenſu eſt verum, peccatum non tolli ſine retractatione.

141 Ex his debet inferi, quod licet eſſentia peccati habitualis non ſtet in actu præterito, non retractato, nec in ipſo non condonato, nec remiſſo, melius tamen deſcribi poteſt peccatum habituale, per hoc, quod ſit actus præteritus, non remiſſus, quam non retractatus; & eadem ratione melius dici, peccatum moraliter manere, donec remittatur, quam donec retractetur; qui loquendi modus habetur ab Auguſtino, qui de nuptijs, & concupiſcentijs cap. 26. inquit: *eorum peccatorum, quæ ſecundum quod fiunt prætereunt, reatus manet, & niſi remittantur, in æternum manent.*

QUÆST. SEXTA.

An culpa mortalis poſsit de potentia Dei abſoluta per puram extrinſecam condonationem remitti?

142 PECCATUM remitti per ſolam condonationem extrinſecam, eſt, remitti ſola Dei voluntate, abſque infuſione gratiæ, vel alterius doni intrinſeci, & conſequenter abſque intrinſeca mutatione peccatoris præſertim phyſica, ſivè per habitum, ſivè per actum cauſata. Undè multi, precipuè Recentiores, ut contendant, poſsibilem eſſe condonationem extrinſecam peccati, ponunt iſtam Concluſionem: *peccatum poteſt de potentia abſoluta Dei remitti ſine mutatione phyſica peccatoris.* Quod aſſertum ſola voce diſtinguitur ab illo, quod à nobis in hac quæſt. proponitur probandum. Notandum eſt ante reſolutionem, quod hoc ipſo, quod peccatum remittitur, peccator aliquomodo mutatur, cum de peccatore fiat non peccator; & de inimico Dei non inimicus: verum de hac mutatione non eſt difficultas, ſed de illa, quæ fit per receptionem alicuius doni intrinſici, ſivè tale donum ſit actus, ſive habitus.

143 Ulteriùs eſt notandum, quod peccati remiſsio, preſcindendo à modo, quo talis remiſsio fiat, eſt quoddam bonum, ſaltem prout bonum eſt, quod aufert malum, & eſt beneficium, peccatori indebitum, atque adeo maxima gratia ſaltem extrinſeca, de qua non eſt quæſtio, ſed ſolum de dono intrinſeco, in peccatore recepto, quod in genere cauſæ formalis peccatum expellat; num, ſcilicèt, poſsit Deus peccatum remittere ſine tali dono, vel forma per ſolum extrinſecum favorem Dei, qui favor extrinſecus dici-

citur condonatio extrinſeca. Sit jam noſtra

144 Concluſio : *peccatum poteſt remitti de potentia Dei abſoluta abſque ulla forma intrinſeca juſtificante, ſive per ſolam extrinſecam condonationem.* Concluſ. eſt Doct. Subt. in 4. diſt. 1. q. 6. : & diſt. 16. quæſt. 2. Doctorem ſequuntur non ſolum Scotiſtæ, ſed maior pars Ieſuitarum cum Doctore Eximio lib. 7. de Gratia cap. 33. Eſt contra multos Thom. quos referunt, & ſequuntur Gonet Diſp. 1. de Juſtificatione, art. 4. §. 4. , Magiſter Aliaga Tract. 3. de Gratia juſtificante, dubio 18.

145 Et ad mentem Doct. Subt. probatur 1. Concluſio: nam expulſio culpæ, & infuſſio gratię non ita, & neceſſario, abſolutèque connectuntur, ut de potentia abſoluta non poſſit unum ab alio ſeparari, uti dictum eſt jam ſupra; ſed qua ratione poteſt expulſio culpæ ſeparari ab infuſſione gratię, poteſt etiam ſeparari à collatione cujusvis alterius formæ intrinſicæ : ergo ex mente Doct. peccatum poteſt remitti, non ſolum abſque gratia verum abſque quavis alia forma intrinſeca. Nunc ſic ; ſed hoc eſt, peccatum remitti per ſolam extrinſecam condonationem, & abſque intrinſeca mutatione peccatoris: ergo poſſibilis eſt pura extrinſeca condonatio peccati.

146 Omnia tenent prætèr prim. min. quam probo ſic: eo, ſecundum Doct., poteſt expulſio culpę ſeparari ab infuſione gratiæ, quia non eſt eſſentialitèr idem, culpam expelli, & gratiam iufundi; ſed nec eſt eſſentialitèr idem expelli culpam, ac aliquam formam intrinſecam in peccatore reperiri : ergo tam poteſt ſeparari, in via Doct., expulſio culpæ ab infuſione gratiæ, quā à collatione cujusvis formę intrinſicæ. Confirm. : quia non eſt idem frigus expelli à ſubjecto, & calorem, aut aliam diſtinctam formam in ſubjecto introduci, poteſt frigus expelli à ſubjecto, non ſolum abſque introductione caloris, ſed etiam abſque introductione alicuius alterius formæ : ergo, cum non ſit idem, culpam expelli, ac gratiam, vel aliam formam intrinſecam in homine introduci, poterit culpa temitti abſque intrinſeca mutatione peccatoris.

147 Prob. 2. Concluſio ratione : quidquid Deus concedit ad exigentiam creaturę, poteſt concedere ſine ulla poſitiva petitione pro ſola ſua voluntate; ſed Deus defacto aufert, & remittit peccatum

ad

ad exigentiam creaturæ, ſcilicet, gratiæ: ergo de potentia abſoluta poteſt remittere per ſolam extrinſecam condonationem. Prob. mai.: Deus qui modo ſuſpendit concurſum, quo conſervabat frigus ad exigentiam caloris introducti, poteſt eundem concurſum ſuſpendere, nullo calore, ſivè alia forma exigente; & probat. ulterius; nam omnem, & quamlibet gratiam, quam poteſt facere Rex rogatus, poterit facere, nulla rogatione prævia; ſed Deus eſt Rex regum, omnibus infinite liberalior: ergo abſque infuſione gratiæ, vel alterius doni intrinſeci poteſt remittere culpam; & conſequenter extrinſicè condonare.

148 Dices, quod quando remittitur peccatum per infuſionem gratiæ; non tollitur per condonationem Dei, ſuperadditam prædictæ infuſioni, & abſolutè ſeparabilem ab illa, ſed tollitur per condonationem Dei, indiſtinctam ab infuſione gratiæ, quæ gratia eſſentialiter eſt terminus Dei condonantis peccatum. Sed contra eſt; nam infuſio gratiæ non eſt ipſa formalis expulſio peccati, ſed cum ea connectitur defacto, tamquam cum mutatione ab ea diſtincta, & per potentiam Dei ſeparabili. Unde deducitur, poſt infuſionem gratiæ, ſivè poſt actum, quo Deus vult infundere gratiam, ponendu eſſe alium actum divinæ voluntatis, vi cuius deſinat peccatum. Iſte actus ponitur à Deo ad moralem exigentiam gratiæ.

149 Nec dicas, hinc ſequi hominem juſtificari defacto per novum, & extrinſecum favorem Dei. Nam contra eſt, quod hic favor, qui eſt condonatio peccati, vel voluntas illud remittendi eſt defacto debitus entitati gratiæ, ut ſubeſt divinæ ordinationi, qua decrevit ab æterno, habentem gratiam, mundari per eam à peccatis. Ergo talis favor dici non debet novus, & extrinſecus, ſed potius conſummatio illius favoris, qui fit in ipſa collatione gratiæ, nam talis condonatio peccati defacto exigitur, ſaltem moraliter à forma intrinſeca. Quare ſicut calor ad poſitionem frigoris non dicitur expelli à ſubiecto per aliquid novum, & extrinſecum, ſed per introductionem frigoris, non obſtante, quod ut calor expellatur, neceſſaria ſit volitio extrinſeca Dei ceſſandi ab eius conſervatione, ſic proportione ſervata, in præſenti.

150 Prob. Concluſ. alia ratione, quam Doct. tangit, & eſt iſta: in humanis benè poteſt remitti injuria alteri illata per ſolam condonationem offen-

ſi,

si, absque collatione alicujus doni intrinseci, ut est manifestum: ergo idem poterit præstare Deus, respectu injuriæ, sibi illatæ. Prob. consequentia: ideo antec. est verum, quia potest creatura offensa deponere odium conceptum ex offensa, velleque se gerere cum offendente ac si non fuisset offensus, absque collatione formæ intrinsicæ; sed etiam potest Deus deponere odium, & velle se gerere cum offendente, ac si non fuisset offensus, quin in offendente producatur necessario aliqua forma intrinseca: ergo, &c. Respondent Adversarij esse disparitatem, quia cum remissio offensæ sit mutatio, ista mutatio benè reperitur in ipsa creatura offensa, & condonante injuriam, transit enim de habere odium ad illud non habere, vel ad habere amorem; sed cum Deus offensus nequeat in se pati mutationem necessario requiritur, quod physice mutetur offendens, quæ physica mutatio fieri non potest, nisi offendens recipiat de novo aliquid intrinsecum.

151 Pro impugnatione huius responsionis notari debet, Deum posse condonare peccatum, non esse ita intelligendum, quod Deus in uno instanti vellit non remittere peccatum, & in alio instanti vellit remittere illud, si ita esset, Deus necessario mutaretur, modo volendo, postea nolendo; sed ita intelligendum esse, ut Deus ab æterno postquam scientia visionis vidit me esse peccaturum prima die mensis currentis, habeat unicum actum, quo simul vult non remittere peccatum meum in tribus primis diebus, illud verò remittere post tertium diem, in quo, nec est mutatio, nec contradictio, cum sit temporis variatio, sicut non est mutatio ex parte Dei nec contradictio in obiecto, quod Deus ab æterno unico actu voluerit, talem personam a tali die esse Regem v.g., & post alium diem Regem non esse.

152 Denominationes deinde rerum non sunt uniformes. Aliæ sunt physicæ, & aliæ morales. Denominationes physicè necessariò petunt provenire à forma physica. Denominationes morales sunt, quæ non petunt necessariò provenire à forma physica; & prout in plurimum proveniunt, vel ratione contractus, vel electionis, ut sunt esse Regem, Pontificem, &c.; solæ denominationes Christiani, confirma-

niati, Sacerdotis, & Sancti, ſeu juſti proveniunt defacto à forma phyſica intrinſeca, ſcilicet, à Charactere, & à gratia habituali. Tandem mutationes poſitivę ſunt, aut privativæ, juxta naturam termini *ad quem* mutationis. His notatis, eſt contra ſuperiorem reſponſionem.

153 Quod nimirùm in primis nulla eſt neceſſaria intrinſeca mutatio in peccatore, ut ipſi remittatur peccatum; nihil enim reale poſitivum, & phyſicum, ſed unicè morale, eſt, quod perditur, & acquiritur in illa mutatione, qua de peccatore fit non peccator. Deinde nec in Deo eſt neceſſaria mutatio, ut peccatum remittat ſine ulla forma intrinſeca, quia ad hoc, ut Deus dicatur, peccatum remittere in hoc inſtante, neceſſarium non eſt, quod incipiat velle in hoc inſtante peccati carentiam, ſed quod ab æterno abſque ulla ſui mutatione illam pro hoc inſtanti, & non pro antecedentibus inſtantibus voluerit, ut patet in exemplo ſupra poſito de Deo volente, aliquam perſonam eſſe pro uno tempore regem, & pro alio tempore regem non eſſe; in quo ex parte Dei nulla reperitur mutatio: ergo, &c.

154 Prob. tandem Concluſio: Deus de potentia ſua abſoluta poteſt gratiam, & aliud quodcumque donum gratuitum auferre ab homine juſto abſque eo, quod hic peccet: ergo & peccatum poteſt remitti, abſque eo, quod infundatur gratia, vel alia forma gratuita. Antec. conceditur à Contrarijs, & conſequentia infertur. Immo, & inferuntur iſtę duæ conſequentiæ, ex quibus eſt una: ergo infuſsio gratiæ, & expulſio peccati non eſt unica mutatio, ſed duplex. Eſt ſecunda: ergo in illo caſu, in homine non habente gratiam, nec peccatum, negatio gratiæ non eſſet privatio, ſed mera carentia; & ſic in eodem inſtanti, quo Deus auferret gratiam, auferret debitum habendi illam. Nec ſatisfacit, quod reſpondent Contrarij, dicentes, eſſe diſparitatem, quia gratia pendet in ſuo eſſe, fieri, & conſervari à Deo, & proinde, homine non peccante, per negationem concurſus poteſt illã anichilare; at peccatum, cum non dependeat à Deo in fieri, & in conſervari, non poteſt à Deo remitti ſine introductione formæ, quæ formaliter pugnet cum illo.

155 Contra eſt 1.: & ſi hominis vita à Deo pendeat in fieri, eſſe, & converſari, non poteſt à Deo auferri vita, quin hoc ipſo introducatur mors, non

non alia de cauſa, & ratione, niſi quia vita, & mors privative eſſentialiter opponuntur; ſed, juxta conceſſa ab Adverſarijs, non ita contingit in gratia, vita ſpirituali, nec in culpa morte animæ, poteſt enim à Deo auferri gratia, quin præcedat culpa: ergo ideo eſt, quia non opponuntur privativè eſſentialiter: & quod, ſicut poteſt auferri gratia ſine culpa, etiam de potentia Dei abſoluta poterit auferri culpa ſine introductione gratiæ.

156 Contra 2.: & ſi peccatum non dependeat à Deo in ſuo eſſe, fieri, & conſervari dependentia poſitiva, arguente influxũ cauſæ in effectum, dependet tamen dependentia permiſsiva; ſed hoc ſufficit, ut peccatum poſsit remitti abſque infuſsione gratiæ, ſeu per extrinſecam condonationem: ergo, &c. Prob. minor: quia peccatum dependet in ſui fieri à Deo, dependentia puré permiſsiva, Deo non permittente, peccatum non fieret; ſed etiam peccatum dependet à Deo; dependentia permiſsiva in ſuo conſervari: ergo Deo non permittente, non converſaretur. Prob. min.: per hoc, quod Deus non vult cædere jure ſuo, intelligitur, quod Deus, vult non condonare peccatum; ſeu intelligitur Deum permittere permanentiam peccati: ergo etiam peccatum habituale dependet à Deo dependentia permiſsiva in ſuo conſervari; & conſequenter, ſicut peccatum actuale non fieret, Deo non permittente, ita peccatum habituale prorſus deſtrueretur, eum Deo extrinſicè condonate. Patet hæc ultima conſeq.: extrinſicè enim peccatum condonare nihil aliud eſt, quam non permittere illius conſervationem, qua divina conſervatione permiſsiva ceſſante, peccatum habituale in nihilum redigitur.

157 Arguitur 1.: non eſt aſsignabile obiectum voluntatis divinę extrinſicè condonantis peccatum; ſed implicat quod voluntas ſe exerceat ſine obiecto in ſuo exercitio: ergo implicat extrinſeca condonatio peccati. Maior, in qua eſt difficultas, prob. á Thom. per partes; nam tale objectum non eſt carentia gratiæ, nec alterius doni intrinſeci, nec peccatum pręteritum ut tale, nec deffectus ſatisfactionis, nec demum ipſa negatio condonationis, ſed non eſt aſsignabile aliud obiectum: ergo, &c. Tota difficultas devolvitur ad ultimam part. minoris, ſcilicèt, quod deſtrui debet per voluntatem condonantem, non poſſe eſſe negationem condo-

na-

nationis : nam alioquim Deus ſic tenderet volo me ipſam, & iſte modus prę terquamquod videtur ſtultus , adhuc reſtat difficultas : cur ſit condonatio unius peccati , & non omnium?

158 Reſpondeo ad argum., quod obiectum extrinſecæ condonationis , id eſt, quod per voluntatem Dei condonantis in noſtra hypoteſi tolleretur , nec eſſet privatio gratiæ , vel altetius formæ intrinſicæ , nec actus præteritus ut ſic , nec tandem aliquid ex his , quæ ibi aſsignantur , ut benè urget argumentum. Eſſet ergo obiectum voluntatis peccatum condonantis , non aliud , quam illa dignitas pœnę, ſivè reatus , ex peccato præterito derelictus , per quem peccator erat obiectum rationabilis odij Dei , & in quo ſtat formalitèr peccatum habituale. Sicut in humanis debitum pecuniæ extinguitur per actualem condonationem creditoris , & obligatio ſatisfaciendi pro illata injuria per ipſam remiſsionem offenſi cedentis jure ſuo , etiam ſi nulla præceſſerit ſatisfactio.

159 Replicabis 1. ſic: id, quod deſtrui debet per voluntatem condonantem debet habere rationem maculę ; ſed illa obligatio ad pœnam , quæ, juxta ſolutionem , deſtruitur per voluntatem condonantem, non habet rationem maculæ, ſed culpæ : ergo , &c. Prob. minor: talis obligatio , ſive reatus provenit à divina lege pœnam taxante , & infligente ; ſed nihil, quod habet veram rationem culpæ poteſt à Deo provenire: ergo , &c. Secundo : Si per voluntatem condonantem ſolum deſtrueretur obligatio ad pœnam , non tolleretur peccatum, propriè loquendo , ſed tantum talis reatus ; ſed hoc videtur damnatum in Baio , cuius propoſitio 53. aſſerebat : *in peccato duo ſunt actus , & reatus ; tranſeunte autem actu , nihil manet niſi reatus* : ergo, &c.

160 Ad primam replicam negatur min. Ad prob. diſting. mai. : talis obligatio eſt à divina lege proximè, & immediate , nego : remotè , & quatenùs , ſi Deus legem non ſtatuiſſet talis obligatio certa non eſſet , conc. mai. Ad ſecundam replicam , nego ſequælam longè enim diſtat reatus , in quo ſecundùm Doct. Subt. , & omnes Scotiſtas, conſiſtit formalitèr peccatum habituale ab illo reatu , quem Baius , meritò damnatus, aſſerebat , tranſeunte actu , manere. De quo recollantur dicta in Tract. de Peccatis , circa conſtitutivum habitualis peccati , ubi iſta , & alia multa , húc conducentia, reſolvuntur.

Ar-

161 Arguit. 2.: voluntas divina non poteſt alitèr, & alitèr ad creaturam terminari, nulla facta mutatione in creatura; ſed, ſi poſſet peccatum remitti per ſolam extrinſecam condonationem, alitèr ad creaturam terminaretur divina voluntas, nulla facta mutatione in creatura: ergo &c. Prob. min.: nam Deus pro priori ad condonationem odio habet peccatorem, & poſt condonationem non odio habet, ſed diligit: ergo, &c. R.: ſi maior loquatur de mutatione phyſica, in creatura facta, eſt neganda abſolutè; poteſt enim Deus aliquem facere Regem, Ducem, vel Pontificem abſque ullo termino reali, producto, vel producendo per illam volitionem in illo.

162 Et quomodo ſit poſſibile hoc abſque mutatione ipſius Dei, quæ mutatio inferri intenditur, ex quo peccator non mutetur phyſicè, jam ſupra eſt à nobis explicatum, & iterum eſt modo dicendum, quod, ut voluntas divina alitèr, & alitèr terminetur ad creaturam, & de non condonante fit condonans; ſufficit, ut Deus ab æterno vellit ut qui hodiè v.g. peccat, maneat ad pœnam ordinatus toto præſenti die; non autem obligatus ſit, illo die elapſo, & conſequenter illum odio habere pro tali tempore, ſecùs verò poſtea; in quo nulla eſt contradictio, nec tranſitus de contradictorio in contradictorium, quia eſſe, & non eſſe in peccato pro diverſis temporibus ſolum eſt verum.

163 Iſtam autem voluntatem Dei eſſe poſsibilem negari non poteſt, vel negandum erit Deum ab æterno voluiſſe, Petrum non eſſe Papam, ſed ſimplicem piſcatorem pro toto tempore, præcedente Aſcenſionem Chriſti, & Papam eſſe eundem Petrum pro tempore ſequenti Aſcenſionem, & David eſſe, non Regem, ſed purum paſtorem pro tempore vitæ Saulis, & Regem pro tempore ſequenti: & tandem voluiſſe mecum diſpenſare in votis pro hoc tempore, & pro antecedenti tempore eſſe me obligatum illis, quod tamen negabit nullus: ſicut ergo hoc poteſt Deus velle abſque aliqua mutatione reali intrinſeca in Petro, in Davide, & in me, ſimilitèr poterit velle, condonare peccatum pro craſtina die, & non pro hodierno die abſque aliqua mutatione intrinſeca facta in peccatore.

164 Illud autem, in quo dicebatur, Deum pro priori ad condonationem odio habere peccatorem poſtea verò diligere, eget explicatione. Dupliciter enim poteſt homo di-

ligi à Deo ; uno modo poſitivè, & talis dilectio intervenit, dum aliquod bonum confertur ipſi. Secundo modo negativè, quæ dilectio adeſt, dum ipſi aufertur aliquod malum, quia carentia mali computatur inter bona, quæ merito poſſunt deſiderari. Deus condonans extrinſicè peccatum, neceſsè eſt, ut peccatorem diligat, attamen abſolutè loquendo, non eſt neceſſarium, ut diligat poſitivè, conferendo ipſi bonum, ſed ſufficit, ut diligat negativè, purè auferendo ipſi malum. Hoc ſecundo modo diligeret Deus peccatorem in ſuppoſitione extrinſicę condonationis ; auferret enim peccatum ab ipſo, cum qua dilectione optime ſalvatur, quod hic intendimus, nempè, remiſsionem peccati poſſe fieri abſque ullo dono intrinſeco.

165 Arguit. 3. implicat, peccatum deſtrui, quin peccator deſinat manere habitualiter maculatus, dignus pœna, & odio Dei ; ſed implicat, has exuere denominationes abſque intrinſeca mutatione : ergo, &c. Prob. minor : denominatio intrinſeca non ceſſat, quin ceſſent principia, à quibus adæquatè dependet ; ſed principia à quibus dependet denominatio maculati, & digni odio Dei, non ceſſant abſque mutatione intrinſeca peccatoris : ergo, &c. Prob. min. : nam talia principia ſunt actus præteritus, non retractatus, carentia gratiæ, vel rectitudinis ex actu peccaminoſo relicta, quod totum non ceſſat, niſi per mutationem intrinſecam.

166 Confirm. 1. ; nam implicat, peccatorem tranſire de eſſe averſo à Deo, & maculato ad non averſum, & non maculatum ſine mutatione intrinſeca : ergo etiam implicat peccatum remitti ſine tali mutatione. Prob. antec. : denominatio realis non variatur, niſi ad variationem alicujus extremi, vel requiſiti ad illam denominationem ; ſed quomodocumque fiat, mutatur intrinſecè peccator, ſi tranſit de eſſe averſo à Deo ad non eſſe averſum : ergo, &c. Confirm. 2. : vel deſtrueret Deus tales denominationes ſuſpendendo antiquum aliquem concurſum, vel novum exhibendo ? Non primum ; quia Deus non cauſat, nec conſervat tales denominationes. Neque ſecundum ; quia tunc inquiro : vel ultra illum novum concurſum aliquid ponitur in peccatore, & ſi ita, habetur intentum, quia jam mutaretur. vel nihil ponit niſi actum voluntatis divinæ, qui extrinſecus eſt peccatori, & tunc non ſufficit, quia talis actus nullam

lam repugnantiam habet cum peccato.

167 Ad argumentum reſp. conceſſa negando min. Ad prob. diſting. mai.: quin ceſſent principia intrinſeca, à quibus, &c. conc.: principia purè extrinſeca, & concomitantia, nego mai. Ad imbibitam prob. dicimus, carentiam retractationis actus peccaminoſi præteriti, privationemque gratiæ, vel rectitudinis non eſſe principia intrinſeca denominationis maculati; tum, quia quantumcumque homo actum præteritum retractet, ex hoc præciſsè non exuit talem denominationem, cum ulterius requiratur remiſſio peccati, quę ad retratationem, etiam perfectam, non ſequitur, niſi ex Dei ordinatione: tum quia carentia gratiæ non ſpectat formaliter ad conſtitutionem peccati, ut ſæpè diximus. Eſt ergo principium intrinſecum talis denominationis obligatio ad pœnam, prout orta ex culpa, quæ obligatio tolli poteſt à peccatore abſque ullo dono intrinſeco.

168 Ad prim. confirm. dicendum, falſum eſſe, quod mutatio peccatoris de eſſe averſo à Deo, ad non eſſe averſum, ſit mutatio realis, & phyſica; cum, nec terminus *à quo* talis mutationis ſit quid reale poſitivum, nec terminus *ad quem* à quid tale ſit. Ad ſecund. confirm. dicendum, quod neutro modo ex ibi aſsignatis, Deus remitteret peccatum in noſtro caſu, ſed decernendo per ſuam voluntatem, Petrum v.g. peccantem hodiè, eſſe dignum pœna toto die, niſi pœniteat; & ſic, ſi illo die moreretur impœnitens, damnaretur: & non eſſe dignum pœna hoc die elapſo. Unde jam amplius non eſſet peccator, ſine ullo favore intrinſeco.

QUÆST. SEPTIMA.

An ſine gratia habituali, vel aliqua alia forma intrinſeca poſſit homo conſtitui ſanctus, juſtus, amicus Dei, & eius filius adoptivus?

169 EX quæſt. antec. conſtat, Deum poſſe ſine infuſsione formæ alicuius per ſolam condonationem extrinſecam juſtificare, quaſi inadæquatè, hoc eſt, remittendo quidquid habet rationem culpæ, ita ut homo ille non maneat obiectum odij Dei, non tamen illum totaliter ſanctificando, ſeu illum non conſtituendo poſitivè ſanctum, &c. Difficultas præſens eſt, an ultra non eſſe peccatorem poſsit ho-

homo à Deo fieri ſanctus, juſtus, Dei amicus, &c., ſine intrinſeca receptione alicujus doni; adeo ut iſta ſit extrinſeca acceptatio, ſicut illa altera dicitur extrinſeca condonatio. Suppono primò, hominem per extrinſecam acceptationem Dei non poſſe fieri amicum amicitia perfecta, ſeu mutua; hęc enim, cum fundetur in charitate, malè poteſt reperiri in homine, charitate deſtituto.

170 Suppono 2., eſſe filium adoptivum, quod eſt, habere jus ad hæreditatem, poſſe ſtare dupliciter, ſcilicèt, vel per aliqualem participationem naturæ adoptantis, quatenùs adoptans quaſi generet, vel regeneret adoptatum, & hoc modo, in præſenti providentia, homo conſtituitur Dei filius adoptivus, in ſe intrinſecè recipiendo donum gratię, quæ, licet non phyſica, eſt tamen moralis participatio divinæ naturæ. Secundo modo eſt per terminationem ſpecialis affectus, & amoris, quo adoptans nihil producendo in adoptato, illum vult aſſumere ad ſuam hæreditatem. Suppono ultimò, tum, quod gratia habitualis, unicè ex divina ordinatione, cauſat hos effectus; tum, quod quęſt. procedit de potentia Dei abſoluta. His ſuppoſitis, ſit

171 Concluſio: *eſſe ſanctum, juſtum, Dei amicum, filium adoptivum, & hæredem, poteſt à Deo præſtari homini per ſolam extrinſecam acceptationem, id eſt, ſine ulla forma intrinſeca.* Illa Conclus. eſt Subt. Doct. in 1. diſt. 17. q. 3. Doctorem ſequuntur omnes ſui diſcipuli, contra communem ſententiam Thom., & Jeſuit. Prob. 1. concluſio: adoptio, & amicitia non mutua non repugnat, quod communicetur adoptato, abſque ulla intrinſeca forma: ergo de potentia Dei abſoluta non repugnat, hos effectus præſtari homini per puram acceptationem extrinſecam, ſivè abſque dono intrinſeco. Antec. eſt certum; aliàs nec creatura adoptaret aliam, quin produceret in adoptato formam intrinſecam, nec eſſet amicitia ex parte hominis, propter Deum diligere inimicos ſuos, & animam ſuam ponere pro illorum converſione. Prob. conſequentia: quando ex parte obiecti res non repugnat, etiam non repugnat ex parte Dei, ſi in Deo nulla ſequitur imperfectio; atqui, adoptare in filium, & aſſumere in amicum ſine intrinſeca forma, in adoptato recepta, non repugnat ex parte obiecti, cum defacto ita fiat inter homines; & deinde in Deo non ſequitur imperfectio, ſi ita adoptet extrinſecè: ergo poſsibile

eſt

eſt Deo ſic acceptare.

172 Confirm. : Deus alicui exiſtenti in puris intrinſecis naturalibus poteſt promittere dare gloriam, quin det gratiam, & auxilia, ut mereatur; ſed iſte homo verè haberet jus ad gloriam, fundatum infidelitate divina : ergo hic homo eſſet filius Dei adoptivus, amicus, &c., ſine forma intrinſeca. Maior, in qua ſtat difficultas, prob. : viſio beata poteſt ſtare, quin ſtet gratia habitualis : ergo poteſt Deus de potentia abſoluta promittere dare gloriam, quin det gratiam, & auxilia. Antec. in noſtris principijs, non admittentibus aliam connexionem inter gratiam habitualem, & lumen gloriæ, cæteraque dona ſupernaturalia, quam moralem, ſeu ex ordinatione divina, eſt manifeſtum, quod ablata divina ordinatione, poterit ſtare quodlibet donum ſupernaturale, alio non ſtante. Preciſivè verò à noſtris principijs, prob. antec. : defacto gratia habitualis ſtat, non ſtante viſione beata : ergo ſaltem de poſsibili ſtare poterit viſio beata non ſtante gratia habituali. Prob. conſequentia : ideo gratia habitualis ſtare poteſt ſine viſione beata, quia inter has formas non eſt eſſentialis connexio; ſed defficiente eſſentiali connexione inter gratiam habitualem, & viſionem beatam, poteſt viſio beata ſtare, non ſtante gratia habituali : ergo, &c.

173 Si dicas, iſtum adoptandi, & acceptandi modum non diſtingui à prædeſtinatione, media qua Deus vult Petro, præ Iuda, dare gloriam; ſed per prædeſtinationem non conſtituitur homo Dei amicus, & filius adoptivus : ergo, &c. Sed contra eſt; nam licèt modus adoptandi ex parte rei volitæ non diſtinguatur à prædeſtinatione, tamen diſtinguitur ex parte modi volendi, quod ſufficit, ut per iſtam acceptationem homo conſtituatur filius, hæreſque, licèt non intrinſice. Maior patet : nam prędeſtinatio, vel antecedit, vel conſequitur volitionem mediorum, juxta diverſa placita ponendi prędeſtinationem ad gloriam, ante, vel poſt prævifſa merita; ſed iſte modus acceptandi, per acceptationem extrinſecam ponit, quod Deus immediatè, & nullo medio præhabito, daret in executione gloriam : ſequitur ergo, hanc acceptationem extrinſecam diſtinctam eſſe à prædeſtinatione.

Ar-

174 Arguit. 1. : actus efficax Dei nequit esse sterilis, sed ille actus, quo Deus diligeret dilectione speciali hominem, illum constituendo in esse positivo sancti, esset efficax: ergo non esset sterilis : ergo produceret aliquod donum intrinsecum in subjecto, sic volito. Resp. ad hoc argumentum distinguendo consequens secundum: erg. in sic volito, produceret aliquod donum, vel tunc, vel pro tempore determinato à divina voluntate, conc. ; præcisè tunc, nego conseq. Efficacitèr voluit Deus ab æterno, creaturas existere, sed quia Deus ab æterno voluit, creaturas existere non ab æterno, sed pro tali temporis differentia ; ideo ab æterno non produxit creaturas, sed pro tempore determinato : ita, licèt actus, quo Deus adoptaret aliquem adoptione extrinseca in filium, nihil de præsenti produceret, produceret tamen in tempore determinato, scilicèt, quando creaturam glorificaret.

175 Quare distinguendus est in voluntate divina duplex actus efficax, seu, ut magis propriè loquar, distinguendus est duplex modus, quo unicus actus efficax divinæ voluntas terminatur ad creaturas, & hoc ultra externam effectionem ipsarum creaturarum. Primus dicitur intentio finis, seu volitio efficax illius, non curando per istum actum expressè, & formaliter de medijs, ut in materia de Providentia, & prædestinatione dicunt Thomistæ. Iste actus divinæ voluntatis, licét sit efficax nihil physicè producit. Secundus actus est executivus ad intra, & est, quo Deus inter plura media conducentia pro consecutione finis præintenti, eligit hoc potius, quam illud ; & iste actus, licet sit efficax, nihil physicè producit, cum tantum vi illius determinetur Deus, ad aliquid producendum in tempore oportuno. Unde Deus prædestinans Petrum, sivè antè, sive post prævisa merita, quibus consequenda est gloria in executione, intelligensque peccatum prævisum futurum in Petro esse incompatibile cum gloria ab ipso intenta, poterat ab æterno decernere, extrinsicè condonare illud peccatum, & sine alio medio ex parte creaturæ promittere, dare ipsi gloriam.

176 Hoc decretum, sic formatum à Deo, est actus executivus *ad extra*, ut respicit destructionem culpæ, & ut respicit gloriam dandam, esset executivus *ad intra*, cuius terminus physicus non est de præsenti, sed de futuro, & est ipsa elargitio gloriæ. Ut respicit adop-

adoptionem ab æterno non diſtinguitur à ſe ipſo, reſpiciente gloriam : immo quia tale decretum reſpicit gloriam, ut conſequendam per hanc adoptionem, tale decretum ab æterno eſt actus executivus *ad intra*, & intempore eſt executivus *ad extra*, non in linea phyſica, ſed in linea moris, quatenùs re vera communicaret effectum moralem, ſcilicèt, jus, & dignitatem ad viſionem, & fruitionem beatam ; cuius juris, & dignitatis fundamentum aliud non eſſet, quam pura, & pręciſſa fidelitas divina.

177 Arguit. 2. : amor amicitiæ terminatur ad amicum propter eius bonitatem; ſed in caſu quæſt., in illo homine non eſſet bonitas ſupernaturalis : ergo, vel illa ſpecialis dilectio produceret bonitatem ſupernaturalem, vel talis homo non eſſet amicus Dei. Confirm. : nam ſecundum D. Hieronymum, amicitia ſupponit, aut facit pares; ſed homo non fit Deo ęqualis ęqualitate analogię, & proportionis, niſi per infuſionem gratiæ habitualis, quę eſt natura divina per participationem : ergo abſque infuſione gratiæ homo non poteſt eſſe Dei amicus.

178 Reſp. ad argumentum negando maiorem, quæ licèt poſſet concedi de amicitia mutua, & perfecta, qualis eſt defacto per gratiæ infuſionem, falſa eſt de amicitia non mutua, & non perfectiſsima, qualis eſſet, quę interveniret in illo caſu. *Diligite inimicos veſtros*, ait Dominus N. Jeſus Chriſtus, & de ipſo Jeſu Chriſto dicitur, *qui, cum eſſemus inimici, propter nimiam charitatem ; qua dilexit nos.* In quibus verbis nulla bonitas præſupponitur in termino amoris ; & propter deffectum correſpondentiæ non eſt ibi amicitia mutua, & perfecta. Ergo ſine bonitate intrinſeca eſt poſſibilis in Deo amor amicabilis, non mutuus, & extrinſicè acceptans.

179 Ad confirmationem dico, minorem eſſe veram de æqualitate intrinſeca, quæ fieri non poteſt, niſi per intrinſecam receptionem formę, non verò de æqualitate extrinſeca, & in jure. Homo ille, cui per condonationem extrinſecam remitteretur peccatum, & deinde in filium adoptaretur extrinſicè : dubium non eſt, quod haberet jus ad viſionem, & fruitionem beatam, & conſequenter ad eſſe ęqualem Deo analogicè, & proportionalitèr, cum enim apparuerit gloria eius, ſimiles ei erimus, quia videbimus Deum ſicut eſt in ſe.

Per

180 Per hanc doctrinam poteſt reſponderi ſecundo ad argum., dicendo ad min., quod etiam in caſu quæſtionis eſſet in illo homine aliqua bonitas ſupernaturalis, non quidem intrinſeca, qualis, eſt recepta ex dono infuſſo, ſed extrinſeca, pure moralis, & in jure ad intrinſecam. In primis enim homo in illo caſu non eſſet indignus amoris Dei, cum ejus culpa ſupponatur expulſa, & deſtructa per condonationem; aliundè per hoc, quod ſit terminus decreti divini, illum in filium adoptantis, ex ipſa hujus decreti terminatione, reſultaret quædam bonitas, ſanctitas, & dignitas, non intrinſicè phyſicè habita per donum ſupernum intrinſecum, ſed quaſi intrinſicè moraliter in ipſo jure acquiſito ad viſionem Dei ex divina promiſsione.

181 Arguit. 3.: ad rationem filij adoptivi requiritur inter adoptantem, & adoptatum ſimilitudo in natura; ſed hæc ſimilitudo in homine ad Deum non habetur ſine gratia habituali: ergo per purum extrinſecum favorem non poteſt homo fieri filius adoptivus Dei. Maior patet; nam ideo homo nequit adoptare in filium aliquam feram, v.g. leonem, quia homo, & leo non ſunt natura ſimiles, & propter eandem rationem Angelus, & homo non poſſunt mutuò ſe adoptare. Confirmatur: eo unus homo aliū adoptat in filium per favorem extrinſecum, quatenus optat, illum eſſe ſuum filium, & cum non poſsit ei naturam communicare, ex vi affectus adoptantis fingunt iura, eum quodam modo ſuam naturam communicare adoptato: ergo ſi homo adoptans poſſet communicare phyſicè naturam adoptato, illam ſic communicaret. Modo ſic: ſed Deus poteſt comunicare phyſicè, & realiter ſuam naturam participatam; immo defacto ſemper ita fit, quando juſtificat: erg. & de poſsibili aliud eſſe non poteſt. Prob. hæc ultima conſeq.: non appetit quis ſerio, & efficaciter, cum non facit, quod poſsit facere, & deſiderat; ſed, qui adoptat aliquem in filium, optat vehementer communicare illi ſuam naturam: ergo &c.

182 Reſp. ad argum. permittendo mai.; quia, licèt hoc ita ſit defacto inter Deum, & homines, ex terminis adoptionis hoc non requiritur. Et diſtinguo min.: hæc ſimilitudo non habetur intrinſicè inter hominem, & Deum ſine habituali gratia, conc.: non habetur extrinſicè, & in jure ad participandam divinam naturam per viſionem, & fruitionem, nego min.;

min.; & ad probat. mai. dico, quod alitèr ſe habent homo, leo, & Angelus ex una parte, quam homo, & Deus ex alia. Tum, quia homo, licèt independentèr à gratia non ſit ſimilis in natura cum Deo in ordine ſupernaturali, eſt tamen abſolutè ſimilis Deo, juxta illud: *faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram*: & de leone, reſpectu hominis; & de homine, reſpectu Angeli, non verificatur. Tum etiam, quia leo non eſt capax hæreditatis hominis, nec homo hæreditatis Angelorum, ut ipſi dicent Adverſarij, ſi ab eis quęratur: quare Deus non poteſt adoptare in filium leonem media qualitate, quæ ſit radix viſionis, & fruitionis beatę, in quibus conſiſtit divina hæreditas? Reſpondebunt, & merito, quia creatura omnis, quæ intellectualis non eſt, eſt incapax talis hęreditatis. Verum demus, eſſe aliam creaturam ſpecie diſtinctam ab homine, quæ eſſet corporea, compos rationis, capax vitę politicæ, & habendi, adminiſtrandique bona fortunę, quare homo non poſſet adoptare iſtam aliam creaturam, licet ipſi non poſſet communicare propriam naturam? Non eſt ratio aſsignabilis, ſi tenet ratio Adverſariorum, quia dicere, quod lex civilis hoc poterat prohibere, hoc non obeſt; tum, quia prohibitio ſupponit poſsibilitatem; tum, quia adoptionem prohibent leges inter homines diverſę religionis.

183 Ad confirm. conc. antec., & omitto implicitam implicationem, in conſequenti repertam. Homo enim, vel communicaret alteri ſuam naturam vi generationis, & tunc homo genitus non eſſet filius adoptivus, ſed naturalis: vel illam communicaret non vi generationis, ſed per participationem; & hoc in creaturis non eſt poſſibile, cum ſit proprium ſolius Dei. Quando ergo dicitur, quod adoptans in filium ita deſiderat illi ſuam communicare naturam, quod lex vi affectus adoptantis fingit, eum quodam modo naturam adoptato communicare, non debet ita intelligi, quod lex fingit adoptantem communicare adoptato in phyſico ſenſu ſuam naturam; hæc enim fictio eſſet chimerica.

184 Propter hanc cauſam talis dicti ſenſus eſt, quod adoptans erga adoptatum ita ſe gerit in amore, & in dare illi jus ad hęreditatem, ac ſi re vera communicaſſet phyſicè ſuam naturam; in quo ſanè ſenſu etiam lex poſſet fingere, quod Deus adoptans hominem per purum favorem extrinſecum, eum facit participem ſuæ

naturę, ſeu gratiæ habitualis, quia ita ſe gereret Deus in amore, in benevolentia, ac in dare jus ad hæreditatem divinā filio adoptivo purè extrinſicè, & moraliter, ac ſi re vera ipſi fuiſſet communicata gratia habitualis.

185 Diſtinguo primum conſequens: ergo ſi homo adoptans poſſet, &c., ſi ex ſuppoſitione adoptandi eſſet neceſſitatus ad adoptare effectivè, ita ut non poſsit adoptare purè affectivè, conc. conſeq.: ſi cum potentia communicandi phyſicè ſuā naturam, ſimul haberet facultatem adoptandi utroque modo effectivè, & affectivè, nego conſequentiam. Ad ultimum dicatur, quod non optat ſeriò, & efficacitèr, potens facere, qui non facit pro ullo tempore, verum optat vehementèr facere, qui, & ſi non faciat quamcitiùs poteſt, facit tamen in tempore determinato à propria voluntate. Sic ſe gereret Deus, qui in tempore determinato phyſicè communicaret gloriam, cui antecedēter dedit jus per extrinſecam acceptationem ad illam, ſua enim dona gratuita communicat, quæ ad gloriam conducunt, quandò, & quomodò ipſi benè videtur.

***

DISPUT. IV.

DE MERITO, EJUS REQUIſitis, & prȩmio.

IN prȩcedenti Diſputatione egimus de juſtificatione, & remiſsione peccatorum, quæ ſunt effectus formales gratię habitualis; & nunc agendum eſt de effectibus in genere efficientis ejuſdem gratię ſanctificantis, qui effectus ſunt merita. Pro quo ſit

QUÆST. PRIMA.

Quid, & quotuplex ſit meritum?

1 DOctor Subt. in 3. diſt. 18. quęſt. unic. §. *ad iſta quæſtione*, litt. A. ſic deſcribit meritum: *eſt aliquid acceptatum, vel acceptandum in alio, pro quo ab acceptante eſt aliquid retribuendum illi, in quo eſt, quaſi debitum illi pro tali merito, vel alteri, pro quo meruit.* Iſta deſcriptio benè explicat meritum in communi; ſed quia hæc definito perfectè intelligi nequit, quin præſupponatur quędam conditio, de qua inter Theologos controvertitur: an, videlicèt, ad completam rationem meriti neceſſaria ſit acceptatio ex parte tribuentis, ideo brevius deſcribitur meritum ſic:

eſt

eſt actus laudabilis, aliqua ratione exigens collationem præmij. Facile intelligitur, quod meritum in præſenti ſumitur in bonam partem, ſcilicèt, pro bono opere præmiabili, non verò ſumitur in malam partem, ſcilicèt, pro merito punitionis, quod dicitur meritum malum, demeritum, ſeu peccatum.

2 Explicatio prædictæ definitionis meriti eſt. Dicitur *actus*, quia, & ſi in ſatis probabili opinione ſit poſsibilis pura omiſsio libera, & meritoria, hæc omiſsio ſufficienter etiam explicatur per ly *actus*; primò, quia eſt actus interpretativus, ut potè interpretativè egrediens à voluntate: ſecundò, quia carentiæ explicantur regulariter per formas oppoſitas. Dicitur *laudabilis*, quia eſt conditio meriti, quod ſit opus liberum, & moraliter bonum, nam laudabilitas non conſequitur niſi actus liberos, & moraliter bonos. Dicitur *exigens collationem præmij*, quia omne meritum dicit ordinem ad præmium. Additur *aliquomodo*, ut ſub hac definitione etiam comprehendatur omne meritum etiam de congruo, cui non debetur præmium, niſi ex quadam decentia. Et hæc pro prima parte quæſt.

3 Quoad ſecund. eiuſdem quæſt. partem eſt dicendum, quod meritum à Theologis dividitur in meritum de *condigno*, & meritum de *congruo*: quam diviſionem recipit Doct. Subt. in 4. diſt. 14. quæſt. 2. art. 2. & licèt varij ſunt modi explicandi membra huius diviſionis, communis tamen modus, & qui magis placet, eſt, quod meritum de condigno eſt actus laudabilis, habens æqualitatem cum præmio, & illud exigens ex juſtitia. Dicitur *actus laudabilis*, quæ particula debet intelligi, ut jam manet explicata. Dicitur *habens æqualitatem cum præmio*, ut diſtinguatur à merito de congruo. Additurque *illud exigens ex juſtitia*, propter eandem rationem, & ad declarandum, ad meritum de condigno requiri pactum.

4 Meritum de congruo *eſt actus laudabilis, non habens æqualitatem cum præmio, nec illud exigens ex juſtitia, ſed ex benevolentia præmiantis, & ex quadam condecentia.* Ex quo communiter Theologi vocant meritum de congruo *meritum miſericordiæ*, & cui non debetur tanta merces, ſed ex liberalitate præmiantis tribuitur illi. E contra meritum de condigno dicitur *meritum juſtitiæ*, ſeu cui ex juſtitia debetur tanta merces, quod, adhuc inter negantes propriam, & ſtrictam juſtitiam inter Deum & hominem, verum eſt; nam

iſta

iſti admitunt juſtitiam ſaltem minus propriam. Quare meritum de condigno ſolet dici meritum ſimpliciter : & meritum de congruo meritum ſecundum quid.

5 Hic occurrunt duo dubia, ex quibus eſt primum : an hæc diviſio ſit univoca ? Reſp., eſſe univocam univocatione, quæ eſt in quarto modo. Ratio pro prima parte reſponſionis eſt, nam meritum de congruo, & de condigno etiam conveniunt in re ſignificata per nomen : ergo, &c. Prob. antec.: quod datur intuitu meriti de congruo non eſt purum munus, ſeu donum, ſed præmium, ex quadam congruentia debitum merito de congruo ; ſed quod meritum collationem prȩmij exigat eſt res importata per nomen meriti : ergo, &c. Ratio alterius partis eſt ; quia, ſicut meritum de congruo perfectè non exigit præmium, ita nec perfectè participat ipſam rationem meriti, & ſe habet comparativè ad meritum de condigno ad modum, quo accidens comparativè ad ſubſtantiam, quæ, licèt univocentur in ratione entis, hæc tamen univocatio eſt imperfecta, & in quarto modo.

6 Dices, eſſe philoſophorum axioma : ei quod eſt ſimpliciter tale, & ei, quod eſt ſecundum quod tale, nihil eſt commune univocum ; ſed meritum de congruo eſt tale ſecundum quid, & meritum de condigno eſt tale ſimpliciter : ergo, &c. Ad hoc reſpondetur ſicut ad ſimile de ſubſtantia, & accidenti reſpondetur in Metaphyſica, ſcilicèt, quod illud axioma eſt verum, quando inferiora dicuntur ſimpliciter, & ſecundum quid in participanda ratione communi, non verò, quando talia dicuntur per comparationem unius ad aliud, & ſic evenit in præſenti.

7 Eſt dubium ſecundum: quæ ſit proportio, & æqualitas meriti de condigno cum præmio? Hoc dubium reducitur ad explicandam æqualitatem, & proportionem meriti de condigno cum præmio ſupernaturali, ut meritū de condigno diſtinguitur à merito de congruo. Pro quo eſt notandum quod meritum non habet æqualitatem cum prȩmio abſolutam, ſivè entitatis ad entitatem, ſeu, ut loquitur Doct. in 4. diſt. 46. q. 4. in fine, meritum non habet æqualitatem quantitatis cum prȩmio, quia in eſſe entis meritum ſemper exceditur à præmio, ut videre eſt in actu elicito charitatis à voluntate, qui multotiès inſtantaneus eſt, & tamen de condigno meretur vi-

vitam æternam unde dicebat Apoſtol. : *non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.*

8 Unde æqualitas meriti cum præmio eſt ſecundum quantitatem virtutis ſeu proportionis ſeminis ad arborem, quarè granum ſinapis eſt condignum, ſeu potius dignum plantæ, ita magnæ, ut in illa nidificent aves cœli. Si enim attendatur ad quantitatem molis hujus grani, minimum eſt ; verùm, ſi attendatur ſecundum quantitatem virtutis, & ut ſemen, ita magnum eſt, ſicut arbor ipſa. Sic ergo præmium adæquatur merito in ratione præmij at verò meritum de congruo non ſic virtute continet præmium, & ſolum fundat quandam congruentiam. Tota ergo difficultas huius dubij in eo ſtat : an ſit phyſica, vel moralis æqualitas virtualis meriti de condigno cum præmio ? Ad quod dubium

9 Eſt dicendum, talem æqualitatem non eſſe ex natura rei, & phyſicam, ſed moralem, & ex aliqua ordinatione legali. Prob. ex illa Parabola Matth., ubi loquitur Dñs. operarijs: *ite & vos in vineam meam, & quod juſtum fuerit dabo, &c.*, ubi denotantur labores, & operationes huius vitæ in ordine ad præmium æternum ; ſed per illud, *quod juſtum fuerit* denotatur præmium non ex natura operis, ſed ſecundum extimationem domini vineæ : ergo, quod tanta merces correſpondeat merito, non pendet, niſi ex ordinatione legali. Confirmatur : nam, juxta Philoſ. 5. Ethicorum, id autem eſt juſtum in humanis, quod eſt determinatum, vel per legem, vel per extimationem hominum : ergo ſimiliter id juſtum debet judicari, quod taxatum, & determinatum eſt à Deo.

10 Prob., & explicatur ſimul Concluſio : tota æqualitas meriti de condigno cum præmio provenit ex eo, quod opera eliciuntur ex auxilio gratiæ, & condignificatur à gratia habituali, quæ eſt ſemen gloriæ ; ſed gratia habitualis non eſt ſemen gloriæ phyſicè, & ex natura rei, ſed tantum moraliter, & ex divina ordinatione, quatenus ex tali divina ordinatione redditur homo ſanctus, juſtus, filius Dei adoptivus, conſors divinæ naturæ : ergo meritum de condigno non habet æqualitatem cum præmio ex natura rei, ſed tantum ex ordinatione divina. Hinc eſt, ut meritum de condigno habeat aliquam æqua-

çqualitatem cum præmio vitæ æternæ, neceſſarium eſſe pactum, & divinam ordinationem, qua Deus inſtituit hominem juſtum, ſeu opus elicitum ab homine juſto ex inclinatione gratiæ habitualis habere aliquam æqualitatem cum præmio, ad modum quo ex pacto ſuperioris, vel Principis habet pecunia tantam ſtimabilitatem, quantus eſt valor rei prętio datæ.

11 Argues: ex hoc modo explicandi æqualitatem meriti de condigno, deſtruitur diſtinctio meriti de condigno à merito de congruo: ergo &c. Prob. antec.: tum; quia, ſuppoſita ordinatione divina, meritum de condigno, vel non erit tale, ſeclusa liberalitate præmiantis, vel idem dicendum eſt demerito de congruo: tum etiã; quia, ſi meritum de condigno habet ex Dei ordinatione, & non ex natura rei çqualitatem cum prçmio, non erit meritum ex juſtitia: ergo, &c. Reſp. negando antec., cum ejus probationibus. Quando enim dicimus, æqualitatem meriti de condigno cum præmio efficere, ut illud tale ſit, ut ſeclusa quavis liberalitate præmiantis, poſsit illum movere, ad præmium conferendum, id non eſt abſolutè, & ſimpliciter intelligendum, ſed tantum in eo ſenſu, quo intervenit liberalitas præmiantis in recompenſatione meriti de congruo. Ad hoc enim remunerandum neceſſaria eſt aliqua nova gratia retribuentis, quæ non intervenit in remunerando merito de condigno.

12 Ratio huius doctrinæ debet eſſe communis omnium Scotiſtarum, quandoquidem, ſemel ſuppoſita collatione habitualis gratię, ſi juſtus, ex eius inclinatione aliquod bonum opus eliciat, tale opus non eget novo Dei favore, ut cenſeatur dignum, & adæquatum præmio, ſicut eget meritum de congruo; ſed ad hoc ſufficit ipſius gratiæ collatio, & favor, in ea incluſſus: ad modum quo ad reddendum hominem juſtum ſufficit ordinatio Dei incluſſa in ipſa collatione gratiæ. Quod ſi ad meritum de condigno requiritur aliqua divina promiſsio, diſtincta ab ordinatione, incluſſa in gratia, hęc ordinatio neceſſaria non eſt, niſi ad inducendam obligationem in Deo pro retributione præmij; cum enim ſit abſolutus, & ſupremus omnium Dominus, nemini poteſt fieri debitor, niſi ex ſuo pacto.

***

QUÆST.

QUÆST. SECUNDA.

Quæ, & quot sint conditiones requisitę ad meritum de condigno ex parte operis, & operantis?

13 CONditiones, ad meritum requisitæ oriuntur ex triplici capite. Aliæ enim requiruntur ex parte operationis, sivè actus: aliquę ex parte merentis, seu operantis: & alię requiruntur ex parte retribuentis Dei. In hac quæst. erit sermo de requisitis ex parte operis, remittendo ad quæst. subsequentem, quę necessariæ sunt ex parte operantis. Sit ergo

14 Conclusio 1.: *ut actus sit meritorius sivè de congruo, sivè de condigno, debet esse liber libertate indifferentiæ ad utramque partem.* Conclusio est fide certa & constat ex Epist. Pauli 1. ad Corinth. cap. 9., ubi sic ait: *si volens hoc ago, si autem invitus, dispensatio mihi credita est, quę est ergo merces mea?* Hęc verba intelligit Div. August. de Libertate. Et ex Ecclesiast. cap. 15., & 31.: *qui potuit transgredi, & non est transgressus.* Eadem veritas constat ex Arist. 3. Ethicorum cap. 5. asjente: *per ea, quæ nobis insunt à natura, seu, quod idem est, in naturalibus nec meremur, nec demeremur,* sed hoc non alia ratione nisi quia non est libertas, requisita ad opus meritorium: ergo, &c. Prob. min.: meritum est quasi quidam contractus, quo merens offert quod suum est, & cuius est Dominus; sed non est dominus, nisi operationis liberæ: ergo, &c. Hinc ab Innoc. X. damnata est in Iansenio illa propositio: *ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ, non requiritur in homine libertas à necessitate, &c.*

15 Dubitatis: an ita necessaria sit hæc conditio, ut nec de potentia Dei absoluta possit esse actus meritorius, quin sit liber? Respondeo saltem necessariam esse libertatem remotam. Ratio est, quia actum esse meritorium, vel demeritorium est proprietas, vel quasi proprietas actus moralis, & humani: ergo nequit esse meritorius, nisi sit moralis. Modo sic: sed libertas est fundamentum inseparabile totius generis moralitatis, cum impossibile sit, actum esse moralem, & non esse liberum: ergo, &c. Quomodò autem sufficiat libertas remota, & intrinseca: & quomodò cum illa salvetur verum dominium in merente? dicendum erit, dum fiat sermo de meritoChristi, maximè in observantia præceptorum reperto.

Sed

16 Sed dices : Deus poteſt promittere præmium vitæ ęternæ propter opus neceſſarium : ergo ad merendum non eſt neceſſaria libertas à neceſſitate. Prob. antec. : meritum dependet à divina acceptatione; ſed Deus poteſt acceptare ad vitam ęternam non ſolum actiones liberas, ſed etiam neceſſarias ; defacto enim ad palmam Martyrij , non ſolum acceptavit mortem voluntariam Apoſtolorum, ſed etiam involuntariam Sanct. Innocentium: ergo , &c.

17 Reſp. negando antec.; quia , licèt Deus poſsit promittere , & dare vitam ęternam, ſuppoſita conditione alicuius actús neceſſarij , non tamen ut præmium , ſed ut donum liberaliter conceſſum. Ad probat. dico , meritum pendere à divina acceptatione , verum acceptatio ſupponit in actu moralitatem , quę moralitas eſſe nequit ſine libertate. Puerorum Innocentium exemplum ſolvitur duplici via: primò dicendo, quod illis à Deo conceſſus eſt rationis uſus ; unde propter Chriſtum liberè acceptarunt mortem. Si hęc ſolutio non placet , ut potè ad miracula recurrens, dicatur , per alteram ſolutionem , quod gloria non fuit illis conceſſa , ut præmium, & corona , ſed ut donum gratuitum , & fuit illis remiſſum originale peccatum , & communicata gratia , in obſequium filij Dei.

18 Dices adhuc : ſi quis cogeret mercenarium ad laborandum in vinea ſua, licèt mercenarius , non libere , ſed coactè laboraret , tamen Dñus. vineę teneretur illi reddere prę-mium ſui laboris : ergo abſque libertate poteſt dari meritum. Hoc argumentum non ſolum probat de poſsibili verum & defacto contra definitionem Eccleſię : immò, & probat pluſquam hæretici prætendunt : iſti enim dicunt , requiri ad meritum libertatem à coactione. Directè ergo eſt dicendum aliud eſſe præmium correſpondens favori , aliud prę-mium correſpondens merito , & labor illius mercenarij non eſſet meritum, cui correſponderet præmium, ſed eſſet quædam res, quæ emeretur prætio.

19 Concluſio 2. : *bonitas moralis eſt conditio requiſita ad meritum, ita ut nec per potentiam abſolutam poſsit à Deo diſpenſari.* Ita Doct. Subt. in 1. diſt. 17. q. 2. §. *dico igitur* , dicente : *ultra rectitudinem , ſivè bonitatem , & conformitatem rationi rectæ , ſivè rectæ ſecundum dictamen prudentiæ , ſivè ſecundum dictamen fidei. Ultra, inquam , hæc omnia creditur eſſe*

una

una conditio in actu, videlicèt, quod eſt acceptabilis Deo & acceptatione ſpeciali, &c. Prob. deinde Concluſ. ex Sacra Pagina, nam Princeps Apoſtolorum Petrus Epiſt. 2. ait: *magis ſatagite, ut per bona opera certam veſtram vocationem, & electionem faciatis.* Et ex illo Abacuc 2.: *mundi ſunt oculi ejus*, id eſt Dei, *& ad malum reſpicere non poſſunt*: ergo actus, qui moraliter non eſt bonus, nequit eſſe meritorius, nedúm de condigno, verúm nec de congruo.

20 Circa hanc conditionem, de qua, nec in re, nec in littera, Doct. Subt. aliqua poteſt eſſe difficultas non deſunt Scotiſtæ, inter quos eſt Mayron, dicentes, quod Deus de potentia ſua abſoluta poteſt acceptare ad gloriam actum malum. Sed quam longè ſit Doct. Subt. ab hoc errore, patet ex doctrina ipſius, prout in numero antec., & in toto progreſſu illius quæſt.

21 Dices, quod Doct. Subt. in 2. diſt. 21. q. 1. §. *ad primam*, ait, quod actus meritorius poteſt eſſe cum mala circunſtantia. Ulteriùs, quia ſecundum Doct. Subt., meritum conſiſtit in acceptatione Dei: ergo poteſt à Deo acceptari actus malus. Reſp. ad prim., negando antec. Doct. enim ibi ſolum ait, quod ad actum meritorium poteſt ſequi aliquod peccatum veniale. Ad ſecundum patet ex ſupra dictis quoad libertatem.

22 Concluſio 3.: *ad hoc ut actus ſit meritorius, debet eſſe ſuper naturalis, id eſt, debet procedere ex auxillio gratiæ actualis.* Prob.: tum ex Concil. Arauſicano 2., dicente: *debetur merces bonis operibus, ſi fiant, ſed gratia, quæ non debetur, precedit, ut fiant.* Tum ex Concil. Trid. ſeſ. 6. cap. 1. dicente: *quod Chriſtus Ieſus, tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites, in ipſos juſtificatos jugitèr virtutem influit, quæ virtus eorum opera ſemper antecedit, comittatur, & ſubſequitur, & ſic qua nullopacto, Deo grata, & meritoria eſſe poſſent.* Et Cęleſtin. Papa ait in ſua Epiſtola: *non dubitemus à Dei gratia omnia hominis merita præveniri, per quam fit, ut aliquid boni, & velle incipiamus, & facere.*

23 Hic eſt dubium: an, ut actus ſit meritorius, requiratur, quod ſit opus ſupererogationis, ſeu non cadens ſub præcepto? Huic dubio reſpondeo, non eſſe neceſſe, ut actus meritorius ſit, quod ſit opus ſupererogationis. Eſt fide certum, & patet ex varijs locis Sacræ Script., ubi promittitur vita æterna ſervanti divina

mandata. Nec valet dicere contra hoc, quod dùm quis ex obligatione tenetur ad executionem alicuius operis illud exequendo, ſatisfacit quidem ſuæ obligationi, ſed non poteſt ulteriorem mercedē petere. Hoc enim ad ſummum probat, Deum non teneri abſolutè ad retribuendam mercedem pro illis operibus, ſed poſſe a nobis hæc opera exigere ſolo titulo noſtræ obligationis; hoc tamen non obſtat, ut Deus poſsit illa acceptare, uti meritoria vitę æternę. Aliæ conditiones ex parte operis aſsignantur, ut requiſitæ ad meritum, verùm, quia non ſunt ita certæ, ſicut præcedentes, ab illis ſuperſedemus.

24 Ex parte perſonæ merentis, ad meritum de condigno duæ conditiones requiruntur, ſcilicet, quod ſit in ſtatu gratiæ habitualis, & quod ſit in ſtatu vię. Prima conditio definita eſt, contra Baium, à Sancto Pio V., Greg. XV., & Urbano VIII., & poteſt pro ea formari hæc brevis ratio: defacto quilibet eſt, vel in gratia, vel in peccato mortali; ſed exiſtens in peccato mortali, non meretur de condigno: ergo ſolum meretur de condigno, qui eſt in ſtatu gratiæ habitualis. Maior eſt certiſsima. Minor prob.: implicatorium eſt, ſimul hominem eſſe dignum pœna æterna, & æterna vitaſ ſed exiſtens in peccato mortali eſt dignus pœna æterna: ergo nequit de condigno mereri gloriam.

25 Altera conditio, ſcilicèt, quod merens ſit viator, conſtat ex teſtimonijs Sacræ Script., nam Eccleſiaſtici cap. 14. ℣. 17. dicitur: *ante obitum tuum operari juſtitiam, quoniam non eſt apud inferos invenire cibum*, hoc eſt, meritum, aut tempus merendi. Et ex D. Paulo 2. ad Corinth. 6.: *ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis.* Et ad Galatas 6.: *dum tempus habemus, operemur bonum.* Ratione etiam conſtat; nam de lege ordinaria tempus meriti eſt tempus pugnæ, laboris, & certaminis; ſed tempus pugnę, laboris, & certaminis eſt ſolum in ſtatu viæ: g. &c.

26 Unde ſtatus viæ defacto hominibus conſtitutus ad merendum, vel demerendum, durat uſque ad mortem, ut conſtat ex Apoſt. 2. ad Corint. cap. 5. & 6., aiente: *dum ſumus in corpore peregrinamur à Dño. per fidem enim ambulamus.* Accedit ratio: nam via, ut ex terminis conſtat, dicit tendentiam ad terminum, ita ut, conſecuto termino, ceſſat via; ſed terminus conſequitur in morte: ergo in morte ceſſat via: igitur uſque ad mortem, & non amplius durabit via. Minor

nor claret ex illo Eccleſiaſt. 11.: *ſi ceciderit lignum ad auſtrum, aut aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit*, id eſt, in quo mors hominem reperiat, ſivè in bono, ſivè in malo, ibi permanebit.

27 Si verò dicas, animas in Purgatorio aliquid mereri ſaltèm de congruo, & tamen non ſunt in ſtatu viæ, nec ſtatim poſt mortem terminum conſequuntur; nam terminus eſt beatitudo: ergo, nec ſtatus viæ terminatur in morte. Nego mai.; licèt enim animæ Purgatorij, ſicut & beati aliquid nobis conſequantur per modum impetrationis, non verò per modum meriti; impetratio enim eſt, rogando, inclinare animum dantis, ut liberalitèr aliquid concedat; at meritum eſt, aliquid facere in obſequium præmiantis. Animæ in Purgatorio detinentur, non, ut proficiant, ſed ut ſatisfaciant, non rigoroſſa ſatisfactione, ſed ut ait Doct. ſatiſpaſſine.

QUÆST. TERTIA.

An ſine habituali gratia, & in ſtatu beatitudinis poſſit de potentia Dei abſoluta dari meritum de condigno?

28 ISta quæſtio movetur ad inveſtigandum: an ſtatus gratiæ habitualis, & ſtatus viæ, de quibus in ultima concluſione præcedentis quæſtionis dictum eſt, eſſe conditiones requiſitas ex parte operantis ad meritum de condigno, ita neceſſario requirantur, quod diſpenſari non poſſint, adhuc de potentia Dei abſoluta? Ut prima quæſt. pars reſolvatur, ſupponendum eſt, quod ſine gratia habituali, quæ nunc defacto eſt forma juſtificans, vel ſine ordinatione Dei extrinſeca, qua homo reddatur Deo acceptus, homo non poteſt de condigno mereri, adhùc de potentia Dei abſoluta.

29 Iſta ſuppoſitio eſt omnium Scotiſtarum, & prop. ex Doct. Subt. in 1. diſt. 17. quæſt. 3. §. *de ſecundo*, ſic aiente: *de ſecundo articulo dico, quod Deus de potentia abſoluta benè potuiſſet acceptare naturam beatificabilem acceptatione ſpeciali prædicta exiſtentem in puris naturalibus, & ſimilitèr actum ejus, ad quem eſſet inclinatio ex merè naturalibus, potuiſſet acceptare, ut meritorium.* Ex quibus verbis ſic eformatur ratio: adhùc attenta potentia abſoluta Dei actus non eſt de condigno meritorius, niſi ſit perſonæ, Deo acceptæ, & gratæ; ſed perſona, ut Deo grata, & accepta reddatur, indiſpenſabili-

liter requiritur, vel gratia habitualis, quæ nunc eſt forma juſtificans, vel ſaltem requiritur extrinſeca Dei acceptatio, ſupplens abſentiam gratiæ: ergo, &c. Hoc ſuppoſito, ſit

30 Concluſio prima: *ſine habitu, qui defacto habitualis gratia dicitur, poteſt homo mereri de condigno de potentia Dei abſoluta.* Prob. 1. Concluſio: Deus de ſua potentia abſoluta poteſt, hominem poſitivè ſanctificare abſque habitu ſupernaturali, qui nunc gratia habitualis dicitur: ergo & ſine ipſo poteſt homo mereri de condigno, attenta abſoluta Dei potentia. Conſeq. infertur: non enim alia ratione requiritur habitus gratiæ defacto ad meritum, niſi quia defacto ſine habitu gratiæ homo non eſt poſitive juſtus, & Deo acceptus: ſi ergo poteſt abſque tali habitu eſſe Dei amicus, mereri poterit. Prob. igitur antec.: tum ex dictis in Diſputat. de Natura, & quidditate gratiæ, & in Diſput. de Juſtificatione, ubi probatum eſt; tum, quod gratia habitualis culpam expellit, & hominem juſtificat, non ex natura rei, & phyſicè, ſed moraliter, & ex divina ordinatione; tum, quia poteſt culpa condonari extrinſecè, & homo fieri Deo gratus, ſanctus, & juſtus per puram extrinſecam acceptationem: ergo, &c.

31 Prob. 2. Concluſ.: eo ſine habitu gratiæ non poteſt homo defactò mereri de condigno vitam æternam, quia ſine illo habitu non habetur in actu æqualitas, proportio, & condignitas ad præmium; ſed de potentia Dei abſoluta abſque habitu gratiæ poteſt actus habere æqualitatem, proportionem, & condignitatem ad præmium vitæ æternæ requiſitam: ergo, &c. Prob. min.: condignitas, æqualitas, & proportio, requiſita in merito de condigno cum præmio, non eſt phyſica, & ex natura rei, ſed moralis, & ex ordinatione Dei legali; ſed hanc poteſt habere actus de potentia abſoluta, abſque habitu gratiæ: ergo, &c. Prob. min.: de potentia ſua abſoluta poteſt Deus hominem acceptare ad vitam æternam ſine acceptatione intrinſeca, quæ reperitur in habitu gratiæ, & per ſolam extrinſecam acceptationem, qua homo eſſet volitus, & ordinatus ad gloriã; ſed ex iſta extrinſeca acceptatione ſuper perſonam, ejus actus haberent ex legali ordinatione Dei æqualitatem moralem cum præmio ſuper naturali: ergo, &c.

Ar-

32 Arguit. 1. contra iſtam concluſ. : ſine gratia habituali actus non eſt æqualis valoris cum pręmio ſupernaturali : ergo ſine gratia habituali non poteſt dari meritum de condigno, adhuc de potentia Dei abſoluta. Prob. antec.: vita ęterna excedit proportionem naturæ creatæ ; ſed etiam excedit ejus actum : ergo, &c. Diſtinguo mai. : ſine gratia habituali, tam in eſſe phyſico qualitatis, quam in eſſe morali gratię, actus non eſt æqualis cum pręmio ſupernaturali, conc. mai.: ſine gratia habituali in eſſe phyſico gratię, ſubdiſting. : defacto, conc. : de poſſibili, nego maiorem. Æqualitas, quę defactò datur inter meritum, & præmium, eſt ſolius proportionis moralis, conſiſtentis in eo, quod ſit opus perſonę gratę, & acceptę Deo. Cum ergo, ſeclusſo habitu gratiæ, in eſſe rei, poſsit homo reddi charus Deo, ab acceptatione extrinſeca divina, hac ſola, & ſine habitu gratię ejus actus habebit æqualitatem requiſitam cum præmio.

33 Arguit. 2. : Deus per prius acceptat perſonam, quam opus, ad meritum, juxta illud Geneſ. : *reſpexit Deus ad Abel, & ad munera ejus* ; ſed homo eſt acceptus Deo per gratiam habitualem: ergo, &c. Diſting. min. : homo eſt Deo acceptus per habitualem gratiam, conſideratam phyſice, & ex natura rei, nego min., per gratiam conſideratam in eſſe morali gratiæ, ſubdiſtinguo: defacto, conc. : de poſsibili, nego min. Sicut enim defacto, ablata ordinatione divina, incluſſa in ipſa collatione gratię, poſitoque ipſo habitu gratiæ, ſolum in eſſe qualitatis conſiderato, homo non eſſet Deo gratus, & acceptus, ita de poſsibili poterit homo eſſe Deo acceptus, ablato habitu gratiæ, per ſolam ordinationem divinam ; ſi enim poteſt per habitum gratię reddere hominem ſuum amicum, cur ſua voluntate non poterit hominem diligere abſque tali habitu?

34 Arguit. 3. : ſi non requiritur indiſpenſabiliter habitus gratiæ ad meritum de condigno, ſequitur error Pelagij, dicentis, ad meritum ſufficere liberum arbitrium: ergo &c. Reſp. negando ſequelam : immo oppoſitum ſequeretur, quia, juxta noſtram ſententiam, ita meritum dependet à liberalitate divina ; ad quam naturæ viribus non poſſumus attingere ut,

ut ſine illa nullatenùs poteſt dari meritum, ut conſtat ex ſuppoſitione prę̃miſſa ad concluſionem præſentem. Pelagius, & Pelagiani aſſerebant, hominem viribus naturæ mereri, & ad hoc ſufficere naturam liberi arbitrij, nulla facta mentione veræ gratiæ, nec actualis, nec habitualis, nec ordinationem, aut acceptationem divinam neceſſariam putabat Pelagius, & Pelagiani; ſed per gratiam ſolum intellexere liberum arbitrium gratis collatum in hominis creatione. Nos autem ad meritum requirimus defacto habitum gratiæ in eſſe gratiæ, de poſsibili, Dei acceptationem extrinſecam, ſine qua, nec ipſe habitus gratiæ eſſet defacto forma juſtificans. Caſu ergo, quo homo juſtificaretur per acceptationem extrinſecam Dei, ſicut per ipſam eſſet ſanctus merè extrinſicè, ita ab ipſa haberet actus illius aliquam extrinſecam ſupernaturalitatem.

35 Arguit. 4.: vel homo in caſu illo poſsibili, per nos mereretur per actus elicitos ex auxilio ſupernaturali, vel per actus, elicitos viribus ſolius naturę; ſed neutrum dici poteſt: ergo, &c. Prob. min.: ſi homo in illo caſu mereretur per actus, elicitos ab auxilio ſupernaturali, non eſſent actus amici Dei; ſiquidem non procederent à gratia habituali, per quam ſolam homo fit amicus Dei; ſed aliundè actus illi, ſolis naturæ viribus eliciti, eſſent improportionati cum præmio ſupernaturali: ergo, &c. Reſp., quod quomodocumque actus illi eſſent eliciti, haberent ſufficientem, proportionem cum præmio vitę æternæ; licèt enim illi actus ſolis naturæ viribus eliciti, eſſent entitativè, & intrinſicè naturales, & improportionati, non tamen eſſent virtualitèr, & ęquivalentèr extra ſtatum gratię, qua homo tunc eſſet acceptus per extrinſecum favorem, ſufficientèrque eſſent actus illi proportionati: undè haberent, tam ſupernaturalem, quam proportionem cum præmio ſupernaturali. Deindè: actus illi poſſunt elici ab auxilio gratiæ actualis; conſequentèrque à principio ſupernaturali, quod gratia habitualis formaliter non eſſet, ſed æquivalentèr, & tunc multo magis haberent, quod ad meritum requiritur, quam actus, eliciti ex naturæ viribus.

36 Arguit. 5.: quod opera ſint condigna æterna vita, non eſt, quia Deus acceptat, quin potius è contra: ideo Deus acceptat opera, quia ſunt digna æterna vita: ergo ſine habituali gratia, defacto juſtificante, non poteſt dari meritum de condig-

digno. Hoc argum. tangit difficultatem poſtea examinandam. Pro nunc dico, quod eſt duplex acceptatio de facto ad meritum; una prævia, & cadens ſupra perſonam, quæ ſpectat ad gratiam habitualem: qua Deus, hominem habentem habitualem gratiam, ordinavit in ſuum amicum, atque eius actus eſſe vita æterna dignos. Alia acceptatio cadit ſuper actum ipſum, & eſt, qua Deus ſe obligat ad retributionem vitæ æternæ pro talibus actibus. Hæc ſecunda acceptatio ſupponit dignitatem operis; prima verò non ſupponit, quin potius illam præſtat. Bonitas enim naturalis actus eſt quidam inchoatus valor, qui per ordinationem completur in ratione digni, & æqualis. Unde Deus acceptat opera, quia ſunt digna incompletè per primam acceptationem; non verò ſunt completè digna, ſeu Deum obligantia, niſi dependenter ab acceptatione ſecunda.

37 Concluſio reſpondens alteri parti quæſt.: *de potentia Dei abſoluta poſſunt mereri de condigno beati, exiſtentes extra ſtatum viæ.* Concluſ. hæc eſt Doct. Subt. in 3. diſt. 18., cum quo omnes Scotiſtæ, & plurimi alij. Prob. brevitèr: opera beatorum non ſunt minoris valoris, quam opera juſtorum in via, nec beati ſunt minoris dignitatis, immò maioris; ſed Deus defacto acceptat opera viatorum, ut meritoria de condigno: ergo attenta ſua abſoluta potentia, poterit acceptare opera beatorum, exiſtentium extra viam. Ex hoc inferes duo: unum eſt, non inconſultò poni in concluſione: *beati, exiſtentes extra viam*, ut ſignificetur, Chriſtum Dñum. defacto meruiſſe, licèt beatus ab inſtanti Conceptionis; erat enim ſimul, & beatus, & viator. Secundum, quod infertur eſt, viæ ſtatum ad meritum requiri, non ex natura ipſarum actionum, nec ex aliqua circunſtantia, ſe tenente ex parte ipſarum, ſed ſolum ex decreto Dei, certum tempus præfinientis ad meritum.

38 Dices 1. contra concluſ.: aliquis terminus debet aſſignari in merito; ſed, ſi beati poſſent de potentia abſoluta mereri, eorum merita terminum non haberent, cum per totam æternitatē mererentur: ergo nec de potentia Dei abſoluta, &c. Maior videtur certa; nam, ſi non aſignatur terminus in merito, poſſet quis in infinitum mereri. Reſp., argum. ſolum eſſe meram congruentiā, ut defacto, & ſecundum potentiam ordinariam beati non mereantur; at loquendo de potentia ab-

abſoluta, eſt neganda abſolutè maior, quin obſtet imbibita probatio; nulla enim eſt repugnantia in eo, quod quis poſsit habere meritum infinitum extenſivè, ſicut beati habent infinitum [illegible], & damnati pœnam infinitam extenſivé; at eſſet implicantia, habere meritum infinitum intenſivè, quia talis actus eſſet intenſive infinitus.

39 Dices 2.: beati per ſua opera, & per ſuos actus defacto ſunt digniores, maiori, & maiori præmio, & tamen Deus præmium denegat: quomodo ergo ſine injuſtitia? Inſtatur hæc replica in ſententia contraria, ſecundum quam Chriſtus Dominus meruit infinitum præmium, & tamen Deus illi non dedit, niſi præmium finitum: quomodo ergo ſine injuſtitia? Reſpondeant, & erit noſtra reſponſio. Dico tamen directè, quod beati exercent operationes, quæ habent ſufficientem valorem à gratia, ut acceptarentur à Deo, ſi ita diſpoſſuiſſet, ut eſſent meritoriæ; ſed non ſunt ita acceptatæ defacto, nec ita dignę augmento gloriæ, ut Deus abſque injuria non poſsit illud negare; tunc, quia ipſis deficit pactum, & ordinatio Dei, quæ ut poſtea videbimus eſt neceſſaria ad meritum; tum, quia ut ſupremus Dominus, multis titulis illa opera exigit etiam, ſi, abſque omni injuria, non reddat pro eis novum prȩmium. Hoc maximè locum habet in beatis, qui cum ſint cumulati à Deo tot beneficijs, quid mirum, quod illa opera exigantur in gratiarum actionem?

QUÆST. QUARTA.

An, ut bona opera juſtorum, elicita ex gratia, ſint meritoria de condigno, procedere debeant ex imperio charitatis?

40 SUpponendum eſt primo contra Bañez, non ſolum actus charitatis, ſivè à charitate elicitos, ſed etiam actus, reliquarum virtutum, ſivè infuſſarum, ſivè acquiſitarum, ab homine juſto elicitos, & à charitate imperatos, eſſe meritorios de condigno vitæ æternæ. Hæc ſuppoſitio eſt manifeſta ex omnibus Script. locis, ubi vita æterna promittitur, legem, & præcepta ſervantibus. Et quamvis aliqua loca Script., & PP. in contrarium adducantur, quæ charitati tribuunt prȩmium vitæ ȩternæ, & ipſam prȩferunt reliquis virtutibus, quia hanc ſolam, dicunt, eſſe radicem meriti, & principalem juſtitiam noſtram, hoc ſolum debet intel-

telligi de maiore perfectione meriti, & ipſius charitatis, non verò, quod ſolus charitatis actus ſint meritorij. Aliàs enim Deus, non coronaret, niſi charitatem, quæ eſt propoſitio damnata in Queſnel.

41 Unde ſolum eſt dubium: an, & quomodo actus aliarum virtutum à charitate debeant ordinari in Deum, ut ſint merita de condigno. Pro quo eſt ſupponendum ſecundo, triplicitèr poſſe actum ad Deum ordinari per charitatem, ſcilicèt, habitualitèr, virtualitèr, & actualitèr. Ordinatio habitualis in Deum nihil aliud eſt, quam perſonam operantem, quando operatur actum bonum, habere habitum charitatis, ita tamen, ut charitas non influat, nec elicitivè, nec impetrativè in talem operationem. Ordinatio virtualis, eſt, quando aliquis ex amore Dei proceſsit ad aliquid faciendum, poſtea verò rem facit, non cogitando de illo fine. Ordinatio actualis eſt actualis operatio charitatis, vel qua diligitur Deus ſuper omnia, vel qua imperantur, & executioni mandantur aliarum virtutum operationes propter Deum.

42 Et, ut percipiatur, actualis, & virtualis relatio actuum virtutum per charitatem, recogitandum eſt, quod Theologi dicunt de formali, & virtuali intentione. Intentio formalis, ſeu actualis eſt quę comitatur actum. Intentio virtualis eſt volitio finis, antecedens ad opus, quod intenditur fieri, quæ volitio continuatur in medijs, ad finem conducentibus, v. g. vult quis cum advertentia celebrare ſacrum, & poſtea nihil jam cogitando de celebratione ſacri, non verò retractata volitione ſe præparat confitendo ſua peccata, &c., in hoc caſu, licèt intentio celebrandi non maneat formalitèr in ſe manet virtualitèr in confeſsione peccatorum, &c. Quæritur igitur: an ad meritum de condigno requiratur, quod antequam eliciatur virtutis opus, neceſſe ſit, quod pręceſſerit formalis: & expreſſus actus charitatis, ſed ſufficiat, quod tantum fiat in ſtatu gratię habitualis?

43 Circa præſentem difficultatem tres ſunt ſententię, duæ extremæ, & una media. Prima negat, opus cujuſcumque virtutis eſſe in juſto meritorium de condigno abſque influxu charitatis, ſaltem virtuali. Ita Doct. Subt. in 2. diſt. 41, & ibidem Div. Bonaventura. Secunda ſententia extrema affirmat, omne opus bonum, factum à juſto, cum ſola ordinatione habituali charitatis eſſe

de condigno meritorium. Tertia ſententia ait, nulla opera moralia virtutum acquiſitarum eſſe de condigno meritoria abſque imperio charitatis; opera verò virtutum infuſſarum eſſe talia cum ſola relatione habituali charitatis. Cum prima ſententia, quæ eſt communis inter Scotiſtas, ſit

44 Concluſio: *ad meritum de condigno, non ſufficit, quod juſtus ſit, & ex gratia actuali agat, qui operatur opus bonum, ſed ultra requiritur, quod tale opus ad Deum per charitatem referatur relatione ſaltem virtuali.* Prob. 1.: nam Doct. Subt. citat. ponit actus indifferentes inter meritorios, & demeritorios, probatque non eſſe meritorios, ſic: *nec videtur eſſe in iſtis actibus ſufficiens ratio bonitatis, ut ſint meritorij, quia non videtur minor relatio ſufficere ad meritum, quam relatio virtualis, qualis non eſt hic.* Similia habet verba quodlib. 17. §. *de ſecundo dico, ¥. contra hoc*: actus aliquis indifferens poteſt elici ab habente charitatem, quia non apparet repugnantia, quod aliquem actum eliciat, non ordinans actualiter ad finem ultimum, vel virtualialiter, hoc eſt, virtute alicujus actus, ordinati ad illum: unde ille non eſt meritus, tamen nec eſt peccatum, quia nullo præcepto adſtringitur quis actualiter omnem actum ſuum ordinare in Deum modo prædicto. Ex quibus Doct. verbis.

45 Sic formatur ratio: juxta Doct. citatum, datur actus indifferens inter meritum, & demeritum in homine, habente gratiam, & charitatem, ſed hoc eſſet falſum, ſi ſufficeret ad meritum habitualis relatio ad Deum per charitatem: ergo hæc non ſufficit, ſed neceſſaria eſt, ſaltèm virtualis. Prob. min.; reſpectu cuiuſcumque talis actus aſſignabilis, verificatur, referri in Deum habitualiter: ergo eſſet actus meritorius, & non eſſet indifferens. Iſta conſequentia tenet: nam in contraria ſententia, ut actus ſit meritorius, eſt ſufficiens, quod ſit bonus, & habitualiter à charitate relatus; ſed iſte actus, de quo loquitur Doct. eſt in genere moris bonus, & eſt habitualiter à charitate relatus, ut procedens ab homine, habente habitum charitatis, & gratiæ: ergo, &c.

46 Maſtrius, qui noſtram & contrariam opinionem defendit problematicè, reſpondet, quod Doct. Subt. in 2. diſt. 7. quæſt. unic. §. *ad ſolutionem*, ait: *non dari actum indifferentem inter meritum, & demeritum in juſto hac ratione: modo, id eſt, pro ſtatu naturæ elevatæ quilibet*

eſt

eſt in gratia, vel in peccato; ſic in gratia, & habet actum bonum ſecundo modo, hoc eſt, bene circunſtantionatum: ergo gratia inclinat ad illum, & ita eſt meritorius. Ex quibus ait Maſt. de Juſtificatione num. 267. quod non ſufficiat ordinatio, ſeu relatio habitualis, non poteſt ſalvari, non dari, actum indifferentem, & denique, quod illa conſequentia Scoti non teneret, ſi actus eſſet indifferens, quod negat Scotus. Hæc tamen Maſtrij doctrina deficit multipliciter.

47 Primò, quia Doct. Subt. in loco alegato non diſputat exproſeſſò: an detur actus indifferens in individuo inter bonum, & malum, meritorium, & demeritorium; ſed ſolum: quomodo actus ſit bonus, aut malus ex triplici bonitate; aut malitia, quas ibi explicat; & de indifferentia (ait ipſe) dicitur aliàs; ideo pro tunc dubitativè admittit, non dari actum indifferentem, quod conſtat clarè ex ejus verbis, nam ait: *fortè tamen in ſtatu iſto non eſt actus neuter, &c.*; ubi notetur illa particula *fortè*, quæ dubitationem, vel permiſſionem ſignificat. Cum autem poſtea diſt. 41. probabilius judicet, dari actum indifferentem inter meritum, & demeritum, adhuc in homine juſto, hæc, & non illa ſententia de mente Doct. eſt tenenda.

48 Secundò, quia illa conſequentia non valet ex mente Doct., cum oppoſitum videatur determinare, tum in diſt. 41.: jam citata; tum quodlib. 17., ubi poſt aſsignatam habitudinem actus ad charitatem, ut meritorius evadat, ait: *ſed qualis habitudo actus ad charitatem requiratur ad hoc, ut ſit meritorius, dubium eſt; videtur, quod ſufficit, charitatem ineſſe operanti*, quia ex quo ſecundum *charitatem eſt ſpecialitèr dilectus, actus eius ſpecialitèr acceptabitur* (ecce relationem habitualem) contra quam arguit per authoritatem ſupra poſitam, cuius verba prima ſunt: *actus aliquis indifferens*, & concludit: *quod non ſufficit habere charitatem inexiſtentem, ut actus ſit meritorius*: ergo ex mente Doct. negari non poteſt, quod actus virtutis, ſaltèm virtualitèr per charitatem ordinetur, eſt quid neceſſarium, ut talis actus ſit de condigno meritorius.

49 Prob. concluſ. ex Sacra Script., & ex Trid.: Concil. ſiquidem ſeſſ. 6. cap. 16. vocat opera meritoria quæ in Deo facta ſunt. Et etiam cap. 10. ejuſdem ſeſsionis ait: *juſtificari per charitatem, & obſervationem mandatorum Dei, & Eccleſiæ in ipſa juſtitia, per Chriſti gratiam* ſa-

assumpta, cooperante fide, bonis operibus crescunt, atque magis justi justificantur; at fides, quæ cooperatur bonis operibus, est fides, quæ operatur per Christum ad Galatas 5.: *in Christo enim Iesu, neque circumcisio, &c. sed nova creatura*: ergo fides, quę per Christum operatur, est quæ meretur: ergo charitatis imperium, saltem virtuale, requiritur ad meritum. Luc. 9. dicitur: *quicumque receperit puerum istum in nomine meo, me recipit.* Matth. 19.: *qui reliquerit domum &c.* 1. ad Corint. 10.: *sivè manducabitis, sivè bibitis:: in gloriam Dei facitè*; sed facere propter Deum, in Deo, & in nomine Dei, est facere ex amore Dei: ergo, quod opera fiant ex motivo charitatis, saltem virtuali, requiritur ad meritum de condigno.

50 Prob. Conclus. ex D. Gregor. homil. 27. super Evangelia per hæc verba: *non habet aliquid viriditatis ramus boni operis, si non maneat in radice charitatis.* Et explicans Mag. Parens quid intelligat per manere in radice charitatis opus virtuosum justi, non est contentus cum sola inexistentia, seu consortio virtutis infusę charitatis, seu gratiæ, sed expressè intelligit, quod bonum opus fiat aliquomodo ex motivo charitatis; per verba ejus sequentia: *sunt nonulli, qui diligunt proximos, sed per affectum cognationis, & carnis; quibus tamen in hac dilectione sacra Eloquia non contra dicunt:: hi tamen illa sublimia dilectionis præmia non assequuntur*: ergo, cum nulla sit excogitabilis minor per charitatem radicatio bonorum operum, à justo elicitorum, quam virtualis, &c.

51 Solutiones Vazquez optimè impugnat Mastr.; ipse tamen respondet, quod D. Gregor. ibi non negat omnem mercedem amori proximorum, non elicito ex motivo charitatis seu ex ejus imperio, sed solum negat mercedem in gradu eximio, & magis perfecto, quod, ait, eruitur ex illis verbis: *& tamen illa sublimia dilectionis præmia non assequuntur*; sed sanè immemor sui hoc fatetur Mastrius: quia hoc est concedere, quod impugnat contra Vazquez, ut ibi legenti clarè constabit. Si namque solutio tenet, infero: ergo, licèt operibus istis negetur merces, quæ conceditur operibus, factis ex charitate, non tamen negatur absolutè merces; sed ista est solutio Vazquez: ergo Mastr. concedit, quod impugnat contra Vazq. Quare eodem mo-

modo utraque ſolutio impugnanda eſt.

52 Igitur contra utramque arguitur: ſecundùm Div. Greg., illa opera conſequuntur gloriam, vel illam merentur, quæ fiunt ex affectu charitatis; ſed opera in quæ gratia, vel charitas non influit actualiter, vel virtualiter, non fiunt ex affectu charitatis: ergo, &c. Prob. maior ex ipſo D. Greg.: non habet aliquid viriditatis actus, ſi non manſerit in radice charitatis; ſed per radicem charitatis intelligit Sanctus Doct. affectum erga Deum: ergo ſolum illa opera, &c. Confirm.: amor proximi, cui Sanct. Greg. negat præmium vitæ æternæ, eſt actus bonus, vel malus? Si malus, falſum eſſet, quod illi non contradicerent Sacra Eloquia: ergo eſt bonus, & ex bono fine: & proindè, quod meritorius non ſit, unicè provenit ex eo, quod non fiat ex affectu charitatis. Hoc ipſum dixit D. Auguſt. ſupra illud Pſalmi 51.: *& radicem tuam de terra viventium, radix noſtra charitatis noſtra, fructus noſtri opera noſtra, opus eſt ut opera tua de charitate procedant.* Et Serm. de Charitate: *charitas cauſa meritorum bonorum, ex qua quidquid eſt boni operis vivit.*

53 Prob. Concluſ. ratione: nullus actus eſt de condigno meritorius, niſi habeat proportionem, & æqualitatem cum præmio, modo jam ſuprà explicato; ſed ſine imperio charitatis opus non habet valorem proportiotum, & æqualitatem requiſitam cum vita æterna: ergo, &c. Prob. minor: ſecluſo charitatis imperio, opera aliarum virtutum ſunt longè imperfectiora in valore ipſo actu charitatis; ſed vita æterna eſſentialiter conſiſtit in actu charitatis; ſiquidem beatitudo noſtra formalis in alio non ſtat, quam in fruitione, quæ ex dictis in Tract. de Beatitudine, & Viſione, eſt actus elicitus ab habitu influſo charitatis, præſupponente in Patria habitum luminis, & viſionem intuitivam Dei: ergo, &c.

54 Si dicatur, tales actus habere dignitatem illam, & proportionem eo quod fiant ab homine per gratiam dignificato, & ſecundum inclinationem habitualem charitatis, quod ſufficit ad hoc, ut meritorij ſint. Contra, ſiquidem, vel habitus charitatis, aut eius obiectum media illa inclinatione aliquid influit in illo actu, vel non? Si influit, habetur intentum;

ſi-

ſiquidem influxus non ſtat, quin actualiter, vel ſaltem virtualiter influat, imperet, vel referat illos actus in finem ultimum. Si non influit, ſequitur; quod non bene Auguſt. de libero arbitrio diceret; quod gratia ſe habet ad voluntatem, ſicut ſeſſor ad equm, quem regit; nam negato influxu, & imperio, ſaltem virtuali charitatis ad alias virtutes, iſtæ ab illa non regerentur.

55 Sed dices adhùc, quod actus aliarum virtutum à charitate, licèt non dignificentur à gratia phyſicè, per puram ordinationem habitualem, dignificantur tamen moraliter, quod ſufficit, ut conſtituantur proportionati cum vita æterna. Contra: implicat, aliquam operationem, adhuc moraliter dignificari per gratiam, niſi habeat ordinationem, & habitudinem intrinſecam ad illam; ſed ſtante ſola ordinatione habituali, operatio nullam habitudinem intrinſecam dicit ad gratiam: ergo nec moraliter dignificatur ab ea. Maior videtur certa; nam ſecluſa omni habitudine intrinſeca ad gratiam, gratia per accidens ſe habet ad illam operationem. Prob. min.: impoſsibile eſt, operationem importare habitudinem intrinſecam ad gratiam, & à gratia phyſicè immediatè, vel mediatè non procedere; ſed ſola habituali ordinatione ſtante, operatio, nec immediatè, nec mediatè à gratia procedit: ergo, &c.

56 Arguit. 1.: bonis operibus juſtorum promittitur vita æterna; ſed actus boni, ſecluſo imperio, & relatione, etiam virtuali, charitatis, à juſto facti, ſunt opera bona juſti, ergo, &c. Maior prob. pluribus authoritatibus; nam Matth. 25. dicitur: *venite benedicti :: eſurivi, & dediſtis mihi manducare &c.* Secundò Marc. 3. *qui fecerit voluntatem Patris mei*, ubi expreſsè conſtat, & quod vita æterna confertur pro actibus miſericordiæ, & quod, ſervantibus legem Dei ex ſolo fine ipſius legis, & aliarum virtutum, proponitur fraternitas à Chriſto, quæ non eſt aliud, quam promiſsio vitæ æternæ. Concil. Trid. declarando conditiones, ad meritum requiſitas, nullam facit mentionem de relatione virtuali per charitatem; ſed ſeſſ. 6. cap. 6. ait: quod bonis operibus, in ſtatu gratiæ factis, nihil deeſt, ut ſint meritoria de condigno vitæ æternæ: ergo, &c.

57 Reſpondeo argum. diſting. mai.: bonis operibus juſtorum vita æterna promittitur ſi fiant propter Deum, vel in nomine Dei, conc.: aliis operibus nego mai. Quæ primo

mo modo non ſunt, erunt opera indifferentia in ratione meriti; & ratio diſtinctionis eſt, quia id expreſsè habetur, tam in authoritate Script., quam in authoritate Concil. Trid. Marc. 9. dicitur: *quisquis enim potum dederit vobis aquæ in nomine meo.* Concilij Trid. verba ſunt iſta: *nihil ipſis juſtificatis amplius deeſſe credendum quominùs pro illis quæ operibus, in Deo facta ſunt:: vitam æternam promeruiſſe cenſeantur*; ſed fieri in Deo, vel in nomine Dei, eſt fieri propter Deum, quod eſt fieri ex charitate: ergo tantum opera, quæ ita fiunt, erunt meritoria. Dupliciter poteſt quis operari propter Deum, vel ſecundùm quid, & quantum ad ſubſtantiam operis, vel ſimpliciter, & quantum ad modum etiam, ipſius operis, referendo ipſum opus, ſaltem virtualiter in ipſum Deum per charitatem; nam eſt voluntas Dei, ut omnia in charitate, & relatè ad gloriam Dei fiant, & hic modus requiritur in juſto, ut mereatur vitam æternam.

58 Replicatur ex Vazquez: ergo fruſtrà Matth. 25. inducuntur juſti dicentes: *quando te vidimus eſurientem, & pavimus te?* Prob. conſequentia; nam, ſi eleemoſinam feciſſent propter Deum, iam ipſum in paupere vidiſſent eſurientem. Secundò: ibi Chriſtus damnat reprobos; ſed non quia eleemoſinam non fecerunt propter Deum, ſed quia abſolutè non fecerunt: ergo ſimiliter juſti præmiantur, non ſolum ob eleemoſinam, factam propter Deum, ſed etiam abſolutè propter eleemoſinam. Reſp. ad primum, meritò juſti ſtupentes fuerunt de verbis Chriſti; qui abſolutè dicit; ſibi factam eſſe: *eſurivi, & dediſtis mihi manducare:* ideo inter rogant: *quando?* & ait Dominus: *quod uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis;* quia propter me feciſtis.

59 Ad ſecundum dico, quod, ſicut Chriſtus non præmiat pro ſolo opere miſericordiæ, ſed propter opus, factum propter ſe ipſum; ita non reprobat malos, quia eleemoſinam non retulerunt in ipſum, ſed quia ipſam nullo modo fecerunt. Hæc vera ſunt: ſed in his ſtat argumentum in ſolutum ab Authore, cujus eſt hæc præcedens ſolutio. Quare negatur paritas; nam, ſicut meritum ſequitur rationem boni, ita demeritum naturam mali; cum autem bonum ſit ex integra cauſa, & malum ex quocumque deffectu, hinc, licèt ad demeritum ſufficiat, non dare eleemoſinam, cum quis tenetur; ta-

tamen ad meritum requiritur, quod eleemoſina fiat cum debitis circunſtantiis.

60 Arguit. 2.: ad meritum ſufficit, opus eſſe ſimpliciter bonum, ſupernaturale, & quod procedat ab homine, exiſtente in gratia: ergo non requiritur relatio per charitatem. Prob. antec.: ipſo opus illud eſt Deo gratum, juſta illud Geneſ. 4.: *reſpexit Deus ad Abel, & ad munera ejus*: ergo, &c. Nego antec.: & ejus probationem: nam textus ille ſolum probat, quod Deus prius acceptet perſonam, quam opera, at non eo ipſo, quod perſonam acceptet, ejus opera tenetur acceptare, niſi fiant cum omnibus circunſtantijs exactis, ex quibus eſt una, vel quod eliciantur à charitate, vel ab ea, ſaltèm virtualiter, referantur in Deum: & quidem valdè congruentèr; cum enim inclinatio charitatis, ſeu gratiæ habitualis ſit per modum principij activi, hinc eſt, quod opera non erunt meritoria abſque aliqua ex his relationibus.

61 Arguit. 3.: ut actus ſit meritorius de condigno, ſufficit, quod ſit bonus, ſupernaturalis, & proportionatus cum præmio; ſed hoc habent actus virtutum, à juſto eliciti ſine imperio, adhuc virtuali charitatis; ergo, &c. Prob. min.: gratia dignificat, non ſolum perſonam, ſed etiam actus bonos, & ſuper naturales: ergo iſti habent dignitatem, & æqualitatem cum præmio. Reſp. negando min.: & ejus probationem. Ex Doct. enim citato, non omnia opera juſti dignificantur à gratia; aliàs opera non mala, ſeu indifferentia dignitatem à gratia reciperent, quod eſt falſum. Sola ergo illa opera, à juſto elicita, dignificantur à gratia, in qua ipſa gratia active inclinat. Cum autem inclinatio activa ſalvari nequeat ſine actuali, vel virtuali relatione in finem ultimum, hinc nullus actus, quamvis bonus, ſupernaturalis, & ab homine juſto factus, habebit æqualitatem cum premio, ſine aliquo influxu charitatis.

62 Arguit. 4.: ex noſtra ſententia ſequitur, multos actus hominis juſti non eſſe meritorios de condigno, maximè apud illitteratos qui nihil cogitant, & forte nunquam audierunt talem ordinationem; ſed hæc ſequela eſt dura nimis: ergo, &c. Ad hoc reſpondet Pontius negando min.: nullum enim eſt inconveniens, quod multi actus juſtorum meritorij non ſint, quia carent debito fine, requiſito ad meritum, & hoc de quibuſdam actibus mihi probabilius videtur. Nihilominùs cum Maſ-

Maſtr. dic, quod maior pars operum juſti eſt meritoria vitæ æternæ, quia cum nihil frequentius, à Miniſtris Eccleſiaſticis, concionatoribus, ſcilicèt, & confeſſarijs audiant ruſtici, quam, quod omnia opera noſtra fiant in gloriam Dei; hinc ſæpiſsimè opera ſua in Deum referunt, ſaltem virtualitèr, etiam illitterati, in gratia exiſtentes.

QUÆST. QUINTA.

An ad meritum de condigno neceſſaria ſi divina promiſsio de præmio retribuendo?

63 IN iſta quæſt. ſunt reſolvendę duæ difficultates, quæ apud Theologos examinantur. Eſt prima difficultas: an opera elicita ex gratia in eſſe gratiæ, ſint adęquatè, & completè meritoria de condigno per ſolam acceptationem habitualem, incluſſam in ipſa collatione gratiæ abſque promiſsione, pacto, & acceptatione actuali de præmio tribuendo? Secunda difficultas eſt: an ſuppoſito, quod ad rationem completam meriti ſit neceſſaria promiſsio, & acceptatio actualis, nihilominus independenter ab ea habeatur æqualitas, & condignitas cum præmio reperiatur in operibus, ex gratia elicitis. Pro quarum difficultatum reſolutione, notari debent duę acceptationes Dei, ex quibus una dicitur *habitualis*, & eſt prævia ad opus, ſpectatque ad perſonam, qua videlicèt, Deus ordinavit hominem, gratia decoratum, ut filium, hæredemque beatitudinis, ac paritèr omne opus bonum, ab eo elicitum, eſt ordinatum, tanquam dignum vita æterna.

64 Iſta acceptatio habitualis eſt ipſe habitus charitatis in eſſe gratiæ conſtitutus, qui perſonam dignificat, conſtituendo hominem Dei formem, Dei filium, & hęredem, & paritèr dignificat concomitantèr operationes elicitas à tali perſona ſecundum charitatis inclinationem, eas reddendo opera Deo accepta, & grata, ut potè perſonæ Deo charę. Alia Dei promiſsio, ordinatio, ſeu acceptatio actualis, & extrinſeca dicta cadit immediatè ſuper ipſum opus meritorium, per quam promittit Deus ſe daturum vitam ęternam ſervantibus præcepta, deſervitque ad inducendam obligationem in præmiante ad præmij retributionē. Conſequenter ergo ad hanc duplicem acceptationem eſt ponenda duplex concluſio, quarum ſit

65 Concluſio 1.: *pactum* „& promiſsio Dei actualis, à qua

„opera juſtorũ vim habẽt ad in-
„ducendam in Deo obligationẽ,
„& debitũ præmiandi talia ope-
„ra, non dat ſed potius ſuppo-
„nit in operibus *juſtorum valo-
rem, æqualitatem, & condigni-
tatem cum præmio.* Hęc conclu-
ſio prob. ex Subt. Doct. in 1.
diſt. 17. q. 3., ubi docet, quod
actus eſt acceptus Deo ſpeciali quadam acceptatione in ordine ad præmium propter habitum ſupernaturalem gratiæ; ſed eſſe acceptum in ordine ad præmium propter habitum gratiæ, eſt habere propter talem habitum ęqualitatem, valorem, ſeu dignitatem: ergo independenter a Dei promiſsione, & acceptatione actuali de prȩmio retribuendo, ipſa opera in gratia, & ex gratia elicita, habent ęqualitatem, & valorem. Prob. min. ex ipſo Doct.: actum ordinari ad vitam æternam, tanquam meritum condignum, ſufficiens, & æquale ad præmium, eſt habere æqualitatem valorem, & condignitatem cum præmio; ſed acceptatio actus per habitum gratię eſt ordinatio actus ad vitam, ęternam, tamquam meriti condigni ad præmium: ergo, actum eſſe acceptum in ordine ad præmium per habitum gratiæ, eſt habere condignitatem, & valorem per talem habitum in ordine ad præmium vitæ æternæ.

66 Prob. concluſio rationibus, ex quibus eſt prima: opera juſtorum habere valorem, & condignitatem vitæ æternę eſt eſſe æqualia æqualitate proportionis, & virtutis cum vita æterna; ſed gratiæ habitualis ratione, & promiſsionis, in ipſa incluſſæ habetur in operationibus juſtorum talis æqualitas: ergo & habetur valor, & condignitas. Prob. min. primò; quia opera juſtorum non habent æqualitatem cum vita æterna, niſi quatenùs ſunt opera filiorum Dei; ſed ſunt talia à gratia habituali, à qua homo eſt, & dicitur filius adoptivus, & amicus Dei: ergo ratione gratię, &c. Prob. hæc min.: tum quia vita æterna eſt hæreditas filiorum Dei, tunc, quia ſola gratia, ut pote ſemen gloriæ, adæquat in virtute gloriam ipſam: ergo, &c. Prima minor probatur ſecundò: ipſa perſona operans ratione habitus gratię eſt digna vitæ ęternæ; ſed dignitas perſonę per gratiam infert dignitatem operationis, quæ dignitas eſſe non poteſt abſque ęqualitate, valore: ergo, &c.

67 Confirm. 1.: actus meritorios habere æqualitatem, & condignitatem vitæ ęternę, eſt eſſe proportionatos, & commenſuratos cum illa; ſed hoc non habent preciſsè ratio-

tione alicuius pacti, & acceptationis, cadentis immediatè ſupra ipſum actum: ergo ratione acceptationis habitualis, præviæ ad actum. Prob. minor: impoſsibile enim eſt, quod opus alicuius ſit apud Deum acceptum, niſi ipſe ſit gratus, & acceptus; ſed nullus eſt acceptus, & gratus apud Deum ratione alicuius pacti, & promiſsionis immediatè cadentis ſupra actum: ergo, &c. Minor conſtat: Deus enim prius acceptat perſonam, & poſtea illius actus, juxta illud Geneſ.: *reſpexit Deus ad Abel, & ad munera ejus.* Deinde: ſi Deus de potentia abſoluta acceptaret actus bonos alicujus exiſtentis in pura natura, ut meritorios gloriæ, (quod non repugnare jam diximus) prius acceptaret perſonam, conſtituendo illam gratam per extrinſecam acceptationem, quam actus, ab illa procedentes; ſed defacto, & in iſta providentia homo eſt acceptus, & amicus Dei per gratiam habitualem: ergo condignitas, & æqualitas actus meritorij cum præmio, fundatur in gratia habituali.

68 Confirm. 2.: voluntas poteſt elicere actum charitatis abſque habitu charitatis, & gratiæ; ſed hic actus non eſſet de condigno meritorius, ſiquidem non eſſet elicitus ex inclinatione habitus ſupernaturalis, ſecundum quem Deus defacto diſpoſuit illum acceptare ut condignum præmio: ergo, ſi actus acceptatur à Deo, ut dignus præmio, quia elicitus, vel imperatus à charitate, dignitas illius actus ſupponitur ad Dei acceptationem actualem, immediatè cadentem ſupra actum. Præterea; quia ſi acceptatio actualis ad meritum ſufficeret, ſequeretur, primam gratiam habitualem ita cadere ſub merito de condigno, ſicut & gloriam, quando quidem Deus promittit, ſe daturum gratiam, ſe diſponentibus ad illam: ergo peccator, ſe diſponens ad gratiam, illam mereretur de condigno: ergo ipſa gratia prima, quæ eſt principium meriti, caderet ſub merito.

69 Prob. ultimo Concluſio: ad meritum de condigno, verè, & proprie dictum non requiritur æqualitas cum præmio, quæ ſit æqualitas quantitatis, & entitatis ad entitatem, ſed ſolum ſufficit æqualitas proportionis, & virtutis cum illo; ſed inter opera juſtorum, procedentia à gratia, & vitam æternam reperitur æqualitas proportionis, & virtutis preciſſo quocumque Dei pacto de retribuendo præmio pro talibus meritis: ergo, &c. Prob. minor

1. ex illo Pauli ad Rom. 6.: *gratia Dei vita æterna.* Et ad Corinth. 1.: *gratia vocatur pignus hæreditatis æterna.* Et Ioann. 1. dicitur: *Deum dare juſtis gratiam pro gratia*, hoc eſt vitam æternam pro gratia viæ. Et denique dicitur 1. Ioann. 3.: *quod gratia quę eſt ſemen gloriæ Dei manet in illis*; ſed ſemen, licèt ſecundum entitatem ſit imperfectius fructu, illoque minus ſecundùm quantitatem, eſt tamen æquale ſecundum virtutem, & proportionem, quia in ſemine cõtinetur virtualiter fructus: ergo, &c. Prob. min. 2. ratione: meritum hominis à gratia procedens, eſt ordinis ſupernaturalis, ſicut vita æterna, eſt ejuſdem intenſionis gradualis; totidem enim gradus fruitionis cuilibet in Patria dantur, quot habet gradus meriti in via: ergo, cum hæc omnia ab alio non habeant opera juſtorum, quam à gratia ſanctificante, ab ea, & non ab alio ſumitur in meritis valor, & æqualitas.

70 Arguit. 1. ex illo Apoſt. ad Rom. 8.: *non ſunt condignæ paſſiones huius temporis, &c.*: ubi excludi videtur quæcumque æqualitas operum relatè ad vitam æternam. Quibus conſonat D. Greg. Magn. in Pſalm. 7. ſic dicens: *illi beatæ vitę, in qua cum Deo, & de Deo vivimus, nullus poteſt æquari labor, &c.* Et Emiſenus hom. 7. ad Monachos ait: *nihil condignum merito pro cœleſtibus bonis compenſare valebimus.* Confirm.: nam labores, & opera huius vitæ cito tranſeunt; ſed vita æterna eſt interminabilis: ergo, &c. Conſequentia infertur. Maior, & minor conſtat, ut ex Paulo 2. ad Corinth. 4. aiente: *momentaneum hoc, & leve tribulationis noſtrę, &c.*, tum ex D. Bernard. Serm. 1. de diverſis per hæc verba: *tranſit & pœna, non ſic gloria*: ergo niſi accedat Dei acceptatio actualis in operibus juſtorum, non datur æqualitas cum præmio.

71 Reſpondeo, quod hæc, & ſimilia, ſi probant, ſolum eſt, tum, quod non datur meritum completè ſumptum abſque promiſſione, & pacto Dei, quo fiat debitor, ut dicetur in ſequenti concluſione; etiam probant, vel quod Apoſtolus excludit æqualitatem rei ad rem, non verò æqualitatem proportionis, & virtutis, vel quod loquitur Apoſt. de paſſionibus huius temporis quæ à gratia non procedunt: vel ſi loquatur, ut à gratia procedunt, debet ita intelligi, ut operationes huius vitæ non ſint condignę condignitate phyſica,

&

& ex natura rei, non verò morali, & legali, quandoquidem gratia ex natura ſua phyſica non dignificat opera: at ſuppoſita ordinatione incluſſa in ipſa gratia, in eſſe gratię conſiderata ab ea habent noſtra opera proportionari cum æterna vita. Hoc, ut clarius videatur, contra Adverſarios argumentor: de facto paſsiones huius temporis, & opera juſtorum ſunt ex inclinatione gratię habitualis, & charitatis, & etiam ex promiſſione Dei: ideòque ſunt merita de condigno, & nihilominùs, juxta Apoſt., non ſunt condignæ tales paſsiones ad futuram gloriam: ergo adhuc poſita promiſsione Dei, alia ab habituali, incluſſa in gratia, non ſunt condignę, quantum ad valorem, quod eſt contra omnes Theologos. Unde, ſicut Contrarij tenentur reſpondere negando conſeq., quia paſsiones huius temporis non ſunt condignæ, ſeu æquales, æqualitate quantitativa, & molis, ſed ſolum virtutis, & proportionis, & legali ex Dei ordinatione, ita, & nos dicimus, hoc habere ex ordinatione divina, in gratia incluſſa. Et per hoc patet ad authoritates PP., quæ debent intelligi in eodem ſenſu, quo verba Apoſt.

72 Ad confirm. nego conſeq.; quia ad meritum de condigno, ut dictum eſt, non requiritur æqualitas entitatis ad entitatem, ſed ſufficit æqualitas in quantum ad id, ex quo ſumitur eſtimatio operum, quod eſt prę cipuè gratia: unde, cum opera juſtorum, ut à gratia procedunt, habeant quandam proportionem cum vita æterna cum ſua duratione interminabili in gratia, in qua tanquā in ſemine continetur, juxta illud D. Bernardi Serm. 12. in Pſalm. *qui habitat*, aientis: *latet gloria, fratres mei, abſcondita eſt in tribulatione, in momentaneo hoc latet æternitas, in hoc levi latet pondus ſublime, & ſupra modum*: tum etiam, quia gratia, & charitas ex propria natura, & in eſſe gratiæ conſiderata, petit menſurari duratione beatifica interminabili, ſcilicèt, ęternitate; quamvis in ſtatu viæ per accidens, & ratione ſubjecti ſit deffectibilis, hinc eſt, quod opera habent eſſe cum præmio commenſurata antecedentèr ab extrinſeca promiſsione de præmio retribuendo.

73 Arguit. 2. ex Doct. Subt. in 3. diſt. 19. litt. B., ubi docet, quod meritum Chriſti tantum bonum erat, pro quanto acceptabatur, & ideo meritum, quia acceptatum, non verò

rò è contra, quia meritum eſt bonum, ideo acceptatum; ergo juxta Doct., tota ratio meriti, eiuſque dignitas, & valor provenit ex ſola Dei acceptatione. Reſp., Doct. eſſe intelligendum de merito, non in actu primo, & ſecundum valorem ſumpto, ſed accepto in actu ſecundo, & ut importat in merente jus, cui ex parte Dei correſpondet obligatio, & debitum ad retributionem, & eſt certum, quod in Deo talis obligatio non datur ſine promiſsione, qua ſe reddat debitorem. At, præciſſa dignitas meriti, ſeu meritum in actu primo, & incompletè à ſola gratia habituali habetur; & hoc quidem, non phyſicè, & ex natura rei, ſed ex divina ordinatione habituali, incluſſa in ipſa collatione gratiæ, per quam gemminam acceptationem habitualē unam, & actualem aliam habent merita de condigno conſtitui, ſed cum differentia, quod debiti inductio erga Deum habetur per promiſsionem ejus de præmio retribuendo: ſed quod meritum tali præmio proportionatum ſit habetur ex alia acceptatione, quæ eſt habitualis, in gratia incluſſa.

74 Arguit. 3.: opera poſſunt habere valorem, & dignitatem ex impoſitione Principis: ergo multò melius opera noſtra meritoria ex impoſitione Dei: ergo, poſita extrinſeca acceptatione, ſecluſſa gratia habituali, habent noſtra merita totam ſuam dignitatem. Antec. conſtat in moneta, accipiente ex voluntate Principis totum ſuum valorem, ultra ſtimabilitatem materiæ, ſecundum ſe inſpectæ. Deinde hoc ipſo, quod bravium, quantumcumque precioſum proponatur vincenti, & velotius currenti, victoria, & curſus velociſsimus ſit dignus, commenſuratus cum tali præmio; ſed ex Epiſt. 1. ad Corinth. 4. gloria proponitur nobis, ut bravium: ergo, ſicut tota dignitas victoriæ, & curſus provenit ex illa actuali ordinatione ad præmium, quantumvis ſuperet dignitatem curſus, ſecundum ſe ſumpti, ita opera juſtorum aliunde non habebunt totam ſuam dignitatem, quam ex Dei promiſsione de ipſis præmiandis per gloriam, ſeu vitam æternam.

75 Reſp. in primis, hoc argum. nihil probare; probat ſanè, quod ſicut in humanis ex ſola voluntate Principis poteſt eſſe valor moralis in re materiæ viliſsimæ abſque aliquo valore intrinſeco in ipſa, ſic paritèr poſſet Deus conferre valorem, & dignitatem operibus, etiam indifferentibus, & in pu-

ra

ra natura factis, quod non conceditur à Contrarijs, cum ipſi requirant intrinſecam ſupernaturalitatem; & licet nos aſſeramus, de potentia abſoluta poſſe acceptari opera moraliter bona in pura natura facta, non tamen ſine omni prorsùs gratia, quæ eſſet ordinatio divina extrinſeca, æquivalens gratiæ habituali in ordine ad reddendam condignitatem, qua ab ipſa acceptarentur, & opus, & perſona.

76 Reſp. 2., argum. non eſſe contra nos, aſſerentes, requiri ad dignitatem operis ordinationem divinam intrinſecam, habitam per receptionem gratiæ habitualis, ſicut in moneta per ſygillum Regis, vel aliud ſignum, ſine quo moneta non haberet valorem. Unde monetæ ſimilitudo ita currere debet, quod, ſicut in taxando valorem monetę habetur reſpectus ad metallum, adeo ut pro eius maiori, aut minore perfectione imponatur maior, vel minor valor moralis, ita in actu meritorio non poteſt ipſi communicari valor meriti, niſi ſupponatur bonitas moralis actus; & ſicut in moneta requiritur ſygillum regium, ita in actu meritorio, ultra eius moralem bonitatem, requiritur infuſsio gratiæ habitualis, vel ei æquivalens, unde dignificentur perſona operans, & eius opera. Illud exemplum Apoſt. de bravio, & curſu inducitur ab Apoſt. unicè ad expellendam à nobis inertiam in bonis operibus; qui enim eſt in ſtadio, currere debet, ſi vult accipere bravium.

77 Arguitur 4.: quamvis gratia hominem conſtituat filium Dei adoptivum, adhuc non ſequitur, quod opus ab ea elicitum habeat æqualitatem cum vita æterna: ergo iſta æqualitas unicè provenit à Deo, ut promittente vitam æternam pro tali opere. Prob. antec.: non magis debent opera filij adoptivi habere ex ſe æqualitatem ad hæreditatem patris, quam opera filij naturalis; ſed opera filij naturalis talem æqualitatem non habent; ſiquidem eſſet abſurdum dicere, quamcumque reverentiam à filio naturali, patri exhibitam, eſſe æquivalentem hæreditati illius: ergo, &c. Confirm.: quia quamvis opus filij cenſeatur longè perfectius, quam ſi operans non eſſet filius, tamen illud opus non habet, unde cenſeatur habere æqualitatem cum hæreditate, ſi hæreditas ſit longè perfectior opere; ſed vita æterna incomparabiliter excedit intrinſecam perfectionem noſtrorum actuum: ergo, &c.

Pro

78 Pro ſolutione argumenti eſt notandum, quod aliud eſt, loqui de merito perſonæ, & aliud de merito operis: aliudque eſt loqui de vita æterna, ut eſt hæreditas, & aliud loqui de ea, ut eſt merces, corona, & præmium. Ut hæreditas eſt, debetur ex merito perſonæ, in ipſa gratia incluſſo: unde ante omnia opera jure adoptantis debetur juſto; ſic confertur infantibus baptizatis, decedentibus abſque ullo merito operis. Ut verò filius adoptivus obtineat vitam æternam ut mercedem, ultra meritum perſonæ, ſeu jus hereditatis requiritur meritum operis, quod, ſi completè ſumatur, importat jus, cui ex parte Dei correſpondet obligatio ad præmium retribuendum, & tale jus, & in Deo obligatio oritur ex Deo promittente; quin propter hoc opera abſque tali pacto deſinant habere æqualitatem, & valorem, quem à gratia habent; ſicut etiam opera filij naturalis ex ſola vi filiationis habent valorem ad obtinendam hæreditatem, ut præmium. Unde in forma negandum eſt, quod opera filij naturalis non habeant jus ad hæreditatem, licèt non habeant ad eam, ut præmium, recipiendam; nam, quod ita non ſit, provenit ex deffectu promiſſionis actualis. Filio autem adoptivo retribuit Deus vitam æternam, non ſolo titulo hæreditatis, ut ſit cum infantibus, ſed etiam titulo mercedis, & coronę; quia per gratiam voluit Deus ejus opera dignificare in ordine ad vitam æternam, ita ut, adveniente acceptatione de præmio retribuendo, ita ipſis retribuatur, quamvis abſque illa promiſſione ipſa opera, ut procedentia à filio, & hærede, retineant ſufficientem dignitatem, ut pro ipſis vita æterna reddatur ut merces vi promiſſionis, cadentis immediatè ſupra ipſa opera. Ultimum ſolum probat, vitam æternam excedere entitative noſtra opera, non autem moralitèr. Iſta de prima quæſt. habitis, ſit circa alteram.

79 Concluſio 2.: *promiſsio Dei actualis de dando præmio vitæ æternæ pro noſtris operibus in gratia factis, eſt neceſſaria ad completam rationem meriti de condigno.* Hæc concluſio eſt omniũ Scotiſt. cum Doct. citat., & prob. 1. ex illa Parabola Matth. 20.: *ite & vos vineam meam, & quod juſtum fuerit dabo vobis*; quam parabolam Chriſtus Dominus poſſuit ad hoc, ut intelligeremus, quod quamvis juſtorum labores ex gratia habituali habent proportionem cum vita æterna, denotatam per illa verba: *quod juſtum fuerit*; ta-

tamen, ut inducant debitum, & obligationem in Deo, per quod debitum completur ratio meriti, promiſsio requiritur expreſſa in illis verbis: *dabo vobis*: ergo talis promiſsio requiritur ad rationem completam meriti de condigno. Confirm.: defacto enim Deus promiſsit vitam æternam juſtis, ut coronam, & præmium ſuorum operum: ergo promiſsio neceſſaria eſt ad completam rationem meriti de condigno. Conſequentia eſt certa; ſi enim merita independenter à Dei promiſsione de præmio retribuendo Deum redderent obligatum ad præmium dandum, in vanum eſſe divina promiſsio. Antec. conſtat ex illo Matth. 19.: *omnis, qui reliquerit domum::: vitam æternam poſſidebit*: Et ex illo Apocal. 2. *eſto fidelis uſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ*: ergo defacto datur talis promiſsio.

80 Prob. 2. ex Concil. Trid. ſeſſ. 6. cap. 16., ubi agens de fructu juſtificationis, ſeu de merito bonorum operum, ait: *nolite amittere confidentiam veſtram, quæ magnam habet remunerationem, atque ideo benè operantibus uſque in finem, & in Deo ſperantibus, proponenda eſt vita æterna, & tanquam gratia filijs Dei per Ieſum Chriſtum miſericorditer promiſſa, & tamquam merces ex ipſius Dei promiſſione bonis ipſorum operibus, redenda*: ergo, juxta Concilium, correſpondet meritis juſtorum vita æterna, ut merces, & corona ex promiſsione Dei; & quidem, juſtitiæ, quæ debitum inducit in retribuente: ergo Dei promiſsio de tali præmio neceſſaria eſt ad completam rationem meriti.

81 Reſpondetur cum Vazquez huic probationi, Concilium eſſe male intellectum; quia intelligi debet illa particula: *ex ipſius Dei promiſsione*; non ita ut conjungatur, & appellet ſupra illam: *tamquam merces*, ſed conjungi debet cum illa alia particula: *fideliter reddenda*. Quare ſenſus Concilij non eſt, quod merces correſpondeat operibus juſtorum ex divina promiſsione, ſed intelligentia eſt, quod merces vitæ æternæ, debita operibus juſti, ſit reddenda fideliter ex divina ordinatione. At, ſi attente Concilium legatur, hæc eſt mala interpretatio; quia Concilium ait expreſsè, quod vita æterna, non ſolum eſt reddenda ex gratia, ſed ut merces; nec redderetur ex gratia, niſi ex divina promiſsione: ergo nec ut merces eſt reddenda, niſi ex promiſsione, & ordinatione divina.

82 Prob. 3. Concluſio ex D. Auguſt., & eſt ratio, quaſi à priori: de ratione meriti de

condigno eſt, non ſolum, quod ſit dignum vita æterna ratione gratiæ habitualis, ſed etiam, quod tribuat merenti jus, inducereque debitum, & obligationem ex parte præmiantis; ſed homo juſtus, quantumcumque benè operetur, non poteſt obligare Deum, ut ipſi in præmium conferatur vita æterna, niſi ipſe Deus promittat ſic dare: ergo, &c. Maior eſt certa. Prob. minor: nam Aug. Serm. 16. de Verbis Apoſt. ait: *an homo poſsit Deo dicere: redde mihi, quod dedi tibi? Reſpondet negativè abſolutè.* Et proſequitur: *illo modo poſſumus exigere Dium. Noſtrum, ut dicamus: redde, quod promiſiſti, quia fecimus, quod juſſiſti*: ergo, ſi non præcedat divina promiſsio, nec in merente datur jus ex juſtitia exigitivum, nec eſt debitum ex juſtitia in Deo ad præmium conferendum.

83 Confirm. ex eodemmet Auguſt.: nam nullus alteri conſtituitur debitor ex juſtitia, niſi, vel accipiendo, vel promittendo; ſed Deus nequit conſtitui debitor noſtri accipiendo aliquid à nobis, prout à nobis: ergo ſolum poteſt conſtitui debitor, aliquid promittendo. Maior eſt apud omnes admiſſa. Minor eſt D. Auguſt., ſupra citat., ajentis: *debitor noſtris factus eſt Deus, non aliquid accipiendo, ſed, quod ei placuit, promittendo, aliter enim dicimus homini: debes mihi, quia dedi tibi; aliter Deo: debes mihi, quia promiſiſti mihi: quid dedimus Deo, quando, quod ſumus, & quod habemus boni, ab illo habemus?* Etiam ratione prob. minor: quia omnia bona opera noſtra ſunt dona Dei, ſemperque ſunt ſub eius pleniſſimo dominio, illique ſunt debita mille titulis, creationis, conſervationis, redemptionis, &c.; ſed homo non poteſt acquirere jus, nec debitum inducere in Deo, ut præmietur id, quod ei eſt debitum & ab eo dominatum, ut pote donante, niſi præcedat liberalis, & gratuita ordinatio, qua Deus ſe vellit ad hoc obligare: ergo, &c.

84 Prob. Concluſio ratione: ſecluſſa divina promiſſione extrinſeca, diſtincta à promiſsione, & ordinatione, imbibita in collatione gratiæ, opera noſtra, quantumcumque bona, non poſſunt à Deo exigere præmium; ſed ſi eſſent de condigno meritoria complete de ſe ipſis, præmium exigerent ſecluſſa promiſsione actuali: ergo, &c. Prob. maior: per opera, mille titulis debita creditori, aliundeque indifferentia

ad

ad consequendum bonum, vel per modum hæreditatis, vel per modum mercedis, non potest quis de jure exigere boni consecutionem, independenter à promissione præmiantis; sed omnia opera nostra, quantumcumque bona, & à gratia procedentia sunt Deo debita, ab ipso nobis donata, aliundeque sunt indifferentia, ad vitam æternam acquirendam, vel per modum hæreditatis, vel per modum mercedis: ergo, &c. Confirm.: nam, si secluſa Dei promissione, cadente immediatè supra actum meritorium, nostra opera haberent esse completè meritoria de condigno, non esset ratio, cur opera beatorum, & animarum Purgatorij non essent de condigno meritoria, sicut in via: ergo, &c. Prob. assumptum: nam secluſa tali extrinseca promissione in omnibus illorum opera conveniunt cum nostris, sunt enim opera moraliter bona, libera, libertate sufficienti, supernaturaliter elicita à gratia, & in gratia: ergo, &c.

85 Arguitur 1.: ideo esset necessaria Dei promissio immediatè cadens suprà actum, ut ille sit completè, & in actu secundo meritorius, quia prædictus actus cum omni bonitate, & valore, quam habet à gratia habituali, Deum non posset obligare per acceptationem in ipsa gratia incluſſam; sed hoc est falsum: erg. &c. Prob. min.: in ipsa gratiæ infusione includitur duplex Dei ordinatio: una ad vitam æternam per modum hæreditatis, & alia ad vitam æternam, quatenus gratia confertur, ut principium meriti; sed, licèt per primam ordinationem Deus non possit obligari, sit tamen debitor per secundam: ergo falsum est &c. Hoc argumentum manifestat mentem Thomist. in præsenti materia, ubi constat, inter nos, & ipsos ferè esse quæstionem de nomine. Thomistæ sic discurrentes, fatentur, collationem gratiæ esse absolutè, ratione cuius sanctificatur homo, & qua consequenter eius opera Deo fiunt grata, & inde Deum non teneri reddere gloriam, ut coronam, nisi ponatur alia ordinatio de danda gratia, ut est principium meriti.

86 Hoc idem alijs terminis Scotistæ dicimus: ergo inter nos, & ipsos ferè est solum quæstio de nomine. Antec. constat; eo quod nos dicimus, gratiam ex divina ordinatione, & non in esse qualitatis reddere hominem sanctum, ejusque opera dignificare, in quo sensu gratia potest dici principium meriti, sed non completè, & in actu secundo: un-

unde dicimus ulterius, talem collationem gratiæ non obligare Deum ad præmiandum actum, niſi alias ponatur ordinatio immediatè cadens ſuper actum ipſum. Unde apparet, quod Thomiſtę, & nos geminam ponimus ordinationem, ſed cum diſcrimine, quod ab illis utraque ponitur ex parte gratiæ immediatè, & à nobis una immediatè ex parte gratiæ, & alia immediatè cadens ſupra actum, & iſta à nobis vocatur promiſsio ex jure, quod oſtendunt noſtrę probationes. Unde in forma negatur minor argumenti, & duplex ordinatio explicari debet modo expoſito.

87 Arguit. 2.: ut Deus reddatur debitor ad retribuendam mercedem, ſufficit ordinatio ad præmium, incluſſa in voluntate dandi gratiam per modum principij meriti: ergo ſuperfluit illa promiſsio, cadens immediatè ſuper actum. Prob. antec.: poſita ordinatione incluſſa in voluntate dandi gratiam per modum principij meriti, tenetur Deus præmiare noſtra opera, non minus, quam poſita promiſsione: ergo, ut Deus debeat, ſufficit, &c. Prob. antec.: poſita promiſsione ſibi eſt debitor adimplere promiſſionem; ſed etiam poſita ordinatione, eſt ſibi debitor, adimplereque tenetur ordinationem: ergo, &c. Prob. minor: illa ordinatio includit voluntatem dandi gratiam, & gloriam operibus, ut meritorijs ipſius gloriæ: ergo poſita ordinatione, &c.

88 Sed quis non videat ſuppoſitum falſum primi antec. huius argumenti? Supponit enim in ipſa voluntate dandi gratiam per modum principij meriti, completè accepti, & in actu ſecundò conſtituti, non includi extrinſecam ordinationem conſiſtentem in promiſſione de præmio retribuendo, quo nihil falſius, nam promiſſio de retributione prę̃mij includitur in illa voluntate dandi gratiam per modum principij meriti adæquate conſtituti. Cuius ratio eſt; quia ſicut acceptatio charitatis, ſeu voluntas Dei elevandi gratiam ad eſſe formam juſtificantem, eſt prior infuſsione gratiæ, & valuntate infundendi illam, quia Deus non determinavit dare charitatem hominibus, poſtea illam elevando, ſed dare charitatem jam elevatam; ita voluntas prę̃miandi opera, elicita in gratia, & ex gratia non acceptat actum poſt eius elicientiam, nec poſt voluntatem dandi gratiam, ut comprincipiũ meriti; ſed antea, ita ut in eodem ſigno, quo Deus accepta-

tavit gratiam pro principio meriti, acceptavit etiam opera, quæ elicerentur ex inclinatione illius, ut meritoria in actu secundo vitæ æternę, Deo se constituente debitorem per promissionem ex conditione talium operum, ea per vitam æternam præmiandi. Unde: in illa ordinatione inclusa in voluntate dandi gratiam per modum principij meriti includitur etiam promissio dandi gloriam, & præmium.

89 Consultò ponitur: *ut gratia est principium meriti completè, & in actu secundo sumpti*, ut denotetur, quod voluntas dandi gratiam ut principium meriti, etiam utcumque saltem virtualiter includit ordinationē de danda gloria, ut corona, seu de retribuendis ipsis meritis. Hoc explicatur ipsorum Thomistarum doctrina, in qua ajunt, quod, licèt volitio efficax finis, non sit volitio formalis mediorum, tamen est virtualis, & suppositа in Deo volitione efficaci finis, non superfluit secunda volitio mediorum, sed potius necessaria est, ut medium, & finis ponantur in esse. Igitur, & si Deus, suppositа acceptatione gratiæ non utcumque, sed ut principium meriti teneatur acceptare opera elicita juxta inclinationem gratiæ tamen requiritur alia acceptatio super actum cadens, ut sit opus meritorium vitæ æternę in actu secundo. Hāc solutionem insinuare videtur Doct. quæst. 3. citata, ubi respondens ad primum argumentum, pro secundo membro ait: "ad primum "dico, "quod actus, qui est meri-"tum est in potestate mea suppositа influentia generali, si habeo "usum liberi arbitrij, & gratiam, "sed completio in ratione meriti "non est in potestate mea, nisi "dispositivè; tamen sic dispositivè, quod ex dispositione divina semper sequitur † animatio "ad organizationem, factam à "causa naturali. Ergo, licèt actum esse meritorium in actu secundo sit à divina voluntate, pro illo promittente vitam æternam; verum, quia hæc promissio continetur in voluntate disponentis, dare gratiam, ut principium meriti, hinc fit, quod semper sit talis promissio.

90 Arguitur 3. gratia habitualis constituit homines Dei filios, & etiam opera elicita à gratia, reddunt hominem dignum vita æterna per modum præmij: ergo non datur alia quęvis promissio. Prob. conseq.: filio benè operanti, debita est hæreditas, non solo titulo hæreditatis, sed etiā mercedis: ergo, &c. Resp. disting. secundam part.: opera ex gratia elicita reddūt hominē dignū vita ęterna de se, & sine promissione

† illud Completivum ad agere meum, sicut quam-Semper sequitur animatio &

quantum ad valorem, conc.: quantum ad debitum, ſubdiſtinguo: remotum, conc.: proximum, nego. Gratia habitualis ex divina ordinatione conſtituit filios adoptivos, & eorum opera condigna, non tamen dat jus proximum ad gloriam, ita ut Deus ſit debitor. Cuius ratio eſt, quia illa opera debita ſunt Deo alijs titulis. Ad probat. dico, quod filio hęreditas non debetur per modum præmij, ſecluſſa promiſſione patris.

91 Arguit. 4.: æquè obligatur Deus ad ea, quæ decernit, ac ad ea quæ promittit; ſed hoc ipſo, quod Deus habeat voluntatem dandi gratiam, tamquam principium meriti vitæ ęternę, decernit dare gloriam per modum pręmij: ergo, &c. Reſpondeo diſting. maiorem: æquè, & diverſo modo obligatur Deus, conc.; æquè, & eodem modo nego. Semèl enim ac Deus decernat, hominem creare, tenetur hominem creare; cum enim mutari non poſsit, infalibilitèr creabit hominem; & nihilominus neceſsitas non eſt ex juſtitia; ſed ſi non ſolum decernat, verum, & promittat alicui, tenebitur ipſe Deus non ſolum ratione immutabilitatis, ſed etiam ex juſtitia, reddere promiſſario, quod promittit.

92 Arguit. 5. à paritate, tum meriti de congruo, quod, ut ſit tale, non eget Dei promiſsione; tum culpæ, quæ, ut ſit meritoria pænę, non eget comminatione Dei de pæna danda: ergo, &c. Reſp. ad prim., quod licèt meritum ut ſic, commune merito de congruo, & de condigno, abſtraheret à promiſsione; meritum tamen de condigno completè, & adæquatè acceptum, ultra æqualitatem operis, includit promiſſionem, quia pertinet ad materiam perfectæ, aut imperfectæ juſtitiæ; è contra, ſi deficit promiſsio quamvis adſit condignitas, remanet meritum de congruo, ſicut, ſi non adſit condignitas, adſit tamen promiſsio, etiam eſt meritum de congruo, quia promiſsio tunc caſus inducit debitum puræ fidelitatis, & non juſtitiæ. Hujus ratio eſt; quia meritum de congruo conſurgit ex deffectu cujuslibet requiſiti ad meritum de condigno, & cum in merito de condigno, & neceſſaria ſit operis æqualitas cum pręmio, & præmiantis promiſsio de præmio retribuendo, quolibet ex his requiſito deficiente, & uno ex eis ſtante meritum eſt purè de congruo.

93 Ad ſecundum, nego paritatem, reſpectu pœnæ infligen-

gendę Deus non dicitur debitor, sed potius dicitur habere jus ad pęnam infligendam, quod jus oritur ex visceribus ipsius peccati: peccator enim per suum actum peccaminosun divinum jus lædit, & statim ac peccat, incurrit homo debitum, & obligationem ad pęnam. Verū, cum Deus habeat jus, plenissimumque dominium supra actū meritorium, plurimis titulis fundatum, potest sibi appropiare, sine læsione merentis ejus actum meritorium; unde, ut Deus non sic sibi appropriet tales actus, sed potius velit eos acceptare, & ordinare, ut jus habentes ad præmium æternæ vitę, necessaria est promissio divina.

QUÆST. SEXTA.

An retributio præmij pro merito de condigno, sit in Deo actus justitię, & qualis justitię?

94 SUpponendum est 1., justitiam posse sumi latissimè, qualitèr dicitur universaliis virtus, & in hoc sensu justitia non distinguitur à sanctitate, sed potius justitia, & sanctitas sunt convertibiles, ita ut habitua is justitia sit habitualis sanctitas, & actus justus sit actus sanctus: & pone sumi prout justitia est specialis virtus, & communitèr definitur: est constans, & perpetua voluntas jus suum unicuique tribuendi. De justitia in primo sensu non est dubium, esse sanctum, & justum actum, quo Deus retribuit præmium pro merito, & pœnam pro culpa. De justitia in secundo sensu accepta est præsens difficultas, pro qua

95 Est supponendum ulteriùs, quod omissa justitia legali, respiciente pro objecto observantiam legum, quæ ad bonum commune sunt ordinatæ, justitia specialis dividitur in distributivam, & commutativam. Iustitia distributiva est, quę pertinet ad superiores, & inclinat ad distribuenda subditis bona communia, nempe, dignitates honores, &c., juxta proportione meriti, & conditionis personę. Commutativa justitia est, quę respicit æqualitatem valoris, dati, & accepti, ita ut res, quæ datur, tanti sit valoris, quanti illa, quæ accipitur, & quidem hæc æqualitas debet esse arithmetica, non quidem secundùm æqualitatem in esse rei, & entis, sed, quæ sit taxata, vel iuxta prudentum æstimationem, vel juxta legem Principis, & hęc justitia à priori differt, quia non rei-

reſpicit conditiones perſonarum, ut reſpicit juſtitia diſtributiva, ſed tantum reſpicit æqualitatem moralem rerum; unde, ſi Petrus vendit, vel conducit domum juſto prætio, hæc juſtitia non curat: an, qui emit, ſit dives, aut pauper; ſit nobilis, vel plebeius.

96 Utraque juſtitia dividitur in præmiativam, & punitivam, quæ, ſi ſolum reſpiciunt æqualitatem præmij cum merito, vel pœnę cum demerito; dicuntur commutativæ. Si verò reſpiciant æqualitatem rerum cum reſpectu ad perſonas, ſunt diſtributivę. Ultra has duas juſtitias, quæ proprie juſtitiæ ſunt, cœteræ virtutes, quæ ſunt ad alterum, dicuntur etiam juſtitiæ, ſed propriè non ſunt tales, quia non ſupponunt in altero jus rigoroſum: huiuſmodi ſunt fidelitas intendens, alteri ſervare promiſſa, gratitudo, quæ reſpicit benefactorem, & ſimiles. His ita notatis, ſit noſtra

97 Concluſio: *virtus, ex qua Deus compenſat merita de condigno, partim eſt fidelitas, & partim juſtitia commutativa, non quidem ſtricta, & rigoroſſa, quæ dici poteſt juſtitia diſtributiva, ſeu retributiva.* Concluſio iſta multas habet partes, & probanda venit quoad ſingulas. Et quidem non eſſe ex virtute gratitudinis patet; nam gratitudo unicè intendit æquare compenſationem cum beneficio; ſed Deus nequit ab alio beneficium accipere: ergo, &c. Nec valet dicere, quod, licet Deus à creatura nequeat recipere beneficium, quod ſupponat in Deo indigentiam, tamen noſtra bona opera Deo ſunt accepta, & grata, quia per illa Deus recipit à creatura quandam accidentalem gloriam, quam, quaſi beneficium, ſibi collatum à creaturis, recipit. Non valet inquam, nam cum omnia opera noſtra, quantuncumque bona ſint Deo debita multis titulis, immo ipſa opera noſtra ſint magis Dei, quam noſtri, numquam poſſunt eſſe beneficium Deo datum, quinpotius ſunt maximum beneficium Dei erga nos; ideo Luc. cap. 17. dicitur: *cum feceritis omnia, quæ præcepta ſunt vobis, dicite: ſervi inutiles ſumus.*

98 Prob. quod non ſit pura fidelitas: fidelitas enim ſolum petit ſervare æqualitatem inter rem promiſſam, & promiſsionem; ſed Deus in retributione præmij pro meritis de condigno, non ſolum adimplet promiſsionem ſuam, ſed etiam attendit ad æqualitatem præmij cum merito, ut conſtat ex illo ad Corinth. 9.: *qui par-*

parcè ſeminat, parcè, & metet. Et ad Rom. 2.: *reddet unicuique ſecundum opera ejus*: ergo talis retributio non oritur ex ſola virtute fidelitatis. Quod nec ſit juſtitia commutativa in toto rigore, prob., & ſimul explicantur conditiones hujus juſtitiæ: una ex illis eſt, quod opus non fundetur in gratia ipſius debitoris; nam ſi meritum eſt gratia præmiantis deficit præmium eſſe è rigore juſtitiæ; ſed meritum hominis, ex quo oritur obligatio ex parte Dei præmiantis, fundatur in gratia ipſius, nam fundatur in gratia, tam actuali, quam habituali, quæ à ſolo Deo veniunt: ergo, &c. Secunda conditio juſtitiæ in toto rigore eſt, quod meritum, quod pręmiatur, non ſit debitum præmianti alio titulo; ſi enim opus meritorium eſt alijs titulis præmianti debitum, potuit præmians illum impræmiatum relinquere, & potius ob debitum antecedens ſibi appropiare; ſed quodcumque opus bonum à creatura elicitum, eſt Deo debitum pluribus titulis: g. &c. Minor latè probata eſt in Concluſ. 2. pręced. quæſt.

99 Tertia conditio rigoroſiæ juſtitiæ eſt, quod opus meritorium ita proprium ſit merentis, ut nullo modo ſit præmiantis; quæ conditio coincidit cum prima, nam ſi opus eſt aliquomodo remunerantis, ea parte, qua remunerantis eſt, non tenebitur ex juſtitia ad remunerationem; ſed opera bona creaturę, ſeu id, quod creatura dare poteſt Deo, eſt etiam, & potiori jure ipſius Dei: ergo, &c. Quarta conditio eſt, quod res data, & pro pręmio accepta fiat cum translatione mutua dominij, ita, ut opus meritorium non ſit amplius ſub dominio merentis, ſed ſub dominio præmiantis; & præmium non ſit amplius ſub dominio pręmiantis, ſed merentis; ſed Deus, dans gloriam propter merita hominis, non abdicat à ſe dominium, quod habet in gloriam, nec transferre illud poteſt ad hominem: ergo, &c. Deinde: Deus pręmiat ultra condignum: erg. licèt eius remunerario ſit ex juſtitia, non tamen ex juſtitia ſimpliciter talì.

100 Ad hanc rationem, quæ ſanè validiſsima eſt pro noſtra Concluſ., variè reſpondent Contrarij. Dicunt multi, quod, licèt omnes illæ conditiones ſint neceſſarię ad rigoroſam juſtitiam abſolutè, & ſimpliciter, ſeu ex natura rei, non verò ex ſuppoſitione pacti, antecedentis ſolutionem debiti; vel exhibitionem operis meritorij, quam ſolutionem declarat exemplis. Sit unum exemplum: ſi quis Dominus vineæ mercenario, non habenti

ligonem, quo vineam poſſet colere, diceret: accipe ligonem, & vade in vineam meam, daboque tibi quatuor denarios, ſi per integrum diem laboraveris in illa: iſte, ſic pactans, ex rigoroſſa juſtitia tenetur ad ſolvendos quatuor denarios, ſuppoſito labore diurno; ſed iſte labor fundatur in gratuita donatione inſtrumenti laboris in vinea: ergò, quod meritum fundetur in gratia Dei, non tollit, quod ſolutio præmij ſit ex toto rigore juſtitiæ, &c. Paritèr eſt diſcurrendum de alijs ſimilibus exemplis.

101 Ad ultimum de translatione dominij dicunt aliqui, quod, licèt Deus habeat dominium in gloriam, & hoc dominium à Deo non poſsit cedi, repugnat enim quod ſine eo, ut pote cauſa prima, vel opus meritorium fieri, vel gloria poſſideri poſsit; nihilominùs poteſt, quod attinet ad noſtra merita cedere jure, ſeu dominio, quod habet exigendi illa pro alio titulo, promittendo antecedentèr non exigere merita, niſi ob promiſſum prę-mium. Et quantum attinet ad gloriam, etſi Deus non poſsit transferre dominium ſuum in creaturam beatam, tamen ſuppoſita ceſsione juris exigendi illa, niſi in præmium vitæ æternæ, ſervato in ſe dominio gloriæ, auferre non poteſt à creatura gloriæ uſum, & ſanè gloria, quoad uſum tantum ſine fine poſidendum, valet tantum, quantum meritum de condigno. Unde, in gloriæ elargitione ſtat rigoroſa juſtitia.

102 Impugnatur ſolutio: juſtitia commutativa petit æqualitatem inter datum, & acceptum, attenta preciſsè natura phyſica, vel morali dati, & accepti, talitèr, quod preciſsivè à quocumque alio pacto, vel promiſsione, inducat obligationem in præmiante ad præmium conferendum; ſed opera meritoria, ut pote fundata in gratia Dei, ut potè pluribus titulis ei debita, non inducunt obligationem in Deo ad ea præmianda: ergo, &c. Prob. maior: nam promiſsio, ſivè antecedens ſit, ſivé conſequens ad exhibitionem operis meritorij, non dat ipſi maiorem valorem, quàm, quem antecedentèr habebat: ergo ſi ex ſua natura non habetur æqualitas, & jus commutativæ juſtitiæ, non poteſt inducere in præmiante obligationem ex juſtitia ſtricta ad præmium exceſſivum conferendum.

103 Confirm.: ideo enim promiſsio purè, ſeu totalitèr gratuita, & liberalis, ſolam fidelitatis inducit obligationem, quia non fit ratione alicujus one-

ris ęquantis nec totum, nec partem rei promiſſæ; ſed Dei promiſsio, quoad merita juſtorum cadit ſupra conditionem oneroſſam, non adæquantem totam rem promiſſam: ergo, & ſi antecedat, inducit obligationem juſtitiæ, ſecundum partem, quā adæquat, & ſecund. part. quā non adęquat inducit obligationem fidelitatis: ergo elargitio totius rei promiſſæ erit actus proveniens á virtute fidelitatis, & ſimul à virtute juſtitię; & ſic non eſt ſtricta juſtitia. Exemplum illud non convincit: nam elargitio inſtrumenti ad uſum laboris in vinea eſt præcio apręciabilis, & poterat ille, qui dedit, aliquid præcij pro illo aſſumere, & minus ſtipendii reddere pro labore; at quia elargitio gratiæ, tam actualis, quā habitualis neceſſaria ſimplicitèr, ut opus hominis ſit meritorium, nunquam poteſt ab ejus merito compenſari (principium enim meriti non cadit ſub merito): ergo eſt diſpar ratio utrobiquè.

104 Ad illud de tranſlatione dominij dicendum eſt, quod ſi Deus non poſsit negare uſum gloriæ in æternum, remanente in Deo pleno, abſoluto dominio in ipſam gloriam; dicendum, inquam eſt, quod interrogetur ſic reſpondente: an Deus, & ſi non poſsit transferre dominium in gloriam, abſolutè conſideratam, poſsit transferre dominium, quod habet in uſum glorię, vel non? Si reſpondetur, quod non: ergo ſine injuria creaturæ, quidquid ſit de fidelitate, non ſolum poteſt denegare gloriam, ſed etiam uſum illius. Si verò reſpondetur, quod illud poteſt transferre, eſt idē inconveniens. Unde reſpondent alij, eſſe poſſibile inter Deum, & creaturam verſari ſtrictam juſtitiam, quia non repugnat dominium duorum inſolidum ſupra eandem rem.

105 Contra eſt: nam ſicut in introductione formę novę, & expulſione antiquæ, dicitur in phyſicis, quod idem indiviſibile inſtans eſt formæ novę intrinſecum, & formę antiquę extrinſecum, ita res ſe habet in donante, & accipiente, v.g. librum; illud enim inſtans eſt intrinſecum uni, & reſpectu alterius eſt extrinſecum, talitèr, quod ſi Petrus ſit donans, & Paulus accipiens; in inſtanti donationis eſt verum dicere: nunc hic liber eſt Petri, immediatè poſt non erit: nunc hic liber non eſt Pauli, & immediatè poſt erit. Unde conſtat, impoſsibile eſſe duorum dominium in ſolidum ſuper eandem rem in eodem inſtanti. Si hoc ita in creaturis contingit, potiori jure ſequitur, quod Dei do-

dominium abſolutum, & perfectiſsimum ſuper omnia creata eſt inabdicabile, & ad creaturam intransferibile.

106 Probatur jam Concluſio quoad ultimam partem: & primo ex Concil. Trid. ſeſſ. 6. cap. 16. dicente: *atque ideo benè operantibus uſque in finem, & in Deo ſperantibus, proponenda eſt vita æterna, & tamquam gratia filijs Dei per Chriſtum Ieſum miſericorditèr promiſſa, & tamquam merces ex ipſius Dei promiſſione bonis ipſorum operibus, & meritis fidelitèr reddenda.* Ubi notanda duo: & quod vita æterna noſtris meritis eſt reddenda, & fidelitèr, & ut merces: erg. mixtum ex ~~eſt~~ juſtitia, & fidelitate eſt virtus, ex qua oritur in Deo remuneratio meritorum. Quod autem hoc, quaſi mixtum ex juſtitia, & fidelitate poſsit dici juſtitia diſtributiva, ſaltem minùs impropriè, quam commutativa, ſuadetur: tum, quia juſtitia diſtributiva non requirit æqualitatem arithmeticam, & formalem inter meritum, & præmium, ſed ſolam æqualitatem proportionis; tum, quia juſtitia diſtributiva non exigit in diſtribuente abdicationem dominij ſuper rem diſtributam; tum tandem, qua jus in creditore ad bona juſtitiæ diſtributivæ, imperfectum eſt, & ſecundum quid: igitur cum talis juſtitia dicat perfectionem, ſine imperfectione ex parte diſtribuentis, non eſt releganda à Deo, ſaltem æquo jure, ac commutativa.

107 Arguit. 1.: in creatura erga Deum nullum poteſt reperiri legale jus: ergo nullatenùs in præmiando Deus exercet juſtitiam, niſi impropriam, videlicèt, fidelitatem. Reſp. diſting. antec.: non eſt erga Deum in creatura jus abſolutum ſimplicitèr, & perfectum, conc. antec.: imperfectum, & ſecundum quid, nego antec. Argumentum ſolum probat, quod libenter concedimus; jus, ſcilicèt, creaturæ ad Deum, non eſſe ſtrictè juſtitiæ commutativæ, ſed quod eſt ex fidelitate, ſed non ſola. Replicabis: Deus ſine injuria juſtorum poteſt ipſis negare gloriam; ſed hoc ipſo ex pura fidelitate præmiantur merita: ergo, &c. Reſp., quod, cum jus juſtorum ad gloriam habendam, ſit in eſſe, fieri, & conſervari eſſentialitèr dependens à jure Dei, de potentia abſoluta poſſet à Deo revocari, & ſemel, ac Deus præmiare nollet, creaturæ jus intelligeretur revocatum. At de potentia ordinaria, & in ſenſu compoſito promiſſionis, & pacti, ſi Deus negaret gloriam juſtis, nedum eſſet in-

infidelis, ſed & injuſtus ſecundum quid; *non enim eſt injuſtus Deus, ut obliviſcatur operis veſtri*, inquit Apoſt. ad Hebreos 6.

108 Arguit. 2.: ſi plus quam ex pura fidelitate remuneraret Deus merita juſtorum, Deus eſſet capax obligationis juſtitię; ſed Deus talis obligationis non eſt capax reſpectu alicuius creati: ergo, &c. Prob. min.: Deus non eſt capax obligationis obedientiæ: ergo nec obligationis ex juſtitia. Prob. conſeq.: ideo antec. eſt verum, quia Deus ob ſuam infinitam maieſtatem independentem à quovis creato, & extra ſe nequit obligari ab imperio, & lege externa; ſed pariter eſt contra ejus ſupremum dominium, quod obligari poſsit à jure exiſtente in creatura: ergo, &c. Diſtinguo mai.: Deus eſſet capax obligationis juſtitiæ commutativæ, & ſtrictæ, nego mai.: mixtæ ex fidelitate, & quæ ſit retributiva, concedo mai. Ad probat. negatur paritas. Quod Deus teneatur obedire voluntati externæ, dicit imperfectionem repugnantem ipſi, non eſt autem ſic repugnans, teneri ex jure creato, non ſibi impoſito ex natura dati, & accepti, ſed conſtituto per eius voluntatem, in cuius poteſtate eſt totalitèr rectitudo.

109 Arguit. 3.: juſtitia commutativa eſt, quæ reddit unicuique, quod ei debetur, ſervando æqualitatem inter datum, & acceptum; ſed Deus præmiando merita hominum, dat illis, quod eis debetur ſervando æqualitatem inter meritum, & præmium: ergo exercetur juſtitia commutativa in retributione gloriæ pro meritis. Minor conſtat; nam Deus reddet unicuique ſecundum opera ejus. Diſtinguo maiorem: eſt reddere unicuique, quod ei debetur titulo proprietatis perfectæ, & ſervando æqualitatem inter datum, non alio titulo debitum, nec fundatum in gratia creditoris, permitto maiorem: quod ei debetur titulo promiſsionis, quæ licèt onerosa, eius onus eſt debitum creditori pluribus alijs titulis, nego maiorem; & è contra diſtincta min., negatur conſequentia. Videantur conditiones, requiſitæ ad juſtitiam commutativam, & ſtrictam ſupra poſitæ.

110 Arguit. 4.: & ſi in Deo eſſe imperfectio eſſe abſolute debitorem creaturæ, & creaturam habere dominium ſtrictum ad Deum in aliqua re, in neutro eſt imperfectio in Deo,

ſi

ſi utrumque verificatur ſolum dependenter à libera voluntate Dei; ſed hoc ipſo poteſt ſtare ſtricta juſtitia in Deo, elargiente gloriam: ergo, &c. Reſp. negando min., hoc enim ipſo, quod totum jus, in creatura habitum, ſit à libera voluntate Dei conſtitutum, jam tale jus eſt ſub jure, & dominio ſupremo Dei, & debitum, quod in Deo tali jure correſpondet, non eſt ortum à jure creaturæ niſi dependenter à gratia, & fidelitate divina. De dominio dic, non poſſe Deum dare creaturis dominium ſtrictum contra ſe ipſum, ſed ad ſummum ſecundum quid, & dependenter in eſſe, & conſervari à dominio Dei.

111 Arguit. ultimo: juſtitia diſtributiva non reſpicit æqualitatem arithmeticam, ſed proportionalem, & comparativè ad perſonas; ſed Deus in præmiando ſervat æqualitatem arithmeticam; præmiat meritum, ſine reſpectu ad perſonas: ergo, &c. Minor patet ex illo 1. ad Corint. 3.: *unuſquiſque propriam mercedem accipiet ſecundum ſuum laborem.* Confirm.: una ex rationibus cur à Deo excluditur juſtitia commutativa, & ſtricta, in retributione præmij, eſt, quia tranſlatio dominij rei, quæ commutatur, ad talem juſtitiam exigitur; ſed juſtitia diſtributiva exigit etiam translationem dominij rei, quæ diſtribuitur: ergo, &c. Prob. min.: ſi in diſtributione res, quæ diſtribuitur non tranſit in dominium illius, cui diſtribuitur, ſed poſt diſtributionem manet adhuc ſub dominio diſtribuentis, non eſt actus diſtribuendi, cum res maneat in eodem ſtatu: ergo, &c.

112 Reſp., quod ſervare æqualitatem rei ad rem cum obligatione, orta ex jure proprietatis illam ſervandi, eſt proprium juſtitiæ communitativè, & non diſtributivę. Verùm ſervare talem æqualitatem non ex obligatione, orta ex jure proprietatis alienæ, ſed ex ipſa rectitudine præmiantis, & maximè quando non eſt diſtinctio perſonarum, poteſt eſſe actus juſtitiæ diſtributivæ. Quare, ſub his terminis diſtinguatur maior. Et ad minorem dic quod, cum apud Deum non ſit diſtinctio perſonarum, niſi ſola diſtinctione proveniente à gratia divina, non enim apud Deum una perſona eſt nobilis, aut nobilior præ alia, niſi, quia ſancta eſt vel ſanctior: Deus præmiat noſtra merita, non ſolum ad æqualitatem illorum, ſed cum exceſſu (ſicut enim Deus punit citra condignum, ita premiat ultra condignum) ve-

verum ſemper cum ordine ad perſonas, cum exceſu præmiat; nam, ſi habenti gratiam, ut duo v.g., dat gloriam, ut tria; habenti gratiam, ut tria, dat maiorem gloriam. Quare diſtinguo minorem: ſed Deus in præmiando ſervat iſtam ęqualitatem, facta comparatione preciſſè inter meritum, & præmium unius perſonę, & æqualitate non petita jure proprietatis meriti, conc. min.: ſi comparatio fiat non ſolum inter prȩmium, & meritum unius, ſed inter iſta, ſimul cum reſpectu ad alios, negatur minor, & conſequentia.

113 Ad confirm. dico, quod ea nimis probat; probat enim, quod nec titulo fidelitatis, nec purè liberalitèr Deus poteſt aliquid donare, quod enim donatur, debet transferri in dominium illius, cui donatio fit; aliàs res donata maneret in ſtatu, quo ante donationem. Ideo neganda eſt maior, eſt ejus probatio; utraque propoſitione intellecta de diſtributione facta à Deo creaturis. Ut res alter ſe habeat poſt diſtributionem, & ut diſtribuens verè talis ſit ſatis eſt, quod conferantur bona ad ſolum uſum illius, cui diſtribuuntur. Adeſt in Religione Franciſcana aptum exemplum; in ea enim non poteſt haberi dominium alicuius rei temporalis, & tamen eſſe certum juſtitia diſtributiva præmiando merita unuſcujuſque per puram conceſsionem uſus rerum.

QUÆST. SEPTIMA.

An creſcant merita Juſtorum ex eo, quod eorum gratia habitualis ſit maior: & etiam ex eo quod ſit data per Chriſtum?

114 CIRCA primam partem hujus quęſt. notari oportet, quod meritum, de quò procedit quæſtio, eſt actus ejuſdem virtutis cum eiſdem circunſtantijs, ſcilicèt intenſionis actus, honeſtatis, deliberationis, libertatis, &c., adeo ut difficultas ſit circa augmentum meriti in magis juſto, reliquis paribus ſtantibus; ſi enim reliqua paria non ſtent, poteſt fieri, quod minus juſtus plus mereatur, quam magis juſtus. Eſt ſententia ſatis communis, quod ex intenſione gratię augetur opus meritorium, ita quod cæteris paribus, quo actus ſit ab homine magis ſancto, eo eſt magis meritorius de condigno. Ita D. Thomas 1. part. quæſt. 25. art. 4. Et Doct. Subt. in 1. diſt. 17. q. 3. §. *ad ſolutionem* contra opinionem aliorum Theologorum, oppoſitum tenentium: Cum qua ſententia ſit Con-

115 Concluſio: *meritum de condigno* augetur ex intenſione gratiæ habitualis. Prob. concluſ. ratione: valor meriti de condigno ad majus præmium non ſolum provenit à bonitate, & honeſtate actus, alijſque circunſtantijs ipſius ſed etiam à gratia habituali ſubjecti; ſed creſcente bonitate, & honeſtate actus, valor meriti augetur ad maius præmium: ergo, &c. Prob. maior: ideo augetur valor meriti de condigno, creſcente bonitate, & honeſtate actus, quia bonitas, & honeſtas concurrunt per ſe ad rationem meriti de condigno; ſed gratia habitualis etiam per ſe concurrit ad rationem meriti: ergo, &c. Minor eſt certa; gratia enim ut forma, concurrit ad dignificandam perſonam, & ejus opera. Confirm. 1.: quo maior eſt gratia, creſcit obſequium; ſed quo magis creſcit obſequium, augetur meritum ad maius præmium: ergo, &c. Prob. maior: quo maior eſt dignitas, & amicitia perſonæ operantis, creſcit obſequium; ſed quo maior eſt gratia, eſt maior dignitas, & amicitia: ergo, &c. Aſſumptum patet in B. V. Maria, cujus obſequium eſt maius apud Deum, quam in alijs Sanctis; quia ejus perſona eſt apud Deum magis digna, ejus tota dignitas provenit à gratia ſanctificante: ergo, &c.

116 Confirm. 2.: quo perſona eſt dignior cęteris paribus reddit opus meritorium maioris pręmij: ergo, &c. Prob. antec.: quod additum in ęquali reddit æquale additum æquali reddit ſuperius; ſed æqualis dignitas perſonæ cum altera perſona ejuſdem dignitatis cætetis paribus, reddit opus meritorium æqualis pręmij: ergo, &c. Confirm. 3.: ſicut gratia reddit perſonam orantem, & impetrantem, acceptam ad orationem, & impetrationem, ſic reddit gratia, & acceptam perſonam merentem; ſed ex maiori gratia creſcit oratio, & impetratio ad maius donum: ergo & creſcit meritum ex maiori gratia ad maius præmium. Prob. conſeq.: eo creſcit impetratio ad maius donum; quia, quo perſona orans eſt magis grata, impetratio eſt extimabilior, ideoque magis apta ad movendam benevolentiam largitoris; ſed quo opera proveniunt à maiori gratia ſunt gratiora, dignaque maioris præmij: ergo, &c.

117 Prob. alia ratione, deſumpta ex meritis Chriſti Domini: opera Chriſti Domini juxta communem ſententiam Thomiſtarum, ſunt valoris ſimpliciter infiniti; ſed hoc non

alia ratione, niſi quia ſunt à perſona infinite ſancta, infinitæque dignitatis: ergo maior ſanctitas perſonæ ad maius meritum conducit. Confirm. 1.: ſicut comparatur dignitas Verbi cum operibus Chriſti Domini, comparatur gratia ſanctificans cum meritis juſti; ſed perſona Verbi, quia infinita infinite dignificat meritum ad præmium infinitum; & ſatisfactionem Chriſti Domini: ergo & maior gratia habitualis maius meritum reddit. Maior conſtat ex eo, quod ſicut communicata fuit perſona Verbi humanitati, ita ſervatis ſervandis, communicatur gratia habitualis juſto, & ſuis meritis: ergo, &c.

118 Confirm. 2.: eo ſanctitas, perſonalis Verbi elevat opera Chriſti ad maius præmium, non verò gratia habitualis, quia illa, ajunt Contrarij, eſt ſanctitas infinita, ſubſtantialis, & ſublimis, ſecùs vero gratia habitualis, quæ accidentalis, finita, & limitata eſt; ſed hæc ratio nulla eſt: ergo, &c. Prob. minor: ſanctitas ſublimis, ſeu perſona Verbi non ideo elevat merita Chriſti Dñi. quia ſublimis, ſed quia reddit perſonam digniorem, & magis excellentem; ſiquidem, ut manet dictum, quo dignior eſt perſona, eo magis meretur de præmio: ergo non ideo elevat merita Chriſti, quia ſublimis eſt, ſed quia digniorem reddit perſonam.

119 Arguit. 1.: tum, quia in Script. præmium ſolum promittitur juxta menſuram operum, non verò habituum, ut conſtat ex illo 16. Matth. *reddet unicuique ſecundùm opera ſua*; ſed gratia habitualis non eſt opus, ſed habitus: ergo, &c. Tum, quia opus demeritorium, non fit magis demeritorium, nec maiori pœna dignum ex maiore indignitate ſubjecti: ergo paritèr nec opus meritorium erit magis meritorium. Reſp. ad primum, & quod, dum Script. dicit, Deum reddere unicuique ſecundum opera ſua, debet intelligi cum omnibus circunſtantijs, conditionibuſque, per ſe concurrentibus ad valorem moralem meriti; &, cum una, atque præcipua ex his ſit habitualis gratia, à qua opera redduntur condigna, & proportionata, à maiori gratia ſunt magis digna, & magis proportionata: & ſi ita non eſſet, Deus non redderet unicuique ſecundum opera ſua, eo quod præmium debet proportionari cum opere, veſtito omnibus circunſtantijs, ex quibus deſumitur eius dignitas.

120 Ad exemplum de peccato negatur paritas; nam peccatum habituale non eſt per

ſe neceſſarium ad dandam actui condignitatem ad pœnam ſicut gratia habitualis neceſſaria eſt ad valorandum opus meritorium de condigno. Gratia habitualis tribuit actui condignitatem ad prȩmium, quam actus abſque illa non habet; macula verò peccati nequit tribuere actui condignitatem ad pœnam: tum, quia actus peccaminoſus prȩcedit maculam: tum, quia per primam mortalem culpam incurritur dignitas ad pœnam. Unde conſtat maxima diſparitas inter ſtatum peccati ad demerendum ex una parte, & inter gratiam habitualem ad merendum ex alia.

121 Arguit. 2.: qui cum minori gratia æquè intensè operatur, ac, qui cum maiore, non eſt minore laude dignus; immò potius maiori: ergo qui cum minori gratia æquè intensè operatur, non eſt dignus minori prȩmio. Prob. antec.: qui cum minori gratia æquè intensè operatur, ac, qui cum maiori, cum minoribus gratiæ habitualis viribus æquè benè, ac alter operatur: ergo, qui cum minori gratia æquè intensè operatur, ac qui cum maiori, non eſt minore laude dignus, quin potius maiori. Conſequentia videtur certa; nam maior diligentia illius qui cum minori gratia operatur, comparabitur cum maiori dignitate alterius, cum qua compenſabitur. Nego antec., cum probatione. Aliundè enim ſequeretur, quod, qui putans, ſe eſſe in gratia, & operans intensè ſupernaturaliter, ut ſex, ſicut alter exiſtens re ipſa in gratia, eliciens actum in eodem intenſionis gradu, mereretur ſicut iſte, quia non eſt minori dignus laude, quod falſum eſt. Nec verum eſt, quod habens minorem gratiam, adhibeat maiorem diligentiam ex minoribus viribus gratiȩ; quia habitus infuſi non inclinant, ſicut acquiſiti ad actus. 2ª ci.

122 Pro intelligentia reſolutionis attinentis ad ſecundam part. quȩſt., eſt ſupponendum, quod dupliciter poteſt conſiderari gratia habitualis, primo ſecundum illud, quod habet ex ſe, non ſolum phyſicè, ſed etiam moraliter, intrinſicè conſiderata in eſſe moris; & hoc in ſenſu non habet maiorem vim ex eo, quod detur ex meritis Chriſti Dñi. quam ſi aliundè à Deo lib raliter eſſet collata; ſiquidem eodem modo in utroque eventu conſtitueret hominem filium Dei adoptivum, &c. Secundò modo poteſt dignificari gratia ſecundum dignitatem extrinſecam quam ſumit ex eo, quod

ſit

ſit data intuitu meritorum Chriſti; in quo ſenſu Concilium Trident. docet ſeſſ. 6. cap. 16. nobis ex meritis Chriſti eſſe datam maiorem gratiam, uberiora, & excelentiora auxilia, quibus juſtorum opera maiorem dignitatem habent ex eo, quod procedant ex conjunctione ipſorum, tamquam vivorum membrorum Chriſti, qui quidem eſt miſticum caput juſtorum.

123 Ex quo clarè deducitur, quod in dubium non vertitur: an intuitu meritorum Chriſti nobis dentur uberiora, intenſioraque auxilia gratiæ, quibus excelentiora virtutum opera exerceantur, quam exercerentur ex vi gratiæ remiſsioris, quæ daretur, ſi Chriſtus non eſſet venturus? Ideo ſuppoſito, quod cætera ſint paria ex parte gratiæ, tam actualis, quam habitualis, etiamque ex parte ipſius actus meritorij, movetur iſta difficultas. Ponantur duo homines juſti, quorum unus habeat gratiam per merita Chriſti collatam, aliuſque habeat gratiam æqualem, à Deo liberalitèr collatam, & non intuitu meritorum Chriſti, & ambo eliciant actum bonum æqualitèr, tam ex parte abiecti, quam ex parte circunſtantiarum, in hac ſuppoſitione inquiritur: an, qui habet meritum ex gratia, data per Chriſtum, plus apud Deum mereatur, quam ille, de quo ſupponimus (ut quæſtioni detur locus), quod operatur per gratiam datam à Deo ſine relatione, & reſpectu ad merita Chriſti? His obſervatis, ſit

124 Concluſio: *ſuppoſita æqualitate, tam ex parte gratiæ actualis, quam habitualis, & eorum, quæ requiruntur ex parte operis meritorij, opera juſtorum ſunt magis meritoria ex eo quod procedunt ex gratia, data intuitu meritorum Chriſti, quam eſſent, ſi talis gratia eſſet aliundè à Deo liberalitèr collata, independentèr à reſpectu ad merita Chriſti.* Hæc concluſ. eſt conformior Doct. Subt. in 4. diſt. 2. quæſt. 1. Prob. 1.: nam gratia habitualis ex eo, quod nobis ſit data per Chriſti merita, licet, non ſit maior, tam phyſicè, quam moraliter intrinſicè, nihilominùs ex hoc præciſſè habet peculiarem dignitatem moralem extrinſecam; ſed iſta dignitas refunditur in ipſa opera meritoria: ergo ex illa, tamquam ex radice, habent opera meritoria maiorem æſtimationem apud Deum: ergo & maiorem dignitatem meritoriam. Prob. maior: per gratiam Chriſti fiunt juſti membra Chriſti, & unum corpus cum ipſo, ut dicitur 1. ad Corint.

12.:

12. : *fiunt fratres Chriſti* ; ut habetur ad Hæbreos 2. : *coheredes Chriſti* ; ut ad Rom. 8. dicitur ; ſed hac ex unione, & propinquitate cum Chriſto cap. reſultat in juſtis, & in ſuis operibus bonis aliqua dignitas, & ſpecialis ratio, propter quam Deo ſint amabiliores : ergo, &c. Minor conſtat pluribus exemplis in humanis ; nam filius amici, licet alias propter ſe amatus ſpeciali modo placet, quia eſt filius amici: mulier per ſe nobilis, ſi Regi nubat, redditur magis nobilis : ergo,&c.

125 Dices 1. contra iſtam Concluſionem : opera dicuntur, valorem, & dignitatem accipere à gratia, & perſona, á qua proximè eliciuntur, non autem ab eo, à quo nobis meritorie gratia confertur ; ſed opera noſtra meritoria non alia de cauſa tribuuntur Chriſto, & eius meritis, niſi quia ab eo accepimus, tamquam á cauſa meritoria utramque gratiam actualem, & habitualem, non verò tamquam elicienti, & influenti immediatè in opera noſtra : ergo, &c. Nego maiorem ; etenim eo ipſo, quod gratia ob meritum Chriſti habeat ſpecialem moralem dignitatem ab habitudine, & conjunctione ad Chriſtum, dignitas, & valor operum augetur. Unde non requiritur ad hoc, ut talia opera ſint immediatè à Chriſto, ut per ſe ipſum operante, ſed ſatis eſt, quod ſint immediatè à membro Chriſti ; ſic enim juſtus cenſetur unum morale corpus cum Chriſto, & ex hac conjunctione ad tam dignum caput, cenſentur opera digniora, ſicut & ipſa gratia cenſetur dignior.

126 Dices 2. : ſi merita Chriſti derivarent aliquem valorem in merita juſtorum ob unionem cum Chriſto capite, etiam derivarent proprietates meritorum Chriſti ; ſed hoc eſt falſum : ergo, &c. Maior conſtat ; ſicut enim merita Chriſti cenſentur valoris infiniti, & de condigno, ac ſuperabundantèr alijs meritoria, eodem modo juſtorum opera eſſent dignificata à meritis Chriſti, ſeu à gratia, data per Chriſtum. Nego ſequelam ; ſola enim opera humanitatis Chriſti phyſicam, & proximam habent conjunctionem cum perſona Chriſti, tamquam cum proximo ſuppoſito operante : unde opera illa accipiunt ſuum valorem infinitum ; opera autem juſtorum ſolum habent conjunctionem moralem, & remotam cum perſona Chriſti, atque ideo non niſi proportionalem valorem poſſunt recipere, juxta myſticam

tam unionem cum illa, ideoque ſemper inferioris valoris, & rationis ſunt, quam ſit valor operum Chriſti. Falſumque eſt, quod ex conjunctione cum perfectiori ſequatur æqualitas, dignitas enim Matris Dei magna eſt, & quidem ex conjunctione cum Chriſto, & longè inferior eſt quam dignitas Chriſti, qui eſt Filius Dei: ex matrimonio mulieris cum Rege augetur dignitas mulieris, non tamen fit æqualis cum Rege.

QUÆST. OCTAVA.

Qualitèr ſub noſtro merito cadat gratia?

127 DICO 1.: *ultimæ diſpoſitiones, quibus ad juſtificationem diſponitur proximè peccator poſſunt mereri, immo defacto merentur gratiam habitualem de congruo.* Eſt Doct. Subt. in 4. diſt. 2. quæſt. 1. §. *ad primum argumentum*; & prob.: ad meritum de congruo ſufficit, quod ſit actus bonus ſupernaturalis, elicituſque in obſequium Dei, quamvis non habeat æqualitatem cum præmio; ſed hoc habent diſpoſitiones ad juſtificationem, quæ licèt deſtitutæ valore, & dignitate ex eo, quod ſunt opera inimici, ſunt tamen actus boni, eliciti ex auxilio gratiæ actualis, & cedunt in obſequium Dei: ergo merentur gratiam juſtificationis de congruo. Hinc Div. Ambr. lib. 2. de pœnitentia cap. 3. ait de Prodigo: *pœnitentiam agens, meruit ſtolam.* Div. Auguſt. ſuper Pſalm. 50. de Ninivitis ait: *pœnitentiam egerunt, & veniam miſericordiam meruerunt.* Item Epiſt. 106.: *ſi quis dicat, quod gratiam bene operandi fides mereatur :: gratiſſimè confitemur.*

128 Si dicas, ex his ſolum probari, illa opera mereri primam gratiam merito de congruo, impropriè ſumpto, non verò propriè accepto; quia hoc importat aliquod jus, eo quod de ratione meriti eſt, importare jus ad præmium. Contra eſt; nam diſpoſitiones peccatoris ad gratiam juſtificantem important jus ad ipſam gratiam: ergo habent rationem meriti de congruo propriè dicti. Prob. min.: non minùs inducitur jus ad præmium ex divina promiſſione, quam ex amicitia merentis, & præmiantis; ſiquidem promiſsio inducit aliquomodo meritum, ſaltem ex fidelitate; ſed illis diſpoſitionibus promiſſit Deus gratiam juſtificantem, Eccleſ. enim 18. dicitur: *ſi autem impius egerit pœtentiam, vita vivet*: ergo, quamvis verum ſit, quod ad meritum de congruo

gruo propriè dictum requiratur aliquod jus, malè tamen negatur ultimæ ad gratiam diſpoſitioni ratio meriti de congruo proprie dicti.

129 Dices: Trident. Concil. ſeſſ. 6. cap. 8. ait, quod homo, ideo gratis juſtificatur, quia nihil horum, quæ juſtificationem præcedunt, gratiam promeretur. Quod probat Concilium ex Apoſt., dicente: *ſi gratia jam non ex operibus; alioquin jam non eſſet gratia*: ergo, &c. Reſp., Concilium loqui de merito de condigno, nulla ergo opera ſic merentur juſtificationem; at non tollit, quod de congruo ipſam mereantur. Ad Apoſt. ait Doct., quod eius, mens eſt, gratiam non habere cauſam meritoriam de condigno in eo, cui confertur, habere tamen de congruo cauſam, quod in plurib⁹ notum eſt, v.g. in Cornelio Actuum Apoſtolorum 10.: qui eleemoſinas factas ex ſupernaturali motivo, meruit illuminari ab Apoſt. Petro; & ita in ſimilibus.

130 Dices 2.: meritum, & merces ſunt correlativa, ita ut omni merito correſpondeat merces: ergo ſi aliqua opera merentur juſtificationem, adhuc de congruo, illis juſtificatio debetur, ut merces; & conſequenter juſtificatio non erit gratis. Reſp., quod, ſicut dicimus, eſſe meritum de condigno, & meritum de congruo; ita dicimus, quandam mercedem eſſe debitam ex juſtitia, quandam verò ex congruo, quę magis eſt ex gratia quā ex juſtitia, licèt aliquam Dei promiſsionem ſupponat, non ſupponit opera, habentia ęqualitatem cum præmio, ut eſt in juſtificatione.

131 Dico 2.: *juſtus de condigno meretur augmentum gratiæ per quodlibet opus ſuum bonum etiam remiſſum: & hoc augmentum ſtatim confertur in ipſo juſtificationis inſtanti.* Probatur Concluſio quoad prim. part.: nam Concil. Trid. ſeſſ. 6. can. 32. definit, juſtum bonis operibus mereri augmentum gratiæ; ſed opus, licèt remiſſum, eſt opus bonum: ergo, &c. Item idem Concil. cap. 16. ait: *juſtificatis proponenda ſunt Apoſtoli verba: abundate in omni opere bono, ſcientes, quod labor veſter non eſt innanis in Domino.* Ex quibus ſic: abundare in omni opere bono, non ſolum dicit aut continet opera intenſiora, ſed etiam remiſſiora; ſed illis correſpondet prę-mium, juxta Apoſt.; aliàs in illis operibus labor eſſet innanis: ergo etiam operibus remiſsis correſpondet præmium:

ergo

ergo & illis correſpondet gratię augmentum.

132 Secunda Concluſ. pars prob. ex eodem Concil. cap. 10. ſeſſ. 6. dicente: *ſi ergo juſtificati, & amici Dei, ac domeſtici facti, euntes de virtute in virtutem, renovantur :: in ipſa juſtitia creſcunt, atque magis juſtificantur.* Ex quibus ſic formatur ratio; renovari de die in diem, creſcere in juſtitia, & magis juſtificari, non ſtat cum eo, quod gratiæ augmentum differatur poſt inſtans ipſius juſtificationis auctę, uſque ad inſtans mortis, vel uſque ad inſtans ingreſſus in gloriam; ſed, juxta Concil., per opera remiſſa juſti de die in diem renovantur, in juſtitia creſcunt, & magis juſtificantur: ergo gratiæ augmentum, quod merentur de condigno opera remiſſa juſtorum, ſtatim confertur, & non ad aliud tempus differtur.

133 Thomiſtę, nobis contrarij, concedunt, quod juſtitia habitualis augetur quolibet opere bono, ut Concil. determinat, ſed inquiunt quod ad hoc non requiritur, quod phyſicè augeatur, niſi quando actus ſunt intenſiores, vel augetur moraliter, quando actus ſunt remiſſi; tunc enim augetur jus ad maiorem gloriam. Unde eadem gratia ſub eadem phyſica intenſione modo eliciat opus meritorium remiſſum, fit moraliter maior in eſſe gratiæ, non in eſſe phyſico, & qualitatis. Hæc ſolutio continet quidquid deſiderari poterat in favorem noſtrę ſententiæ, dicentis, gratiam eſſe diſtinguendam in eſſe gratiæ, & in eſſe qualitatis; &, quod gratia juſtificat non phyſicè ex natura rei, & in eſſe qualitatis, ſed in eſſe gratiæ. In ſententia autem Thomiſt., aſſerentium, gratiam phyſicè, & ex natura rei juſtificare, ſolutio continet magnam difficultatem, contra quam eſt ad hominem: non poteſt augeri effectus formalis primarius phyſicè formæ, præſtantis illum ex natura rei, quin augeatur forma in ſua entitate; ſed juſta Contrar., effectus primarius gratię habitualis, ſcilicet, juſtificare, & quidem phyſicè, ex natura rei, ſecundum Thomiſtas, augetur in juſtis per quodlibet opus etiam remiſſum: ergo etiam augetur ipſa phyſica entitas.

134 Arguit. 1.: nam Doct. Subt. in 4. diſt. 21, & 22. videtur aſſerere præmium correſpondens actibus remiſſis, ſicut & gratia reſtituta per reviviſcentiam meritorum non dari uſque ad finem vitæ: ergo ſecunda pars noſtræ concluſionis eſt contra Doct. Subt. Reſp. Scotum loqui non aſſerti-

tivè ſed ſolum ex ſuppoſitione, communis tunc opinionis; cujus ſignum eſt, quia, nec illam ſententiam probat, nec declarat, nec examinat, ut eſt mos illius in ſtatuenda propria ſententi. Cum ergo oppoſitum teneat in 1. diſt. 17. q. 3.; & nunc propter authoritatem Concilij Trid., non ſic probabilis videatur illa ſententia: ideo tenenda eſt ea pars, quam ſuſtinemus. Accedit, quod Deus præmians ultra condignum benè inteligitur per hoc, quod ultra gradus gratiæ correſpondentes meritis, & ſtatim collatos, ultra hos in ipſo ingreſſu gloriæ Deus pro ſua liberalitate addit aliquos: & de hoc additamento poteſt explicari Doct.

135 Arguit. 2.: augmentum gratię fit dependēter ab actibus, tamquàm à diſpoſitione; ſed actus, qui eſt remiſſior habitu, non eſt diſpoſitio ſufficiens ad augmentum habitus: ergo poſito actu remiſſo charitatis, non ſtatim augetur ipſa charitas, & gratia. Prob. min.: ille actus ſufficienter diſponit ad augmentum habitus, qui habet tantam intenſionem, quantam habet habitus: ergo &c. Hoc argumentum prob. etiam, actum remiſſiorem non mereri augmentum gratiæ abſolute, & ſi actus remiſſi non merentur augmentum gratiæ, nec poſtea, nec ſtatim dabitur pro illis tale augmentum. Reſp., quod actus, præcedentes gratiæ infuſionem, non ſunt diſpoſitiones phyſicę, & ex natura rei ad primam gratiam, & ſimilitèr actus præcedentes gratiam ſecundam, ſeu augmentum gratiæ ſolum ſunt morales diſpoſitiones. Quare ad augmentum gratię debent comparari per modum meriti, & valoris, & cum opera, etiam remiſſa juſtorum de condigno mereantur augmentum gratiæ propter eorum ęqualitatem cum iſto præmio, non eſt cur iſtud non ſtatim recipiatur.

136 Arguit. 3. in inſtanti juſtificationis, quando impius juſtificatur, ſervatur proportio inter actus diſponentes, & habitum gratię; ſed, ſi ſtatim augetur gratia poſitis meritis remiſsis, non ſervatur proportio, ſiquidem habitus intenſus in fine augmenti ſuperat actum quoad intenſionem: ergo, &c. Reſp., ſervari talem proportionem. Sicut enim gratia in prima juſtificatione correſpōdet merito de congruo, ſcilicèt diſpoſitioni, juxta menſuram ejuſdem meriti, ita in augmento habitus tantum tribuitur gradus gratiæ, qui correſpondet merito de condigno. Concedo quod in fine augumenti gratiæ tota intenſio gratiæ excedit gradus actus, quia non ſolum debet eſſe

no-

novus gradus, ſed etiam gratia, quæ prius exiſtebat.

137 Dico 3.: *juſtus non poteſt de condigno mereri gratiam habitualem per opera ſubſequentiam ad ipſam.* Eſt Doct. Subt. in 2. diſt. 5. quæſt. 1. contra Suarez, & aliquos Jeſuitas. Probaturque primo ex doct. citat. ajente: *per hoc quod aliquis prævideatur uſurus accepto non meretur accipere illud; tunc enim poſſet homo mereri primam gratiam, quia prævidetur à Deo, dante eam benè uſurus ea, & tunc gratia non eſſet gratia, quia eſſet ex meritis.* Ex quibus ſic formatur ratio: quod implicat ex natura rei, adhuc de potentia Dei abſoluta nequit fieri; ſed hominem mereri de condigno primam gratiam habitualem per opera ſubſequentiam, repugnat: ergo, &c. Prob. min.: implicat contradictionem, dari gratiam ex meritis; ſed caſu quo homo mereretur de condigno primam gratiam habitualem, gratia ipſa daretur ex meritis: ergo, &c. Patet minor: eſſet prima gratia, ut ſupponitur: & aliundè non eſſet prima gratia, quia datum ex meritis eſt debitum ex juſtitia, & ſolum in radice eſt gratia.

138 Prob. 2.: nequit meritum eſſe cauſa præmij, ut revera eſt in genere cauſæ moralis, niſi meritum præſupponatur exiſtens, vel extiturum; ſed gratia ſanctificans in eſſe gratiæ eſt principium, & cauſa moralis cujuſcumque operationis meritoriæ de condigno: ergo repugnat, quod ipſa gratia habitualis detur in præmium meritorum, ſubſequentium ad ipſã. Deinde; principium meriti de condigno, juxta commune axioma, nequit cadere ſub merito de condigno; ſed prima gratia juſtificans eſt principium meriti de condigno, & ipſa merita de condigno dependent eſſentialiter ab ipſa gratia habituali, tamquam à principio, & cauſa morali eorum: ergo, ſicut in Philoſophia docetur, quod repugnat, idem eſſe cauſam, & effectum reſpectu ejuſdem in eodem genere cauſæ; ita ſimiliter in præſenti ubi eſt ſermo de cauſa, & effectu morali.

139 Arguitur 1.: ſtat, quod prima gratia ſanctificans detur gratis, & ſimul ſit præmium operum, procedentium ab ipſa: ergo, &c. Prob. antec. eadem gratia poteſt dari ſimúl, & gratis, & ex juſtitia, ut conſtat in gratia, nos juſtificante, quæ reſpectu Chriſti Domini, qui eam meruit, datur ex juſtitia, & noſtri reſpectu, datur gratis. Hoc argumentum multum probat; & conſequenter nihil. Prob. ergo,

quod defacto ita evenit; cum defacto gratis conferatur reſpectu hominis, & ex juſtitia reſpectu Chriſti. Directè ergo reſpondeo nego antec. Ad prob. diſting. antec.: eadem gratia poteſt dari gratis, & ſimul ex juſtitia à cauſa extrinſeca, conc.: & ex juſtitia à cauſa intrinſeca, nego antec., & conſeq. Ait enim Subt. Doct., quod gratia, dum non habet cauſam meritoriam de condigno in illo, cui confertur, tamen poteſt habere de congruo in eodem, cauſam meritoriam de condigno extrinſecam.

140 Arguitur 2.: non repugnat, quod Antiquis PP. data fuerit gratia intuitu meritorum Chriſti, & quod ipſi PP. meruerint Incarnationem Chriſti Domini, quo poſito, gratia collata Patribus, eſt ſimul præmium meritorum Chriſti, & cauſa, & principium meritorum Incarnationis: ergo non repugnat, &c. Reſp., quod nec SS. PP. Antiqui, immò, nec Dei Genitrix meruerunt aliquomodo Incarnationem quoad ſubſtantiã, licèt de congruo meruerint aliquas circumſtantias Incarnationis, ut quod acceleraretur, &c. Ratio eſt eadem, quæ pro præſenti concluſione; quia gratia data Antiquis, erat effectus moralis, ſeu præmium meritorum Chriſti in prævi-ſione futurorum: erg. non poterat eſſe principium, & cauſa moralis principij meritorum Chriſti. In forma ergo negandum eſt antec.

141 Arguit. 3.: poteſt Rex militi dare equum, & arma, tamquam præmium propter opera bellica futura, dependenter ab armis, & equo: g. etiam poterit dari gratia, ut præmium propter opera aliqua ab ipſa gratia elicienda. Hoc argumentum, ſicut primum, probat nimis. Probat, quod defacto gratia conferatur ex meritis ab illa procedentibus. Ratio eſt; quia de facto dat Deus gratiam habitualem, ut hoſtes animæ vincamus, ea tamen lege, ut ſi victoriam non ſequantur, amittamus, gratiam; ſi tamen conſequamur victoriam, gratia in anima conſervetur; ſed quia ſic poteſt Rex in caſu propoſito conferre equum, & arma, iſtę res dicuntur præmium operum futurorum in bello; paritèr igitur erit dicendum, Deum gratiam conferre defacto, quod ab Adverſarijs non admittitur.

142 Reſp. ergo diſtinguendo antec.: ita ut prima illa donatio ſit ex juſtitia, & præmium futurorum operum, nego antec.: ita ut ſit meré gratuita illa donatio, conc. ant. Illa enim donatio equi, & armorum purè liberalis eſt, & ut miles operetur

tur; poſitis autem operationibus, ex vi promiſsionis Regis equi, & armorum dominium, ſeu continuata conſervatio poteſt dici præmium operum. Quid ergo contra nos, qui proportione ſervata eodem modo diſcurrimus de gratia? Duplex igitur inteligitur datio equi, & armorum: prima liberalis, ratione contractus innominati: *do, ut facias*; & ratione iſtius donationis non eſt præmium; quia nec miles habet jus ad equum, & arma, nec Rex eſt debitor ex juſtitia. Secúda datio, eſt dependens ab ipſis operibus, promiſsione precedente Regis, & ratione illius, conſequta victoria, jam miles habet dominium ſuper equum, & arma: & hęc ſecunda datio habet rationem præmij, conſequuti ad ipſa principia meriti. Ita in gratia, quæ, juxta Auguſt., ſe habet, ſicut ſefor ad equum.

143 Dico 4.: *juſtus non poteſt ſibi de condigno mereri reparationem poſt lapſum; benè autem poteſt eam ſibi mereri de congruo.* Prima pars hujus concluſionis ſit communis cum noſtro Subt. Doct. in 4. diſt. 22. quæſt. 1. Prob.: nam implicat contradictionem, juſtum poſſe ſibi mereri de condigno reparationem poſt lapſum: ergo, &c. Prob. antec.: impoſsibile eſt gratiam primam habitualem non eſſe gratiam primam; ſed prima gratia non eſſet prima, ſi reparatio poſt lapſum caderet ſub merito de condigno: ergo, &c. Ante probationem minoris eſt ſupponendum, gratiam habitualem dividi in primam, & ſecundam. Eſt gratia habitualis ſecunda augmentum gratię, jam præexiſtentis, ut cum juſtus creſcit in ſanctitate. Eſt gratia prima per quam mundamur à peccato: quæ deinde dupliciter poteſt ſe habere: vel ſic ſcilicèt, ut numquam fuerit præhabita juſtificatio; vel ſic, ut ſupponat olim habitam, & deinde perditam juſtitiam, & iſta dicitur *gratia reconcilians, & reparativa lapſus.* Hoc ſuppoſito, prob. min.: talis gratia reconcilians eſſet prima, quia mundaret à peccato; ſed aliunde, ex eo, quod daretur ex meritis de condigno elicitis ante lapſum, non eſſet gratia prima: ergo, &c.

144 Confirmatur: eo opera antecedentia gratiam ſanctificantem, ſive talis ſit habitualis gratia, ſive in alia providentia extrinſeca acceptatio non poſſunt mereri de condigno gratiam ipſam, quia ad meritum de condigno requiritur, quod datum in præmium non ſit gratis, ſed ſecundum debitum; & peccatoris juſtificatio non eſt debita ejus prævijs operationibus,

quæ

quæ ſunt opera inimici Dei; ſed non poteſt deberi gratia reconciliativa hominis operibus in gratia elicitis : ergo , &c. Prob. min.: ſemel poſito peccato, quæcumque merita hominis manent mortificata , & ipſe homo æquè eſt Dei inimicus poſt lapſum , ac erat antequam reciperet primam juſtificationem; ſed, quia ante primam juſtificationem omnia hominis opera quantumcumque bona ſunt opera inimici Dei , ipſis ex juſtitia non debetur juſtificatio : ergo & cum merita mortificata jam ſint hominis inimici, ipſis non poteſt deberi reparatio.

145 Arguitur 1. : infuſſio gratiæ , & remiſsio peccati non ſunt ſupra condignitatem juſti : ergo de potentia Dei abſoluta juſtus per bona opera meritoria poterit mereri reparationem poſt lapſum. Reſp. diſtinguendo antec. : infuſsio gratiæ , & remiſsio peccati, ſecundum ſe conſiderata , non eſt &c. ; conc. antec. : remiſsio peccati , committendi poſt ipſa opera meritoria , non eſt, &c. nego antec. , & conſeq. Alijs terminis diſtinguo antec.: non ſunt ſupra dignitatem operum juſti permanentium in ſtatu vivorum , conc. antec. : non ſunt ſupra dignitatem operum juſti , mortificatorum per peccatum , & lapſum , nego antec. Cum enim in caſu Concluſionis per peccatum ſubſequens merita mortificentur , non manent in dignitate , & æqualitate , quam habebant ex gratia ante lapſum; quod enim jam non eſt , non poterit opera valorare; ſed per peccatum , ſubſequens gratiam , jam non eſt gratia: ergo nequit iſta valorare opera , nec ipſa opera poſſunt habere æqualitatem ad reparationem , ſeu ad gratiam reconciliantem.

146 Arguit. 2. : poteſt homo juſtus divinitus ſatisfacere pro peccato mortali proprio ad æqualitatem , ſeu de condigno , ſecundùm Doct. in 4. diſt. 11. q. 1. §. *quantum ad iſtum*: ergo etiam , &c. Reſpondeo pro nunc , admiſſo antec. , negando conſeq. Ratio diſpariratis in uno, & altero caſu , eſt manifeſta : Scotus enim ibi ſolum ait, hominem cum gratia habituali poſſe de potentia abſoluta ſatisfacere pro peccato proprio jam præterito ; quod ſanè eſt valdè diverſum à caſu noſtræ Concluſionis , ubi homo ſupponitur exiſtens in peccato mortali , & conſequenter ſine habituali gratia. Unde , ex defectu principij merendi de condigno

non

non habet, quod poſsit mereri reparationem poſt lapſum.

147 Arguitur 3.: meritum juſti non eſt efficatius quoad alios, ac eſt quoad ſe; ſed juſtus poteſt mereri de condigno primam gratiam juſtificantem alijs, etiam peccatoribus, de potentia Dei abſoluta: ergo & de eadem abſoluta potentia Dei poterit juſtus mereri ſibi de condigno reparationem poſt lapſum. Reſp. negando mai.; quia eo, quod juſtus mereatur alijs primam gratiam, non tollitur, quod ipſa gratia illis gratis communicetur, ut ſupra dicebamus de gratia, nobis gratis collata, & ſimul, reſpectu meritorum Chriſti debita.

148 Poteſt reſponderi 2. diſting. mai.: non eſt efficatius meritum, manens vivum, conc.: non eſt efficatius meritum, tam vivum quoad alios, quam meritum mortuum, aut mortificatum quoad ſe, nego mai. Et diſtinguo min.: ſed juſtus poteſt alijs mereri per opera viva, concedo min.: per opera mortificata, nego min., & conſeq. Poteſt quis de potentia abſoluta per opera viva alteri mereri primam gratiam; quia illa opera manent opera filij Dei: at opera quibus ſibi poſſet aliquis mereri reparationem poſt lapſum non poſſunt non eſſe mortificata per peccatum; ac per conſequens amiſerunt omne jus ad præmium, & ſic non manent æqualia cum eo.

149 Quod autem juſtus mereatur de congruo reparationem poſt lapſum, quæ eſt pars ſecunda ſupra poſitæ Concluſionis, conſtat. Tum ex illo Paralipom. 2. cap. 19. ubi ſic dicitur: *iram quidem Dñi. merebaris, ſed bona opera inventa ſunt in te.* Super quæ verba ait Theodoretus: *hinc diſcimus, quod minuunt peccatorum pœnas, quæ prius fuerunt rectè facta.* Tum ratione; quia merita juſti per peccatum ſubſequens manent quidem mortificata; ſed non mortua: ergo aliqualiter poſſunt movere divinam miſericordiam, ut præſtet peccatori auxilia ad pœnitentiam. Et quidem de impetratione, ſeu merito de congruo, fundato in miſericordia Dei, hoc concedunt ipſi Salmanticenſes.

150 Dico 5.: *juſtus non poteſt ſibi mereri de condigno donum perſeverantiæ, bene autem eam poteſt mereri de congruo.* Utraque Concluſionis pars eſt ſatis communis in noſtra Schola, & quoad partem ſecundam conſtat ex Auguſt. de bono perſeverantiæ dicente: *hoc Dei donum*

(videlicet perſeverantia) *ſimpliciter promereri poteſt, ſed, cum datum fuerit, amitti contumaciter non poteſt.* Item Ieremiæ 32. v. 40. dicitur: *& timorem meum dabo in corde eorum, ut non recedant à me.* Hoc Auguſt. de dono perſeverantię explicat ſic: *quid eſt aliud, quam talis actus erit timor meus, quem dabo in cordibus eorum, ut mihi perſeveranter adhæreant?* Sed non videtur vero ſimile Deum promittere donum perſeverantię, niſi ſaltem de congruo juſtus eam poſsit mereri: ergo. &c.

151 Quoad prim. part. prob. Concluſ.: perſeverantia enim finalis eſt uſque ad mortem permanentia in ſtatu gratiæ, vitando peccata, ſuperando tentationes, & adimplendo prȩcepta: ergo juſtus iſtam permanentiam non poteſt de condigno mereri. Prob. conſequentia: quod eſt medium, neceſſario requiſitum ad conſequendum aliquod præmium, nequit habere rationem præmij, & debiti ex merito de condigno; ſed ipſa permanentia uſque ad inſtans mortis in ſtatu gratiæ, ſimul cum collectione operum, & auxiliorum, per quæ vitantur peccata, ſuperantur tentationes, & adimplentur præcepta, eſt medium, & meritum, neceſſariò requiſitum, ad gloriam promerendam, & obtinendam: ergo, &c. Prob. min.: tum ex illo Matth. 16.: *qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit.* Tum ex Concilio Trident., aſſerente: *juſtum mereri vitæ ȩternæ conſecutionem, ſi in gratia deceſſerit*: ergo ipſa finalis perſeverantia eſt medium, neceſſariò requiſitum, &c.

152 Arguit. 1. contra primam partem Concluſionis: perſeverantia finalis eſt in poteſtate hominis: ergo ex operatione continuata gratiæ præſentis, numquam ocio interrupta, pendet, tamquam ex merito de condigno, donum perſeverantię. Reſp. negando conſequentiam; nam, licet verum ſit, hominem habere in ſua poteſtate perſeverantiam finalem, aliundè, qui cadit juſtitia non peccaret, tamen continuata operatio, numquam interrupta ocio, eſt ipſa perſeverantia finalis, cui tamquam merito de condigno proximè debetur ipſa gloriæ conſecutio: non autem eſt præmium alicuius meriti de condigno præcedentis.

153 Arguit. 2.: juſtus poteſt mereri de condigno augmentum gratię; ſed plus eſt, mereri augmentum gratiæ, quam ipſam gratiam conſervare uſque ad finem vitæ, in quo ſtat perſeverantiæ: ergo, &c. Inſto argumentum: plus eſt mereri pri-

primum gradum gloriæ, quam primam gratiam habitualem; ſed juſtus meretur de condigno primam gloriam: ergo, & primam gratiam? Mala conſequentia, ſicut contra nos illata. Nego igitur paritatem, quia quando juſtus meretur de condigno, vel gloriam, vel eius augmentum, ſeu gratiam habitualem ſecundam, eſt præmium, debitum merito, ſupponiturque operatio cum requiſitis ad rationem meriti de condigno, at ſi juſtus mereretur perſeverantiam, prima operatio, ratione cuius in gratia perſeveraret, eſſet ſimul meritum, & præmium reſpectu ſui ipſius.

154 Arguit. 3.: non repugnat quod primum auxilium, & primum opus poſt juſtitificationem non pertineat ad perſeverantiam finalem; ſed hoc ipſo poteſt per alia opera perſeverantiam finalem mereri de condigno qui juſtus eſt: ergo, &c. Prob. mai.: ad perſeverantiam finalem ſolum pertinent auxilia ad vitanda peccata mortalia, & ad præcepta ſervanda, per bona opera debita; ſed poteſt contingere, quod primum auxilium ſit ad faciendum opus conſilij: ergo, &c. Reſp., quod adhuc conceſsis utraque maiore, & minore probationis, negatur conſequentia. Ratio eſt; tum, quia nullum eſt opus conſilij, quod homo non poſsit facere malè, id eſt, cum aliqua mala circunſtantia, v.g. propter finem pravum: & tunc eſſet actus malus. Immò, quando ſic operatur, poterat aliud malum operari: ergo, quod auxilium ſit efficax ad opus conſilij ſine mala circunſtantia ad vitandum peccatum, licet cadat ſub hominis poteſtate, & ſub merito de congruo juſti; non tamen cadit, nec cadere poteſt ſub merito de condigno.

155 Unde, præoculis haberi debet, quod adhúc ſuppoſita prima operatione per juſtificationem, nequit homo juſtus mereri de condigno perſeverantiam finalem, ita ut per illam primam operationem mereatur auxilium efficax ad ſecundam, & per ſecundam mereatur auxilium efficax ad tertiam, & ſic de alijs. Cuius ratio eſt; quia juſtos Deus ſemper relinquit in manu conſilij ſui, & permittit occurentiam tentationum, & occaſionum peccandi: unde, ſi ipſi nolint benè uti collato auxilio ſufficienti ad perſeverandum, labentur in peccata; & ſicut reparationem poſt lapſum de condigno non merentur, ita nec de condigno merentur perſeverantiam: ſeu efficax auxilium ad ipſam.

156 Solet hic quæri: tum de merito quoad alios, cujus quæſ-

quæſtionis reſolutio remittitur ad Tract. de Incarnatione, ad quem per ſe attinet hujuſmodi inveſtigatio. Tum de merito quoad temporalia bona, & cum iſta res ſit parvi momenti, brevitèr dico, quod ſi viderentur ut utilia ad vitam æternam, juſtus illa mereri poteſt de congruo. Attamèn notari debet, quod ex his donis non plura meretur, qui magis juſtus eſt, vel qui melius operatur, ſed illa meretur juſtus in illa quantitate, occaſione, quæ ſibi erunt utiliora. Hinc, aliqui merentur paupertatem, ut poſſit utiliorem eorum profectui ſpirituali: aliqui merentur humilitatem, &c. Quare Chriſtus Dominus promiſit de his ſolum, quod expedit, ut conſtat ex illo Matth. 6: *& hæc omnia adjicientur vobis.* Tranſeamus ergo ad meritorum reviviſcentiam, de qua à pleriſque Noſtratum agitur in præſenti, licèt à Thomiſtis differatur ad Tract. de Pœnitentia.

QUÆST. NONA.

An merita, per peccatum mortificata, per gratiam reconciliantem reviviſcant quoad totum ſuum valorem?

157 SUppono, quod præter peccata, quæ dicuntur opera mortifera, opera quæ quantum ſunt de ſe ſunt meritoria, alia dicuntur *viva alia mortua*, & alia *mortificata*. Viva dicuntur opera bona, ex auxilio gratiæ elicita ab habente gratiam habitualem, quæ eſt vita ſpiritualis animæ. Mortua dicuntur opera bona, ex auxilio gratiæ ſupernaturalis elicita ab homine, mortuo per peccatum mortale. Mortificata ſunt, quæ quidem fuerunt viva, & meritoria vitæ æternæ; ſed interventu peccati mortalis, eoque durante, ſuſpenditur, & impeditur eorum effectus, ne proſint ad vitam æternam.

158 Suppono ètiam, ex communi ſententia Theologorũ, quod niſi homo Deo reconcilietur per gratiam ſanctificantem, quantumcumque multa, & magna merita elicita ab eo fuerint in ſtatu gratiæ, hæc omnia ita ſuſpenduntur per adventum peccati mortalis, quod nihil profutura ſunt ei ad vitam æternam, ſi moriatur in eo ſtatu. Ergo in præſenti quæritur: an in caſu talis reconciliationis iſta merita reviviſcant in totum, vel in partem ſui laboris?

159 Circa quod eſt duplex ſententia. Prima eſt Thomiſtarum, dicentium, reviviſcere quidem quoad præmium ſubſtantiale, non tamen quoad totum

tum ſemper, ſed ſolum ad proportionem contritionis, vel diſpoſitionis, qua quis à peccato reſurgit. Secunda Sententia eſt Noſtri Doct. Subt. in 4 diſt. 22. quæſt. unica art. 2. quem ſequuntur ſui, & communiter Ieſuitæ; quæ aſſerit, per quamcumque juſtificationem ſubſequentem reviviſcere totum jus ad gloriam, quod habebant merita ante peccatum, ſeu quandò erant viva. Hæc ſecunda ſententia eſt noſtra concluſio. Sit ergo

160 Aſſertio: *merita reviviſcunt, non ad proportionem pœnitentiæ, vel alterius diſpoſitionis, ſed quoad totum ſuum valorem.* Prob. 1.: opera eſſe per peccatum mortificata, nihil aliud eſt, quam impediri jus proximum, vel actionem ad conſecutionem gloriæ: ergo ablato impedimento peccati totum jus ad gloriam reddit. Nunc ſic ſed per quamcumque juſtificationem auferetur impedimentum, quod quidem erat peccatum: ergo, &c. Confirmatur 1.: contritio non concurrit ad juſtificationem, niſi per modum removentis prohibens; erg. quælibet contritio ſufficit, ut totum jus meritorum reviviſcat. Confirm. 2.: vel merita nullo modo reviviſcunt per reconciliationem, vel reviviſcere debent quoad totum ſuum valorem; ſed primum non conceditur à Thomiſtis: ergo admittere debent ſecundum.

161 Prob. mai.: quia ſi non reviviſcerent quoad totum jus, ſolum reviviſcerent ſecùndum menſuram diſpoſitionis; ſed hoc non eſt reviviſcere, quandoquidem, juxta Dei promiſſionem nulliſque præcedentibus meritis, homine ſe ultimo diſponente, ut quinque v.g., tribuitur jus ad gloriam, ut quinque: ergo ſi in reviviſcentia ſolum tribuitur jus ad gloriam ut quinque, juxta menſuram diſpoſitionis, perinde erit, merita reviviſcere, ac non reviviſcere. Nec valet recurſus ille, quod in reſurrectione à peccato tribuetur reſurgenti jus ad gloriam, ut decem, ita ut quinque gradus correſpondeant diſpoſitioni, & quinque meritis præcedentibus. Non valet, inquàm; quia cum ratio probans, merita reviviſcere quoad quinque gradus probet etiam reviviſcere quoad omnes, cum diſpoſitio non concurrat niſi per modum removentis prohibens: ergo, &c.

162 Prob. 2.: peccatum per pœnitentiam remittitur quod totam pœnam æternam: ergo poſt pœnitentiam nulla pars pœnæ æternæ perſeverat: ergo nec perſeverat pœna privationis juris ad gloriam. Nunc ſic;

ſed ſi merita nō reſurgerent, quoad totum ſuum valorem perſeveraret etiam pœna privationis juris ad gloriam, ut conſtat; antea enim habeat juſtus dignitatem ad gloriam, ut decem v.g.; & cum tali dignitate non reſurgit, juxta Contrarios, ſi diſpoſitionis quantitas ſit minor. Deinde: ſint duo homines, quorum unus ſanctiſsimè vixit; alius turpitèr per quadraginta annos, uterque tamen in idem peccatū cadat, à quo primus reſurgat per contritionem, ut duo: ſecundus verò per contritionem, ut quatuor: in hoc caſu ſequitur, juxta contrariam ſententiam, quod, qui turpitèr vixit, reſurgat cum maiori jure ad gloriam, quam qui ſanctiſsimè vixit per eoſdē quadraginta annos, & ſi ambo ſtatim moriantur, qui maior peccator fuit, maiorem gloriam conſequetur: ergo, cum hoc videatur abſurdum, tenenda eſt noſtra ſententia.

163 Arguitur 1.: nequit reviviſcere quod totum valorem, quod nullatenus reviviſcit; ſed merita, per peccatum mortale impedita, nullatenus reviviſcunt: ergo, &c. Prob. min.: peccata per juſtificationem remiſſa nullo modo reviviſcunt per ſubſequens peccatum: ergo à pari, &c. Reſp. negando min., & ad prob. negatur conſequentiam. Diſparitas eſt; quia per pœnitentiam, & juſtificationem peccatum deletur, & deſtruitur; at jus ad præmium æternum per peccatum mortale non extinguitur, ſed unicè mortificatur, & ſuſpenditur: ergo, ablato impedimento, ſcilicèt, peccato, totum meritorum jus redditur expeditum.

164 Replicabis: per ſuperveniēs peccatum merita præcedentia deſtruuntur; erg. diſparitas data nulla eſt. Prob. antec.: peccatum mortale habet jus ad privationem beatitudinis; ſed ſi merita, per peccatum non deſtruerentur, ſimul eſſet in homine jus ad beatitudinem propter merita præcedentia, & jus ad privationem beatitudinis propter præſens peccatum: ergo, &c. Reſp. negando ant., & ad ejus probationem dico, quod jura ad illa extrema oppoſita ſunt difformia; jus enim remanens ad beatitudinem poſt peccatum, eſt remotum, & mortificatum, & jus, in ductum ad privationem beatitudinis per peccatum, eſt proximum, & hæc difformia jura optimè componuntur. Et ad hoc explicandum, ait Doct., eſt optimum exemplum Iuriſtarum, ſcilicèt, quod alicui remanet aliquod jus (voca remotum, & mortificatum), cui non competit actio ad aliquam rem propter

tèr aliquod impedimentum (vocetur actio jus proximum.) Sic meritis, mortificatis per peccatum, remanet jus ad vitam æternam, ſed non actio, quandiú homo manet inimicus Dei.

165 Arguit. 2.: ſi merita reviviſcerent ſecundúm totum ſuum valorem, peccans, & poſtea reſurgens, eſſet melioris conditionis, quam ille, qui non peccavit: ergo merita non ſic reviviſcunt. Sequela videtur certa; quia reſurgit dignior præmio in Dei acceptatione, quam fuerit antea. Nec valet reſpondere cum Doct., quod peccans non habet commodum, ſed magnum incommodum, non ſolum quia peccavit, cum peccatum ſit maximum incommodum animæ; ſed etiam, quia totum tempus, quo manſit peccato, eſt ſibi perditum: quo tempore, ſi in gratia permanſiſſet, potuiſſet multiplicare merita.

166 Contra enim eſt: demus enim eſſe duos homines æquales in meritis, & unus peccavit, & reſurgit; alter vero toto tempore, quo primus manſit in peccato, & pœnituit, fuit dormiens: in hoc caſu, ſi vera eſſet noſtra doctrina, primus haberet plura merita, quam ſecundus, & primus commodum reportaret de ſuo lapſu

167 Reſp. negando ſequelam, tenentque verum incommoda, á Doctore Subtili ponderata; & exemplum, à Contrarijs adductum, non probat, quod commodum ſtat in hoc, quod eſt peccare, ſed in hoc quod eſt facere pœnitentiam, quia primus homo, pœnitentiam faciendo, exercet virtutis actum, quem non exercet ſecundus, ſomno deditus, & in hoc ſtat eſſe melioris conditionis, quam dormientè; minimè verò in peccatore, quia in peccante, adhuc poſt juſtificationem remanet reatus ad pœnam temporalem, & in hoc peioris conditionis eſt unus quam alius.

168 Arguit. 3.: peccatum mortale eſt gelu, quo congelata, & impedita noſtra merita, non tendunt in vitam æternam, uti ipſis, ut aquis vivis, competit, juxta illud Ioann. 4.: *fiet in illo fons aquæ vivæ, ſalientis in vitam æternam, & flante Auſtro Spiritus Sancti gelu reſolvitur, ut illæ aquæ vivæ expeditè per pœnitentiam, iterum fluant*; ſed hoc non fit, ait Gonet, niſi ad menſuram fervoris quo homo reſurgit à peccato: ergo, &c. Reſp. negando min.; nam iſta metaphora ſtante, potius noſtra quam contraria habetur ſententia. Sit enim peccatum mortale gelu, quo impedita, & congelata noſ-

noſtra merita, quæ aqua ſunt, non tendunt in æternam vitam: ſit etiam Auſtralis ventus Spiritus Sanctus reſolvens gelu peccati per diſpoſitionem quamcumque; modo ſit talis, ut ſit ultima diſpoſitio ad gratiam: in qua metaphora peccati gelu non reſolvitur qualitercumque, ſed totum, & totalitèr; cum ſit certum, quod per quamcumque juſtificationem peccatum mortale deletur, & deſtruitur: ergo ſequitur, quod aquæ vivæ meritorum fluunt totę, & totalitèr, poſita gratia reconciliativa.

169 Conſequentia probatur: eo, auſtro flante, non ſemper aquæ congelatæ fluunt, & moventur totalitèr, quia naturale gelu interdum reſolvitur non in toto, ſed in ſola parte; ſed myſticum gelu peccati per quamcumque ſubſequentem juſtificationem ita reſolvitur, ut in toto deſtruatur, & anichiletur quoad vim inducendi æternam pœnam ſenſus, & damni: ergo, ut teneret contrariorum paritas, erat dicendum, quod ſicut in aquę congelatæ caſu, quod illa tota non fluat, venit & eo, quod gelu in ſola parte reſolvatur, ita & ſubſequens juſtificatio non prorſus deſtrueret peccatum; quod, cum non ſit dicendum, remanet, quod ſit vera doctrina, & conſequentia ſupra poſita.

170 Quæres: an merita reviviſcant cum toto illo valore ex juſtitia: an verò ex miſericordia? Reſp. cum Doct. citat., quod reviviſcunt partim ex Dei miſericordia, & partim ex Dei juſtitia. Prob. prima pars: non reviviſcerent merita, niſi homo prius juſtificaretur; ſed quod peccator juſtificetur, eſt Dei miſericordia: ergo, &c. Prob. ſecunda pars: ſemel ſuppoſita lege Dei, quod merita reviviſcant, ſuppoſitaque juſtificatione, jam merita illa debent compenſari ex juſtitia: ergo, &c. Prob. antec.: quandiú non eſt ſolutum, quod debetur, vivit obligatio proxima, vel remota ex juſtitia; ſed gloria debetur meritis ex pacto, licèt deſit ad executionem ſolutionis conditio, præſente peccato, & non deeſt illa conditio ſtatim ac peccatum ceſſat per juſtificationem acquiſitam: ergo ex tunc ex eadem juſtitia reddeunt merita.

***

*** *** ***
*** ***
***

QUÆST.

QUÆST. X., ET ULTIMA.

An in reviviscentia meritorum restituatur homini tota gratia deperdita?

171 DICO 1.: *gratia, quam homo per merita de condigno acquisivit, revivisc it tota per justificationẽ reconciliativã.* Prob. 1.: jus ad gloriam fundatur in gratia: ergo maius jus in maiori gratia. Nunc sic; sed resurgens à peccato per pœnitentiam, resurgit cum omni jure ad gloriam, quod ex meritis habuit, ut constat ex quæst. antec.: ergo resurgit cum omni gratia, quam ex meritis habuit. Antec. primum est omnium commune placitum; ideòque asserunt, gratiam esse quasi dispositionem ad gloriam, vel gloriam conferri ad mensuram gratiæ.

172 Prob. 2.: ad mensuram gratiæ, datur in præsenti providentia gloria; sed resurgenti à peccato datur gloria, ut decem v.g., ratione meritorum, in eadem quantitate restitutorum: ergo & debet dari gratia, ut decem. Prob. mai.: non confertur gloria ut decem, nisi voluntas eliciat actum fruitionis, ut decem: immo in hoc actu essentialiter consistit ipsa beatitudo formalis; sed voluntas non eliceret actum fruitionis, ut decem, absque habitu gratiæ, ut decem: ergo, &c. Prob. minor: nulla potentia exijt in actuum secundum, ut decem, nisi habeat actum primum æqualis intensionis; sed actus primus, seu principium ad fruitionem, ut decem, constituitur per habitum charitatis, aut gratiæ, intensum ut decem: ergo, &c.

173 Prob. mai.: juxta potentiam ordinariam, nulla potentia constituitur, ac perficitur in actu secundo summo, nisi habeat actum primum, etiam summum: ergo, &c. Antec. est Doct. in 3. distinct. 13. quæst. 4. §. *ad quartum*, ubi, ait: *quod de potentia ordinata non potest voluntas frui activè, vel electivè summè, sine summa gratia, quia ordinatum est ut causa secunda* (talis est voluntas) *quæ nata est habere aliam concausam secundam non possit in effectum summum illarum causarum, sine tali actione concausæ secundæ; similiter ordinatum est, ut nulla voluntas summè perficiatur actu secundo summo, etiam ut recipiens, nisi habeat summum actum primum, & ita nec possibile est de potentia ordinaria, quod summè fruatur sine summa gratia.* Prob. 3. Conclusio: ex oppositio Conclusionis sequeretur, Deum plus præmiare præmio essentiali gloriæ, quem minus diligeret; sed hoc est absurdum: ergo, &c. Prob. sequela mai.: gratia est ratio, qua-

quare Deus diligit, & amat creaturam; ſed ſi merita reviviſcunt quoad totum jus ad gloriam, & non quoad jus ad gratiam, confertur maior gloria habenti minorem gratiam, ergo, &c.

174 Dices contra hanc Concluſionem: homo in juſtificatione recipit gratiam juxta menſuram ſuæ diſpoſitionis, ex Trident. ſeſſ. 6. cap. 7.; ſed, ſi gratia, correſpondens meritis, reviviſceret in reconciliatione peccatoris, hoc eſſet falſum: ergo, &c. Reſp., Concilium loqui de gratia, quæ ſine meritis datur quæ eſt gratia habitualis prima; ſed non loquitur Concilium de gratia correſpondente meritis, quę per accidens conjungitum cum illa; cum accidens ſit juſtificationi impij, quod præceſſerint, vel non præceſſerint merita. Unde duplex portio gratię poteſt in hac providentia diſtingui: una eſt quę datur ſine merito de condigno ex parte recipientis, & talis eſt prima gratia habitualis juſtificans, ſive ipſi communicetur per baptiſmum, ſive per pœnitentiam, vel omnis alia gratia, quam ex opere operato Sacramenta communicant; alia eſt gratia, quæ homini communicatur per merita de condigno, qualis eſt gratia ſecunda, habita per opera meritoria, ſive intenſiora, ſive remiſſa. De hac ſola ultima portione gratię præſens Concluſio procedit, & de prima loquitur Concilium, & nos deindè loquemur.

175 Dices 2.: jus ad præmium ſolvitur per ipſam ſolutionem præmij; ſed gratia correſpondens meritis, jam fuit data ergo non amplius manet jus ad illam; & conſequentèr, ſemèl deperdita, non reviviſcit. Reſp. diſtinguendo mai.: jus ad præmium ſolvitur per ipſam ſolutionem præmij ultimi, conc.: præmij non ultimi, nego mai.; & diſting. min.: ſed gratia, &c.; fuit data tamquam præmium, ultimum: nego: non ultimum, conc. Gratia, data in prędmium accidentale, comparativè ad gloriam, quę eſt præmium eſſentiale propter opera bona, non eſt præmium ultimum, ſed potius diſpoſitio ad præmium ultimum, & principium effectivum beatitudinis. Cum ergo totum jus ad gloriam reviviſcat, debet reviviſcere, & jus ad gratiam, debitam ipſis operibus meritorijs.

176 Ius, inquam, ad gratiam; nam in præſenti maximum eſt dubium, quo tempore fiat reſtitutio huiuſmodi gratiæ: an videlicèt, ſtatim, ac reconciliatur peccator: utrum verò in fine vitæ, vel poſt hanc vi-

vitam in ingreſſu glorię ? Hoc dubium eſt valdè affine illi, in quo inquiritur : in quo tempore conferatur augmentum gratiæ, quod juſtus meretur de condigno pro actibus remiſsis? Et cum huic difficultati dictum jam à nobis fuerit, tale præmium non differri, ſed potius conferri ſtatim, ac merita eliciuntur : paritèr in preſenti.

177 Dico 2. : *licèt probabilitèr poſsit ſubſtineri, reſtitutionem gratiæ, meritis correſpondentis, non fieri uſque ad inſtans mortis ; tamen magis veroſimile nobis videtur, talem reſtitutionem non differri, ſed potius conferri in ipſo puncto reviviſcentiæ meritorum.* Prima pars huius Concluſionis probatur ex Doctore citato, ubi ait, *quod reſurgens ad maiorem gloriam* (id eſt, in jure), *non oportet, eum in maiori gratia reſurgere*; hoc eſt : nulla ratio ita cogit dicere, firmitèr, quod in ipſo juſtificationis inſtanti reſtituatur gratia, ut oppoſitum ſuſtineri non poſsit : ergo probabilitèr poteſt ſuſtineri, quod gratiæ reſtitutio, debita meritis, differatur ad finem vitæ. Accedit, quod per iſtum loquendi modum ſalvatur, & quod merita reviviſcunt, & quod juſtificato non confertur in ipſa juſtificatione gratia in eſſe qualitas, niſi juxta menſuram diſpoſitionis.

178 Secunda verò Concluſionis pars prob. : quia dum merita reviviſcunt, homo eſt magis Deo charus, quam alius, in quo merita non reviviſcunt, ſtò uterque æqualitèr diſponatur ad juſtificationem, & ſimiliter habet jus ad maiorem gloriam ; ſed defacto nullus eſt magis charus Deo, nec habet jus ad maiorem gloriam niſi per formam intrinſecam, ſcilicet, habitualem gratiam : ergo, &c. Confirmari poteſt ex illo Lucæ de Filio Prodigo : *cito proferte ſtolam primam, & induite illum*, ubi Patres per ſtolam primam intelligunt gratiam, amiſſam per peccatum, & recuperatam per pœnitentiam. Nec terreri debemus authoritate Doctoris, allegata in contrarium, quia ut dictum manet dilationi gratiæ conferendæ, tam pro meritis remiſsis vivis, quam pro meritis, primò mortificatis, & deinde reparatis, firmitèr non adhæret.

179 Dico 3.: *gratia habitualis homini collata, non ex meritis, ſeu ex opere operantis, ſed ex opere operato per ſubſequens peccatum deperdita, non reviviſcit unquam.* Prob. ex Doct. citato ratione eruta ex ipſo : ſi illa gratia reviviſceret, vel eſſet ratione

ne Sacramenti, vel ratione meritorum præcedentium, revivilcentium; ſed neutrum dici poteſt: ergo, &c. Minor quoad primam partem prob.: quia ratione Sacramenti ex opere operato non communicatur juſtificato alia gratia gratis data, niſi quę communicatur ipſi, ac ſi numquam in gratia fuiſſet; ſed tunc illi non communicatur, niſi ſecundum menſuram ditpoſitionis: ergo nec modo communicatur alia. Prob. min. quoad ſecundam part.: nam merita illa prçcedentia nullum jus fundare poſſunt ad id, cujus non fuerunt, nec ſunt cauſa; ſed illa merita, nec ſunt, nec fuerunt cauſa gratiæ collatæ ſine meritis, & ſolum ex opere operato: ergo, &c.

180 Si dicas: quod gratia correſpondens meritis, & gratia, collata ex opere operato, eſt ejuſdem rationis: unde, ſi quæ correſpondet meritis reviviſcit per ſubſequentem juſtificationem, etiam gratia Sacramentalis. Contra ſtat, quod eſt contra Scotum, & veritatem, eſſe æqualem rationem in una, & altera gratia; nam, quę datur ſine meritis, eſt purum donum Dei, quæ per merita datur, eſt aliquomodo ipſius operantis, ut ait Concilium Trident. ſeſſ. 6. cap. 7.: ergo eſt conſonum juſtitiæ divinæ, quod omnis gratia Sacramentalis totaliter per peccatum anichiletur, quia in meritis non manet; gratia autem extra-Sacramentalis, & ex meritis obtenta reviviſcat, quia reviviſcunt ipſa merita. Et hæc ſufficiant pro iſto Tractatu de gratia habituali, ejuſque utroque effectu, quę feliciter cedant in gloriam Dei, & in noſtrum profectum.

FINIS.

REGISTRO DE LA PROPIEDAD INTELECTUAL

IN.

INDEX

TRACTAUUM, DISPUTATIONUM, ET QUÆSTIONUM, quæ in hoc volumine continentur.

TRACTATUS XV.

DE AUXILIIS DIVINÆ GRATIÆ, seu de Gratia actuali.

Disput. 1. *De Natura Gratiæ, eiusque divisionibus.* Pag. 2.
Quæst. unica. *An, quid, & quotuplex sit gratia?* Ibidem.
Disput. 2. *De Gratia actuali, operante, & cooperante.* Pag. 12.
Quæst. 1. *In quo consistat Gratia actualis, tam operans, quam cooperans?* Ibidem.
Quæst. 2. *An Gratia actualis operans, & cooperans entitative distinguantur?* Pag. 20.
Disput. 3. *De gratia sanatis, & medicinæ.* Pag. 30.
Quæst. unica. *Quodnam sit discrimen inter Gratiam sanitatis, & medicinæ?* Ibidem.
Disp. 4. *De Gratia sufficienti, & efficaci.* Pag. 36.
Quæst. 1. *Quid sit gratia sufficiens, & an specificè distinguatur ab efficaci?* Ibid.
Quæst. 2. *An gratia sufficiens detur, non solum ad posse simpliciter, sed etiam ad actu agere salutariter?* Pag. 38.
Quæst. 3. *An Gratia efficax constituatur in esse talis per salutarem consensum prævisum conditionate futurum per scientiam mediam.* Pag. 47.
Quæst. 4. *An Gratia, qua quis in actu secundo ponit salutarem consensum sit ex se ab intrinseco efficax, & physicè prædeterminans?* Pag. 60.
Quæst. 5. *An efficacia Gratiæ desumenda sit à decreto physicè prædeterminante præsupponente propensionem liberam voluntatis creatæ?* Pag. 99.
Quæst. 6. *An efficacia Gratiæ consistat in vocatione, ita attem-*

perata voluntati, ut ipſam infallibiliter moraliter determinet ad poſitionem actus ſalutaris? Pag.112
Quæſt. ultim. *An efficacia Gratiæ regulanda ſit per decretum concomitans Scotiſtarum.* Pag.180

TRACTATUS XVI.

DE DISTRIBUTIONE, ET NECESSITATE Gratiæ.

Diſput. 1. *De Diſtributione Gratiæ auxiliantis?* Pag.220
Quæſt. unic. *An Deus det omnibus hominibus ratione utentibus auxilia ſufficientia ad ſalutem, & quo ſenſu?* Ibid.
Diſput. 2. *De neceſſitate Gratiæ ad cognoſcendum verum.* Pag.242
Quæſt. 1. *An homo in ſtatu naturæ lapſæ poſſit abſque ſpeciali Dei Gratia aliquas, etſi non omnes, veritates ſpeculativas naturales cognoſcere?* Ibid.
Quæſt. 2. *An homo in ſtatu naturæ lapſæ poſſit abſque ſpeciali gratia omnes veritates morales, ſeu practicas cognoſcere?* Pag. 253
Quæſt. 3. *An homo lapſus ſine ſpeciali auxilio gratiæ poſſit cognoſcere veritates ſupernaturales, ſeu Myſteria fidei?* Pag.257
Diſput. 3. *De Neceſſitate gratiæ actualis ex parte voluntatis hominis lapſi.* Pag.266
Quæſt. 1. *An homo lapſus poſſit ex proprijs viribus ſe ultimate diſponere ad gratiam ſanctificantem?* Ibidem.
Quæſt. 2. *An homo lapſus poſſit naturaliter ſe diſponere remote ad iuſtificationem? Ubi de illo axiomate: Facienti, quod eſt in ſe Deus non denegat gratiam.* Pag.306
Diſput. ult. *De Reliquis pertinentibus ad neceſſitatem gratiæ.* Pag.318
Quæſt. 1. *An homo lapſus ſine gratia poſſit elicere aliqua opera moraliter bona ordinis naturalis?* Ibid.
Quæſt. 2. *An homo poſſit ſine auxilio gratiæ, tam habitualis, quam actualis obſervare totam legem naturæ?* Pag.339
Quæſt. 3. *An homo proprijs viribus ſine auxilio gratiæ poſſit Deum, ut Auctorem naturæ, diligere ſuper omnia?* Pag.347
Quæſt. 4. *An homo lapſus abſque auxilio gratia poſſit vitare peccata, & vincere tentationes?* Pag.353
Quæſt. 5. *An gratia actualis ſit neceſſaria ad perſeverantiam finalem: & quæ, & qualis ſit talis gratia?* Pag.367

TRACTATUS XVII.

DE GRATIA HABITUALI, IUSTIFICATIONE, & Merito.

Disput. 1. *De Natura, & essentia gratiæ habitualis.* Pag. 374
Quæst. 1. *An gratia habitualis sit quid intrinsecum animæ?* Ibid.
Quæst. 2. *Quale intrinsecum sit gratia, & qua certitudine constet eam esse qualitatem permanentem, seu habitum?* Pag. 377
Quæst. 3. *An gratia, & habitus per se infusus charitatis sint idem habitus?* Pag. 381.
Quæst. 4. *An gratia sit participatio physica, & formalis Divinæ naturæ?* Pag. 392
Disput. 2. *De Causis gratia habitualis.* Pag. 402
Quæst. 1. *An ad gratiam habitualem recipiendam requirantur aliquæ dispositiones: & an sint morales?* Ibid.
Quæst. 2. *An ultima dispositio ad gratiam habitualem procedat ab ipsa?* Pag. 413
Disput. 3. *De Iustificatione, & remissione peccatorum.* Pag. 424
Quæst. 1. *An gratia habitualis ex natura rei, vel solum moraliter iustificet?* Pag. 424
Quæst. 2. *An gratia habitualis physicè, vel moraliter expellat peccatum? Ubi de compossibilitate gratiæ, & peccati.* Pag. 441
Quæst. 3. *Utrum in iustificatione expulsio peccati, & infusio gratiæ sit una, vel duplex mutatio?* Pag. 452
Quæst. 4. *Quid sit in iustificatione prius: an infusio gratiæ, an expulsio peccati?* Pag. 457
Quæst. 5. *An sine dispositione ex parte peccatoris possit remitti per infusionem gratiæ illius culpa?* Pag. 469
Quæst. 6. *An culpa mortalis possit de potentia Dei absoluta, per puram extrinsecam condonationem remitti?* Pag. 482
Quæst. 7. *An sine gratia habituali, vel aliqua alia forma intrinseca possit homo constitui sanctus, iustus, amicus Dei, & eius filius adoptivus?* Pag. 48[illegible]
Disput. 3. *De Merito, eius requisitis, & præmio.* Pa[illegible]
Quæst. 1. *Quid, & quotuplex sit meritum?*
Quæst. 2. *Quæ, & quot sint conditiones requisitæ ad meritum de condigno ex parte operis, & operantis?*

Quæſt. 3. *An ſine habituali gratia, & in ſtatu beatitudinis poſſit de potentia Dei abſoluta dari meritum de condigno.* Pag. 507
Quæſt. 4. *An ut bona opera Iuſtorum elicita ex gratia ſint meritoria de condigno, procedere debeant ex imperio charitatis.* Pag. 512
Quæſt. 5. *An ad meritum de condigno neceſſaria ſit Divina promiſsio de præmio retribuendo?* Ibidem.
Quæſt. 6. *An retributio præmij pro merito de condigno ſit in Deo actus juſtitiæ, & qualis juſtitiæ?* Pag. 535
Quæſt. 7. *An creſcant merita juſtorum ex eo quod etiam gratia habitualis ſit maior, & ex eo quod ſit data per Chriſtum?* Pag. 543
Quæſt. 8. *Qualitèr ſub noſtro merito cadat gratia?* Pag. 549
Quæſt. 9. *An merita per peccatum mortificata, per gratiam reconciliantem reviviſcant quoad totum ſuum valorem?* Pag. 560
Quæſt. 10. & ultim. *An in reviviſcentia meritorum reſtituatur homini tota gratia deperdita?* Pag. 565.

FINIS.

1.276